



IOANNIS BAPT. FRANZELIN

SOCIETATE IESD

S. R. E. PRESB. CARDINALIS

OLIN

IN COLL. ROM. S. TOBOL. PROFESSORIS

THESES

ECCLESIA CHRISTI

OPUS POSTHUMUM

BREVI PRAEMISSO DE EIUSDEM VITA

COMMENTARIO

©I of Divinity Library  
ouis, Missouri 63108

BELLARMINE UBRARY  
St. Mary's College  
ST. MARYS, KANSAS

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

17U/

MDGCCl.XXXVII



## PRAEFATIO EDITORIS

Cum plures auctoritate et doctrina praestantes viri optare se plurimum tum voce tum scripto significarint, ut si quid Eminentissimus vir Ioannes Bapt. I<sup>^</sup>ranzelin nuper desideratus, in suis schedis de re theologica reliquisset, id in studiosorum utilitatem evulgandum curarem, id enimvero praestare libenter adgressi, commentarium de Ecclesia Christi haud cunctanter typis edendum censuimus; quaeque illius ratio sit et qualis post auctoris mortem ad nos pervenerit breviter indicamus.

Thesibus Cl. Auctorem suos absolutissimos de re theologica tractatus solitum esse distinguere. omnes norunt qui in eius scriptis vel leviter sunt versati: eodem modo totam hanc de Ecclesia Christi tractationem in theses distinxit quam longe absolutius et diligentius fuisset elaboraturus ac forte in publicum editurus, si quidem postremam illi manum imponere potuisset. Cum enim opus paullo ante inchoasset quam in PP. Cardinalium collegium cooptaretur, adeo ut eius absolvendi causam si minus ad amoliendam, at saltem ad proferendam reformidati honoris susceptionem praetexuerit; dein impositi muneris distentus curis coeptum opus saepius intermittere coactus est, ac morte demum interceptus mancum et imperfectum relinquere.

Materiam totam quatuor in partes distribuit. In prima exhibet notionem Ecclesiae amplissimam, ac discrimen declarat inter Ecclesiam tum veteris tum novi testamenti, et unius ad alteram *ha-*



*bitudinem*: agit demum de triplici potestate ex divina institutione Ecclesiae tributa.

In altera parte exponit et confirmat *factum revelatum* institutionis et constitutionis Ecclesiae ipsius. Hasce duas partes prorsus absolutas ac diligenter exscriptas reliquit.

In tertia agit de Ecclesiae *habitudine* ad suum auctorem et conditorem D. N. Jesum Christum. Hanc habemus completam illam quidem, sed non omnino limatam et expolitam. Quarta pars versatur in Ecclesiae proprietatibus ex praemissis in prioribus partibus distinctius inferendis. Spectat nimirum Ecclesiam in *sua constitutione 'visibilem et catholicam, infallibilem et sanctam, indefectibilem et apostolicam, unam, necessariam omnibus ad redemptionis applicationem aeternamque salutem.*

In hac postrema parte ultra *visibilitatem* prolixè enucleatam ad alia quae sequuntur progredi non potuit. Attamen quum et pro materia trium priorum partium, et pro ratione qua *visibilitas* ipsa explicatur, summa quoque aliarum ecclesiae proprietatum praeoccupata veluti sit, proinde nec multa nec praecipua operis perfectioni deesse videantur; quae vero pertractata diligenter habemus ita excellant, ut magno theologiarum disciplinarum studiosis emolumento sint futura; ea qualia demum cumque sint, in tenebris non duximus relinquenda, adiectoque commentariolo quo cl. Auctoris vita, sanctimonia non minus quam doctrina illustris, foret omnibus perspectior; eius memoriam posteris, postremo hoc pro Ecclesia ab eo labore suscepto quodam quasi monumento commendandam putavimus.

## COMMENTARIUS

U 4

### DE VITA EMINENTISSIMI AUCTORIS

I. Ioannis Baptistae Franzelin vita, quam paucis describere aggredior, tot rebus praeclare gestis et ad memoriam insignibus effulget, ut non modo ipsius patriae, et Societati Iesu in qua diutius versatus est, sed etiam theologicis disciplinis, et sacro Cardinalium collegio, ipsique Christiano nomini non mediocriter afferat ornamentum et decus. Ortus Altini in pago comitatus Tyrolensis die 15. Aprilis anno R. S. 1816. nactusque parentes, non illos quidem nobilitate generis, aut divitiarum copia illustres, at morum simplicitate et innocentia praestantes, hausit a pueritia egregios pietatis sensus, totoque animo Deum colere instituit. Franciscanis Patribus in disciplinam traditus Boveni, grammaticae ac politioribus litteris sedulam operam navavit, et tantum laudis cum ingenio tum morum integritate adeptus est, ut non solum iam aequalibus antecelleret, sed et ipsis praeceptoribus admirationi esset; nimirum a teneris eum vivendi modum auspicatus, quem cum toto vitae suae tempore servasset atque adeo magis magisque perfecisset, ad magnam sanctitatis et doctrinae famam pervenit. Nihil itaque pensi habere praeter studium atque pietatem;

nihil puerile gerere, nihil ostendere aut committere quod iure meritoque notari posset : sacro bis in diem interesse, frequenter Christi mensa sese reficere, templa celebrare, precationibus libenti animo vacare, comitate, urbanitate omnium sibi animos devincire, et ut omnia verbo complectar magnam de se expectationem movere. Quae cum constanter tum Bocenitum Graecii quo studiorum causa concesserat, praestitisset adolescens; annos iam duodeviginti natus de ineunda certa vitae ratione serio cogitare coepit. Itaque reputanti secum quo se verteret aut quo se utilius reciperet, arrisit Societas Iesu quamvis eam vix nosset nomine, deque re tanti momenti conscientiae suae moderatorem adivit : qui cum penderet animo quid iuveni consilii daret, feminam sibi consulendam censuit id temporis in ea vicinitate sanctimonia vitae conspicuam, cui nomen Mariae de Mûri, et divinitus ut fama erat instinctam. Quae cum retulisset, nihil restare adolescenti nisi ut Societati Iesu nomen daret, rebus quibuscumque (nuncium remisit e vestigio ; mox nec amplissimis avunculi cuiusdam promissis, nec parentum egestate, nec honorum aut divitiarum quae ingenio nancisci posset, illecebris retardatus, Dei voluntati obtemperavit et se Societati Iesu addixit.

II. Franzelinus igitur religiosae vitae tirocinium ingreditur Graecii in provincia Austriaca, et primo quoque tempore solidissima virtutis fundamenta molitur; nec enim erat nescius quale quisque ab initio vitae institutum exorsus sit, in eodem plerumque perrecturum in posterum, et tanto perfectionis assequendae studio visus est illico inflammari ut tamquam exemplar absolutum, cum tironibus tum etiam vete-



ranis monstrari posset. Legum omnium nostrarum religiosissimus custos diligentissime cavebat ne quam ex eis sciens et volens negligeret: imprimis autem silentii servator erat eximius, nec ullum extra tempus excidere sibi verbum patiebatur. Corporis afflictationi studebat in tantum ut moderatorum praecepto opus fuerit, ad eius impetum ea in re cohibendum. Per totum tirocinii spatium, vino abstinere et parce admodum vesci solitus, rerum caelestium commentationi obnixè adiecit animum, ex qua tanta in eum cum Deo familiaritas profecta est ut ab eo vix unquam cogitationem averteret. Haec autem cum ardentius faceret quam ut vires paterentur, emissa magna vi sanguinis ex ore, graviter decubuit prope ab omnibus conclamatus. Unus tamen ipse animum non despondit, quaque erat propositi tenacitate in omnibus, perinde quasi nihil sibi mali incidisset, nihil de pristina contentione remisit. Quae quidem hominis ad sanctitatem summis viribus connitentis documenta, cum per se clara atque perspicua sunt, tum facilius intelligi potuerunt ex codicillis quibusdam, qui casu erepti sunt ab ignibus in quos cum iam a morte propius aberat, sua scripta magnam partem coniecit, quique ipsius animum virtutis cupidissimum ante oculos ponunt. Haec ego brevitatis gratia praetermittenda censeo: illud unum confirmans, fructum quem e sacris exercitiorum commentationibus percipiebat, tam insignem tamque uberem exstitisse, ut non modo legentium animos admiratione defigat, verum etiam magno sit incitamento ad amplectendam virtutem; et eiusmodi documenta in Franzelino eo plus auctoritatis habere, quod non modo ea scripto consignaverit, sed re et veritate in suos mores induxerit. Cum enim persua

sum haberet, hominibus Societatis summo conandum opere, quo non minus virtute quam doctrinae laude excellant, eo semper omnes industriae nervos intendit, ut duplicem hunc laborum suorum fructum prosequeretur.

III. Hac de causa nihil intentatum reliquit ut plurimas quam posset linguas addisceret. Vel antequam in Societatem cooptaretur, graeci sermonis et hebraici longe peritissimus audiebat: processu vero temporis, omnes fere calluit exterarum nationum loquelas, quaeque vellet non solum germanice, quod ipsi erat proprium ac naturale, sed etiam polonice, anglice, italice, gallice efferebat. Horum autem sermonum intelligentiam ac facultatem numquam ad ostentationem iactavit, sed aut ad proximorum utilitatem, aut ad altiores disciplinas excolendas atque animo penitus imbibendas adhibuit. Miros in philosophia progressus fecit, donec sexennio tradendis variis huiusce generis artibus consumpto, theologiae studium Romae inchoavit. Magistris usus est id temporis nominatissimis, et ob ingenium atque opera in vulgus edita celebratissimis, quorum ope Franzelinus tanta eruditionis et scientiae laude coepit florescere, quantam evulgata deinceps ab eo volumina declarant. Adde huc amplissimam historiae tum sacrae tum profanae notitiam, quae a primis vetustatis annalibus repetita ad nostram usque memoriam pertineret, et quam animo ita defixerat, ut nihil esset paullo memorabilius in monumentis omnibus seu recentioris seu vetustioris aetatis, de quo commode non posset luculenterque disserere. Hoc erat autem in causa cur tanta eruditionis copia praeditum, nihil iam fugeret quod ad animum mirifice ornandum conduceret et



usui esse posset ad theologicas etiam quaestiones et probe internoscendas et apte dirimendas et explicandas. Flagrabat autem incredibili doctrinae comparandae cupiditate, eaque propter nullam temporis particulam otiabatur, nihil prius habens quam ut se in litteris abderet, et, ut verbo tulliano utar, in omne se scientiae genus ingurgitaret; nec libros ab eo quisquam nec eum a libris dimovisset: sive autem domi esset, sive rus animi causa diverteret, seu vacationis seu habendi ludi agerentur dies, nihil illi erat impedimento, quominus quidquid otii suppeteret legendo studendoque transigeret.

IV. Interea labentis saeculi anno quadragésimo octavo coorta per Italiam seditione, nostrisque ut fieri solet per vim summamque iniuriam domo exturbatis, solum vertere coactus est, primumque in Angliam, deinde in Belgium, denique in Galliam exulatum abiit. Nihilo tamen secius ad sua studia incubuit, ea tranquillitate animi et constantia quam nulli rerum publicarum motus, nullae vices perturbare umquam potuerunt. Nihil inquam ex tanta temporum acerbitate, ex tanta bonorum omnium consternatione, et tanta Ecclesiae ac Societatis oppugnatione detrimenti passus, theologiae spatium summa cum laude confecit; et nisi morbo prohibitus esset, de universa hac disciplina publica concertatione disceptavisset. Quapropter statim ab emenso studiorum orbe, Valles Anicias mittitur linguae hebraicae sacraeque scripturae scholas habiturus; ibique vertente anno sacerdos initiatur; non enim voluit initiari Pvomae cum primo anno theologiae daret operam quippe cum id suis e Societate condiscipulis ob insolentiam temporum permetteretur, ipse sibi ne hoc privilegio uti liceret preci-

bus impetravit, seu quod existimaret indignum se tanto munere, seu quod vereretur ne quidquam sibi surriperetur temporis theologiae studiis impendendi. Ceterum in tanta itinerum locorum et negotiorum varietate, nunquam destitit magnos in virtute profectus facere, et ad fastigium religiosae perfectionis pro virili parte contendere.

V. Hoc medio tempore tota Italia debellatum est repressis perduellium conatibus: summus christiani nominis Antistes Caieta in Urbem victor et incolumis revertitur: nostri in collegii romani possessionem dentio immissi; Franzelinus Romani revocatur, ubi confecto seorsum et privatim secundo tirocinio quod a nostris usurpari solet post absoluta studia, solem-nibus se votis obstringit Deo; nostris theologiae au-ditoribus domi exercendis adiuvandisque praeficitur; linguis orientalibus edocendis designatur: triennio alumnos collegii germanici pro confessionibus audit; iisdemque theologiam recolit; in collegio romano quaestiones ad historiae sacrae explicationem prae-fatur, variisque distentis ministeriis suam diligen-gentiam, industriam multiplicemque doctrinam omni-bus egregie probat. Ita fiebat ut sublimiorum disci-plinarum magisterio pedetentim proluderet, et maximo scientiae apparatu ad aliud munus rite obeundum, accederet quod praeclarissimi doctores e Societate a prima eius institutione cum insigni celebritate famae obtinuerunt.

VI. Itaque tradendae theologiae postmeridianaevinciam suscepit, in eadem collegii romani palae-stra, delectus ad id muneris in annum saeculi decur-rentis quinquagesimum octavum; quod quantum oppor-tunitatis et commoditatis habuerit, exitus declaravit.



Etenim undeviginti continenter annos hoc munus gessit tanto studio tantaque sedulitate, ut nemini satis non faceret, quin etiam auditorum undecumque Romam confluentium oculos in se converteret, admirationem ciceret, existimationem et plausum consequeretur. Erat in eo summa dicendi vis, contentio maxima, nec ab explicatione propositae sibi rei cessandum arbitrabatur, antequam persuadere sibi posset omnes in universum auditores, suam esse mentem assecutos. Non ille iam singulas quasque veritates nimium veluti per minutula puncta discerpere, nec difficultates alias ex aliis singillatim excutere, nec series quasdam responsionum, tamquam memoriae mandandas subtexere, sed totam cuiusque thesis amplitudinem in unum doctrinae corpus coactam exponere, et in praecipuas quasque partes ab ipsis doctrinae fundamentis depromptas et sibi invicem clariore usque luce et egregio ordine succedentes distribuere consueverat. Quamobrem constitutis principiis quae pertinerent ad res de quibus ageret, quaeque ex assidua sanctorum Patrum praestantissimorumque theologorum lectione hauserat, quaestionem universam ad summa capita revocabat, quaquaversus enucleatam commentabatur, eosque audientium animis conceptus affundebat, quibus totum id de quo quaerebatur plane integreque haberent perspectum, explicatum et ante oculos per omnia propositum, simulque ad evertendas suo Marte cuiuscumque generis obiectiones mirum in modum compararentur. Qua in re illud etiam commodi erat, ut semel arreptam alicuius veritatis demonstrationem, quisque animo infixam perpetuo gereret, nec ullo temporis lapsu oblivione deleret. Enimvero rebus hac ratione dispositis et seu quae praemittenda essent, seu quae



inde consequerentur, per omnem partem versatis atque discussis, tanta ex hac industria efflorescebat propositae quaestionis intelligentia, ut non modo auditores in abditissima sapientiae penetralia veluti manu duceret, sed et sacris concionatoribus aptissimam tutissimamque materiam suppeditaret ad dicendum, et ipsi animae caeleste pabulum quodammodo subministraret. Haec nisi fallor ipsi ratio docendi fuit, qua quidquid scholastici, et potissimum S. Thomas, subtili investigatione et pressa ratiocinatione excogitarunt, in suas ipse tractationes disquisitionesque derivaret; quidquid autem Patres in rem disseruerunt ad mysteria fidei enodanda et ab impugnationibus haereticorum vindicanda, tamquam arma firmissima adhiberet. Quo factum est, ut nec copia penitiori veritatis contemplationi officeret, nec contemplatio copiam desideraret: et si verum est quod Cornelius a Lapide monebat, rerum divinarum magistris non modo Cherubim arcana rerum cognitione, sed etiam Seraphim ardore spiritus, in docendo esse imitanda, illud profecto de Franzelino affirmare necesse erit, eum videlicet cum exquisita divinae religionis explanatione, tum doctrinae Patrum luculenta expositione id esse assecutum, ut pro suis viribus et Cherubim scientiam quodammodo et praefervidos Seraphim affectus imitando exprimere videretur. Quapropter simul in vulgus Franzeliniani tractatus prodire, non solum summis laudibus a viris doctissimis excepti et commendati sunt, sed etiam e suggestu a pluribus concionatoribus diserte propositi, et praesertim in regionibus quibusdam acatholicis, ex parte in vernaculum sermonem conversi; pluribusque editionibus brevi distractis, alias atque alias subinde adornare oportuit. Magna profecto

laus hominis sapientissimi, et cum excellentibus ingeniis quae hac nostra aetate floruerint citra dubitationem comparandi.

VII. Nec vero silendum putem id nonnisi magno cum labore et assidua contentione assequutum, quod nemini horum studiorum probe intelligenti ac perito mirum videri debeat. Qui enim noverit quam difficile sit disputationes omnes theologicas mente comprehendere, et ut ita dicam tamquam spectabile corpus undequaque intueri, cuiusquemodi difficultates circumspicere, sententias universas habere cognitatas et exploratas, Patres in rem dissimiliter disputantes, ad unum omnes habere prae oculis; theologorum omnium indicia et argumentationes ad obrusam exigere; tum ex tanta rerum multitudine succum et sanguinem, si ita loqui fas est, exprimere, integrum doctrinae corpus eflbrmare, causas et intima principia in ordinem redigere ut nihil operi desit, nihil abundet, sed omnia necessaria sint et indissolubili nexu colligata; qui inquam haec noverit ille profecto perspiciet, et quantopere ille desudaverit, et quantum laudis ei debeat obvenire, qui haec omnia susceperit ac porro perfecit: nec mirum erit cuiquam si Franzelinus toto se pectore totisque viribus, solidos dies et annos in pervolvendis Patrum theologorumque libris absumpserit. Plura edidit volumina quae hisce titulis inscripta circumferuntur. *De traditione et scriptura*<sup>^</sup> opus egregium et praeter ceteris fortasse laudatum; *De Deo Uno et Trino* duobus voluminibus pari doctrina et amplitudine; cui appendicis instar addi posset opusculum in heterodoxum quemdam Russiacum, de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio. *De Sacramentis in genere et*



*de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento*, duo item volumina in quibus praeter excellentem doctrinae copiam singulare fovendae pietatis studium elucet. *De Deo Incarnato*, et novissime *de Ecclesia*, quod postremum opus morte praeventus non omni ex parte absolutum reliquit, et nunc primum prodit in lucem.

VIII. Sed ut eo redeam unde digressus sum, principio novum docendi munus commodius exercere potuit, cum aliis gravioris momenti negotiis neququam distineretur. Mox ubi eius fama increbuit, pluribus muniis onerari coeptus est quae profecto si aequo animo suscepit pro suo subeundi laboris desiderio, non mediocre tamen ipsi onus imposuerunt. Complura enim sacra Urbis consilia, sive christiano nomini propagando, sive haeresi propulsandae et perduellibus ecclesiae vindicandis, aut negotiis ecclesiae extraordinariis pertractandis, aut parandae instruendaeque concilii Vaticani celebrationi, adiutorem variis collatis officiis arcessitum, tanta curarum mole obruerunt, ut nullam temporis partem labore vacuam haberet. Accedit eodem, quamdiu tenuit Concilium Vaticanum, pontificium theologum egisse, magnosque ad eum concursus fieri solitos fuisse hominum e quolibet ordine praestantium, qui virum tot animi dotibus illustrem, consulendum sibi in dies prope singulos et horas arbitrabantur. Ipse autem neminem reiicere, nullum laborem subterfugere, consilio, prudentia, hortatu praesto esse omnibus; qua scripto qua verbo responsum dare; quaecumque vero in urbanis consiliis eloqueretur accuratissime perpendere et exarare. Quae quidem officia, praesertim magisterio publico numquam intermisso quemadmodum praestare posset, vix intelligas. Eum certe, non solum amor

et si'immn existimatio, sed admiratio omnium comi-  
fabatur, in quibus erant Episcopi magno numero ea  
tempestate Romae degentes ipsiqqe S. E. R. Cardi-  
nales qui eius opera perlibenter utebantur, sicubi  
utilem sibi fore existimarent. Immo non multum  
abiit cum ipse Summus Pontifex Pius IX. tot meritis  
in homine modestissimo et laboriosissimo animad-  
versis, eum sacra purpura ornare constituit.

IX. Hoc autem quomodo factum sit operae pre-  
tium erit paulo fusius prosequi : magno enim docu-  
mento fuit eius virtutis, quae si umquam alias, eo  
maxime tempore luculentissime prodita est. Erat iam-  
dudum summus Pontifex in eum perbenevole animatus  
ob eius insignem sapientiam, et reliqua animi orna-  
menta. Cum enim eum sciret in quaestionibus ac in-  
diciis ad varias congregationes Urbis spectantibus, et  
acumine ingenii, et praestantia eruditionis et copia  
doctrinae, gravissimas quasque causas absolvere, trans-  
igere et expedire solitum esse ; non poterat quin  
eius in negotiis huiusmodi agendis peritiam magno  
in numero haberet. Accidit autem ut Eminentissimus  
Cardinalis Tarquini, cui honorificentissimam purpura-  
torum Patrum dignitatem eo etiam consilio detulerat  
ut suam in Societatem Iesu benevolentiam ostenderet,  
repentina morte praereptus obiret, vix altero mense  
post ei delatum sacrae purpurae honorem. Cuius viri  
scientia et virtute praestantis cum Summus Pon-  
tifex iacturam cum uno e nostris conquereretur,  
addidit sibi esse deliberatum, huic malo quam-  
primum mederi, et obversari sibi animo patrem illum  
qui cum difficillimae res agerentur, suam soleret  
tanta ingenii laude sententiam aperire, et quod  
multo pluris habendum esset, insigne sapientiae de-

f. > h

i

f



eus non minoris modestiae ac demissionis accessione cumularet. Quibus ille verbis Franzelinum sine dubio designabat ; quem cum aureo quodam numismate honoris causa donare vellet, aiebat Pontifex quodammodo totis artibus cohorruisse, et renuenti similem, apage, Beatissime Pater, ingeminasse, utpote qui se prorsus immerentem indicaret quem qualicumque honore aut munere summus Christiani nominis Parens dignaretur. Quod cum Pontifex, non ex quadam rusticitate profectum intelligent, sed ex demissione animi tam benigna amoris significatione obstupefacti, eo vel magis coepit eius admiratione affici et desiderio teneri. Decevit itaque perficere quod apud se pridem statuerat ideoque Eminentissimum Cardinalem Bilio, qui hominem plurimi faciebat et rei habebatur fautor et auspex, misit ad eum cum mandatis, ut suo nomine nunciaret, illum propediem in sacrum Cardinalium collegium adseitum iri. Quo nuntio incredibile dictu est quantam animi aegritudinem coeperit : obstupuit primo vixque sui compos concidit vultu et tanta edidit doloris signa, ut metum iniiceret ne repentino casu prope exanimatus procumberet. At Eminentissimus Bilio ad sedandam eius consternationem : enimvero ait, reverende Pater, aequius te putabam Summi Pontificis voluntati obsecuturum. Quibus verbis, pro ea qua erat obedientia, cum nihil haberet quod contra hisceret, conticuit parumper, mox in effusissimas lacrimas prorupit. Paulo post ad Summi Pontificis pedes provolutus, ingemere, incusare se, honorem detrectare, indignum, ineptum se dicere, rogare, obsecrare, omnia moliri, ut a se tantae dignitatis honorem deprecaretur. Cum autem nec illi nec A. R. P. N. G. Petro Beckx qui omnem non

movit lapidem ut Pontificem ab ea mente deduceret, res e sententia succederet, necesse fuit impositum subire onus, et divinae voluntati acquiescere. Non ille tamen moestitiam quae ex vultus conturbatione eminebat, cito deponere. Domum enim reversus, angere, torqueri et in suspiria erumpere non desiit, iterum clamans atque iterum; vixisse se iam satis; nihil sibi iam esse reliquum nisi ut ex hac vita migraret nec aliud superesse sibi praeter poenas ob suas sibi noxas ab irato Numine irrogandas. Quae cum frequentius diceret, mirum id moeroris videbatur omnibus causas tam subitae mutationis adhuc ignorantibus, et acrius reponentibus: resistendum fortiter esse angoribus animi et pusillanimitate depulsa, muneri quemque suo dare operam oportere. Ptes interea manavit in publicum et ad omnium aures pervenit. Discipuli ut mos est scholam subeuntem plausibus excipiunt et adeptos honores gratulantur, quippe qui sibi laudiverterent magistro suo tantum dignitatis conferri, ipsique Societati gauderent. Ille vero nihil moratus huiusmodi ovationes, tum gravitate vultus tum paucitate verborum planum fecit omnibus, quam sibi esset persuasum, infortunium sibi potius quam prosperi quidquam obtigisse. Deinde novas quae illi a nostris offerebantur vestes recusavit, obsoleta tunica contentus quam ad eam usque diem induerat; tum e collegio Germanico in alias aedes transmigraturus, non solum nostris, verum etiam cunctis collegii alumni pietate reverentia et demissione summa osculatus est pedes; ut in tota huius negotii serie perspectum fuerit omnibus quantopere a cunctis honorum insignibus abhorreret, atque in aversandis ex animo dignitatibus genuino Societatis spiritu duceretur.



Xdactus itaque praecepto obedientiae inter purpuratos Ecclesiae principes cooptatus est XVII. Kal. Mai. an. MDCCCLXXVI., et decem annos gessit hanc dignitatem maxima omnium approbatione. Optavit sibi contubernium in domo nostri olim tirocinii. quae templo sancti Andreae in colle quirinali adiacet; quaeque collegio Pio-Latino-Americano ad habitandum precario concessa erat, dum scilicet aedes novae instruerentur; demolienda brevi magna ut videtur ex parte a novis reipublicae gubernatoribus, qui tot iam religionis et antiquitatis monumenta funditus deleverunt, ibique reliquum vitae spatium difficillimis officiorum et negotiorum curis occupatus contrivit. Postremo laboribus, studio et aevo confectus, morbo quo iamdiu tentabatur coepit gravius conflictari, ad tantam virium debilitatem redactus ut iam pro certo haberet extremum sibi casum imminere. Illud autem prorsus singulare est, tempus eum multo ante praefinisse quo esset e vivis excessurus: testatus non solum sibi iam spatium non superesse ad novas Americanorum sedes commeandi, commodiore scilicet apud eos habitatione usuro; sed praeterea uni e nostris diserte et sine ambage professus, unum se aut alterum intra mensem interiturum. Pridie quam lecto se traderet, ut ut pessime haberet, sacro cuidam comitio et tam multis quae frequentabat interfuit; ex quo domuni se recepit defectus omnino viribus et profligatus. Totam diem extraxit utcumque; postridie mane de more strato surgere conatus, sensit se morbo opprimi, et omni robore destitutus decubuit. Quidquid industria, sollicitudine, medicorum artibus, ad eum iuvandum obtineri posset, adhibitum summa sedulitate summoque studio a nostris est; sed frustra. Emi-

nentissimos quosdam Ecclesiae Principes eum peramanter invisentes hilari vultu excepit, nec minus doloris acerbitate, quam grati animi significatione et exemplo suae virtutis ad lacrimas usque commotos dimisit. Quin imino ipse Summus Pontifex Leo XIII. a quo plurimum diligebatur aegerrime tulit carissimum sibi filium tam subitanea morte a se divelli *-et* unum e domus pontificalis Antistitibus legavit qui de statu aegrotantis ad se testis oculatus referret. A quo cum certior factus esset Franzelinum in praesentissimo lethi discrimine iam versari, nec spem affulgere ullam hominis recuperandi, eum voluit suprema precatatione suo nomine suaque auctoritate in articulo mortis expiari. Quam expiationem Eminentissimus Cardinalis Monaco La Valletta lacrimabundus, et singultu verba intercludente, clueto in eum crucis signo, impertivit. Inter haec Franzelinus toto animo crebrisque suspiriis et affectu suavissimo continenter in preces effusus, Deo se Beataeque Virgini et caelitibus patronis commendabat.

Semel atque iterum peccata confessus, et sacro viatico refectus est; donec Camillo Mazzella e Soc. Iesu Cardinali, Rectore domus, moderatore conscientiae suae, aliisque e nostris bene multis lectulum circumstantibus, nonnullis lugentibus, cunctis precantibus, placidissime vita functus est. Incidit eius obitus in diem XI. Decembris an. MDCCCLXXXVI. In demortui facie amabilitas quaedam et serenitas elucebat, quam eius integritatis, tranquillitatis et sanctimoniae indicem dixisses: dum autem domi cadaver servatum procuratumque est, mira quadam membrorum flexibilitate nullo negotio poterat quaquaversus moveri: nec gravis halitus quidquam exhalavit, nec tetrici-



tatem oris ullam praeterebat, quae ab eo invisendo, et pie deosculando quempiam deterreret: quo loco et honoris causa nominandos censeo collegii Pii-Latini-Americani alumnos qui tum viventi tum etiam vita functo omnem semper amoris et observantiae testificationem exhibuerunt. H

XI. Habuit in votis dum vita suppeditaret, et testamento conceptis verbis cavit, sibi ut extincto nulla parentaretur pompa funeris, sed usitato Societatis more exsequiae peragerentur. Ast aliter visum summo Pontifici, qui hanc eius voluntatem abrogandam ratus, praecepit ut iustis illi pro nostra consuetudine primum persolutis, mox eo funeris apparatu efferretur, qui purpurati Patris dignitatem deceret. Itaque servatis omnibus qui huius essent rei et temporis, postridie quam obiit, in sancti Andreae cadaver eius expositum: tum a meridie solemni pompa elatum ad sancti Bernardi (hoc enim erat illi curiale templum) et consueto ritu lustratum. Traductum inde ad publicum coemeterium in agro Verano, conditumque in monumento quod sibi Societas Iesu extruendum curavit, in loculo qui sepulcro Cardinalis Tarquini imminet, compositum est. Die vero Dec. 15. in eodem S. Bernardi templo solemniter illi parentatum coram multitudine confertissima. Aderant S. R. E. Cardinales sexdecim, quot post captam urbem ab anno vertentis saeculi septuagesimo, exequiarum causa simul numquam coierant; aderant legati apud sedem apostolicam Belgicus et Hispanus, pluresque Episcopi, quos inter, duo nomine Summi Pontificis: tum ex variis sacris consiliis urbanis in quae fuerat adlectus viri spectatissimi, ac multi religiosorum ordinum Antistites et collegiorum modera-^

tores. Expletis vero funebribus mirum quae quantaque de illo pro se quisque praedicaret, eius virtutes meritis laudibus efferendo, et tanti viri iacturam gravissimis questibus lamentando.

XII. Iam vero ut in hanc sententiam de eius virtutibus singillatim pauca prosequare, eius imprimis obedientiam perstringam quae tanta in eius moribus eluxit, quanta a Societatis lesu sodalibus exquiri vix posse videatur. Non solum enim moderatoribus nihil unquam molestiae aut negotii creavit, sed ipsis omnino se regendum ac gubernandum commisit more infantis. Novi ego minutissimas illum quasque facultates petere consuevisse, nec umquam elationis aut minus obsequentis animi indicium vel minimum prae se tulisse, adeo ut a maiorum iudicio ac voluntate vel tantulum discedere se haud posse indicaret: immo quo magis consenesceret, et fama gerendisq; muneribus clarior evaderet, eo perfectius obedientiam exercuisse: nec primis tantum praesidibus auscultare, sed et inferioribus morem gerere studiosissime solitum. Itaque si comperisset quempiam e superioribus quidpiam imperare aut cupere, abrupto sine mora quocumque opere quod forte haberet prae manibus, promptus et alacer eius mandata exequabatur. Quin imo etiam post delatum sibi purpurae honorem, quamvis horum auctoritati iam esset minime obnoxius, assuetus tamen Christum Dominum ex S. Ignatii praescripto in ipsis intueri, vel in tanta celsitudine gradus eisdem se libentissime morigerum praebebat. Tanta autem inter nos degens erat ingenii morumque tranquillitate, ut nemo fere eum domi esse sentiret, nisi cum diligentissime ad actus quoslibet communes provolaret; quod in homine tot partibus do-



ctrinae insigni, tot laboribus districto et innumeris occupationibus implicato, cum praesertim ab hac vivendi ratione numquam vel latum unguem secesserit,, nemini non videatur summopere commendandum.

XIII. Paupertatis erat amantissimus ut vere dici possit monitum s. Patris Ignatii eum accuratissime implevisse qui hanc virtutem diligendam esse praecipit ut matrem. Detritis lacerisque vestibus ex animo laetabatur; nec proprii quidquam aut singularis aut pretiosi apud se umquam esse passus est: quaelibet vitae commoda aspernatus, nullum quaesivit umquam laborum suorum subsidium aut levamen: rerum autem omnium amorem ita exuerat, ut unus ex iis qui ante exeuntem annum MDCCCLXXIIL publico mandato immissi in domos nostras cuncta quae privatim quisque apud se haberet scrutabantur et in codicem referebant, cum ab eo semel bis ac tertio perennetaretur utrum sua essent ea omnia quae in cubiculo haberet nullum aliud ab eo responsum extundere potuerit, nisi illius se usum supellectilis ac librorum habere. Doctissimas suas disputationes chartulis quaecumque occurrissent consignabat, et ad diurnas preces persolvendas codice utebatur usu detrito ac fere discisso. Eiectus autem ad PP. Cardinalium dignitatem, idem omnino facere perstitit quantum videlicet dignitati et decori consentaneum esset, peripetasmata, thoremata, signa, tabulas pictas aliaque id genus ornamenta ut cum maxime reiecit: quod ad vestes et totam rem linteariam attinet, nullos pro se novos umquam fieri sumptus patiebatur quos vera necessitas non postularet. De curru et equis sibi parandis ne cogitavit quidem, haec ipsa precario conducere solitus, nec vero in longius aliquod tempus, sed in dies

singulos, quoties ad rhedam adhibendam necessitate compelleretur: ac mirum dictu, decem ipsos annos non plus quam semel curru vehi se permisit ad relaxandum animum. Nihil omnino ex amplissima dignitate commoditatis percepit, nihil remisit de pristina rerum omnium abdicatione, nec passus umquam est sibi quidquam humani pulveris adhaerere, quippe qui Deum prae oculis unice haberet, eius gloriam unice appeteret, caelestia unice desideraret, terrena omnia aversaretur.

XIV. Carnis afflictationi studuit, nec quidquam erat voluntarii cruciatus quod libenter non admitteret, siquidem eo sibi uti liceret per moderatoris conscientiae facultatem, cui parebat in omnibus. Itaque flagris se caedere, catenulis corpus obstringere in more habuit; ieiunia quae ab Ecclesia indicuntur quamvis viribus extenuatus et imbecilla valetudine, numquam praeterivit, immo tanta austeritate observabat, ut praesertim vespere videretur magis in speciem descendere in triclinium, quam ad vires vel permissa coenula restaurandas: adeo cibi potusque parcus ut quidquid ei apponeretur delibare potius quam vel comedere vel haurire videretur. Ad extremum usque vitae spiritum, numquam induxit animum ut quibus diebus carnes ecclesiae lege vetantur, iis quacumque stomachi aegritudine laboraret, vesceretur, sed esuriales modo cibos adhibebat, et iamiam moriturus aegerrime adduci potuit ut nonnihil iusculi degustaret. Quam feria sexta abstinentiam nos de more custodimus, numquam praetermisit; in honorem vero Beatae Mariae Virginis, cuius erat cliens studiosissimus, et cuius laudes data occasione solebat publice praeconiis nobilissimis in caelum ferre,



singulis hebdomadis acre ieiunium exercebat, mane et vespere arido tenuique victu contentus. Sui vero contemptor acerrimus, vel gravibus morbis identidem prostratus, aut acerbissima tussi conflictatus, nihil sibi dari postulabat exquisitoris epuli aut remedii, sed ordinario cultu victuque extrahebat dies dum ab omni infirmitate expediretur. Eadem de causa iam Cardinalis, mutuis colloquiis relaxandi animi causa post prandium et coenam apud nos haberi solitis intererat nullis, si duos tresve dies in anno excipias, solemnitatibus maioribus dedicatos: immo ipso refectionis tempore fratrem domesticae adiutorem rei adhibere consueverat, qui pia lectione eius quoque mentem reficeret. Huc etiam facit quod quacumque caeli inclementia, vel quibuscumque tandem occupationibus implicitus, vel utcumque valeret, impediri numquam potuit quominus sacrarum congregationum conventibus statis diebus adesset, aut conciones sacro Cardinalium senatui habitas audiret. Ut paucis omnia comprehendam, tam rigido vivendi genere aevum traduxit, ut Eminentissimo Cardinali e Soc. Camillo Mazzella, summus ipse Pontifex Leo XIII. seu monitum seu consilium daret, ut ab asperitatibus Franzelinianis sciret sibi esse temperandum. Sed longior sim et limites commentarioli praetergrediar, si quae huc pertinent omnia commemorem.

XV. Religio quae virtus omnium nobilissima, respondebat ceteris eius virtutibus, ut quaecumque Dei cultum respicerent summo in pretio haberet, iisque sanctissime perfungeretur. Per hiemem iuxta ac per aestatem summo mane consurgens, meditationi rerum caelestium horam integram dabat, dein conscientia singulis prope diebus piaculari confes-

## — XXV —

sione abstersa, sacrum de more faciebat tanto animi ardore inflammatus et ea pietatis voluptate delibutus, ut videretur tanti excellentiam mysterii intime persentire. Nec mirum : fovebat enim hos ignes definitione mentis in Deum assidua, iugique orationis studio et exercitio. Nihil illi oratione optatius, nihil antiquius : quid plura? vel scalarum gradibus ascendendis et descendendis graduales quos vocamus psalmos tacitus obmurmurabat; devectus curru ad vaticanas aedes secuni animo et sine intermissione orabat, nihilque illi frequentius quam subsecivis horae momentis, mente in caelum sublata, Deum caelestesque patronos auxilio vocare. Paulo prius quam vitam clauderet, rheda perlustravit singula templa quae ex iussu Pontificis Maximi visebantur ad impetrandam veniam per iubilaeum concessam ; nec satis habuit praescriptas condiciones explere, sed totum itineris spatium decurrendis precibus confecit. Erat adeo sui diligens ac nihil magis refugiens quam quod Deo placere minus posse intelligeret, ut hac de causa factum esse putandum sit quod scrupulis laboraret. In iis enim quae ad Deum pertinerent tanta sedulitate tamque subtili suimetipsius perscrutatione ducebatur, ut nihil magis: veritus ne quo vel minimo errore humanae infirmitatis dedita opera laberetur, et vel levissimam animae integritati umbram offunderet. Miro autem Dei consilio evenisse dixerim; hominem longe doctissimum et rerum experientissimum, qui iudicio, prudentia et verbis per quam idoneis praesto esset omnibus quotquot illum consulerent, de sua re adeo nullam ferre potuisse sententiam seu verius ausum non esse, ut conscientiae suae ducem frequentissime conveniret. Compertum enim est Deum, simili experimento con-

i i i -

H &lt;



stantiam hominum sanctitate valde praestanti mu saepe numero probasse, ut eximiae virtutis exercitio scilicet humilitatis, obedientiae atque patientiae, ubi rem sibi copiam parerent meritorum, et hoc itinere arduo sane et salebroso, ad magnam animi munditiam et innocentiam pertingerent. Quae autem de spiritualibus rebus rite peragendis deque sacramentis digne recipiendis proposuerat, eiusmodi sunt quae hominem maximo religionis sensu penitissime affectum expriaiant, et totam eius sanctitatem paucis ut ita dicam ductibus delineatam fideliter subiiciant legentium oculis. Sed ne diutius hisce immorer, ad alia festino.

XVI. Magna in pauperes caritate ferebatur, et redditus sui maiorem partem publicis privatisque calamitatibus pro viribus sublevandis liberaliter impendebat. Si quem libellum supplicem acciperet, si per ephemerides necessitates quarumdam familiarum comperire!, fratrem sibi addictum submittebat ad parochum cum largitionibus et eleemosynis, cauto tamen semper ne illius nomen qui beneficium conferret pauperibus suboleret. Moniales vero temporis nequitia et importunissimorum hominum improbitate crudeliter divexatas, et ad extremam egestatem adductas commiserabatur quam maxime, et quicquid poterat stipis, libentissime illis impertiebatur. Quid enim sanctius quid dulcius a quoquam praestari possit, quam virgines Deo sacras, atque integerrimas Christi sponsas nullius criminis compertas praeterquam magni in Deum amoris et vitae innocentissimae, solari, reficere et ab extrema inopia luctuque revocare? Igitur qui res Ecclesiae summopere haberet cordi, temperare sibi non poterat quin tam electae Christi gregis por-

iioni summo studio opem levamenque afferret. Sed aliae praeterea Ecclesiae utilitates ipsi curae erant: expeditiones sacras dico, in Indias occidentales praesertim Sinarumque regiones, quarum opera et progressus diligentissime observabat, et quantum poterat provehebat. Itaque in has potissimum quidquid sua illi parcitas compendii faceret largiebatur. Non vacat nomina referre hominum et locorum, quibus opitulabatur insciis omnibus, praeterquam qui pecuniam acciperent. Illud tantum memoriae tradere opportunum duco, eius eleemosynas, benefacta et largitiones, ultra duo et quadraginta libellarum millia decem annis excrevisse. Neque eo contentus pauperibus ad ianuam quotidie convenientibus, piis institutis ipsisque sortitionibus publicis ad pauperes iuvandos, pecuniam impertiebat, recusatis tamen schedulis aleatoriis, ne ludendo quidquam velle se lucrari videretur. Quibus rebus conicere pronum est, non dicam nihil fere ipsi ex suis redditibus superfuisse, nec eum vel minima divitiarum cupiditate umquani laborasse, aut amori solum paupertatis induisisse, sed quanta in proximos caritate exardesceret, et quanta cura Ecclesiae incrementis faveret, qui de operibus quibuscumque piis, tam bene mereri contenderet, ut nihil sibi reliquum feceret, et omnia in illorum amplificationem et prosperitatem effunderet.

XVII. Eius denique humilitatem commemorabo, ceterarum omnium virtutum fundamentum, quam homines vera meritorum amplitudine praeclari, primo semper loco diligendam colendamque susceperunt, probe gnari, cetera quaeque ornamenta, nisi hoc fulcimine nitantur, exigui esse ponderis aut praesidii, immo collabefacta corruere. Hac ipse de causa, ut



eius verbo utar, magis cupiebat humiliari cum Christo quam quoslibet honores adipisci. Si quid ipsi adversi, aut parum laudabilis disputando studendoque contigisset, moderatissime atque adeo libenter perferebat. Nemini umquam auditus ullam ignominiae notam inurere, nemini succensere, nec quemquam aspernari seu privatim seu publice, quantumvis adversarium ; sed mentem suam clare et distincte aperiebat et solide tuebatur, sine animi similitate aut mentis aestu. Ceterum de se modestissime sentiebat, nec umquam opera sua gloriosius extollere cuiquam visus est, aut quidquam sibi laudi adscribere: cum dicere soleret plures pluribus in societate ministeriis esse idoneos, se vero praeter quam scholae quacumque demum ratione habendae, ceteris omnibus prorsus esse ineptum. Laudabat igitur in aliis efferebatque longe minora; in se vel maxima naturae dona nec agnoscebat quidem. Cuius indicii causa non semel moderatores rogavit suos ut a tradendis theologicis disciplinis, siquidem et illarum decori et iuventutis emolumentum consultum vellent, se omnium ineptissimum amoverent. Extremo morbo confectus si quid renuntiari vellet Summo Pontifici, hac dicendi formula utebatur: *abiicite me ad pedes Sanctitatis Suae*. Quibus vocibus videbatur significare quam se miserum indicaret quantoque sibi honori duceret iacere ad pedes Sanctissimi Patris et plena illi demissione animi famulari. Quam vero tenuem de se opinionem haberet, quam opera laboresque suos nihili penderet nec sibi quidquam arrogaret, vel ex illo datur intelligi quod in papyro conscripserat qui post eius mortem repertus est. Ibi praeter multa virtutis documenta haec habet: « *prolicio me tandem in abyssum divinae misericordiae*.

*ut propter infinita Iesu Christi merita, deprecationem B. M. V., tum Divo Iosepho meisque e caelo patronis suffragantibus, infelicis animae meae misereatur: meosque omnes e Societate fratres etiam atque etiam rogo ut causas omnes offensionis, et pessima quae ipsis exempla praebui mihi faciles volentesque ignoscant, nec mei memoriam adhibeant nisi ad implorandam in animam meam Supremi Numinis pietatem.* » Sed humilitatis eius commendationem quam superius Pii IX. P. M. testimonio inchoavi, placet absolvere auctoritate Leonis XIII. feliciter regnantis, quam ad extremum consulto reservavi tamquam gravissimum pulcherrimumque tantae virtutis elogium atque praeconium. Hic igitur cum Eminentissimo Cardinali Camillo Mazzella de laudibus Franzelini iam vita perfuncti longum sermonem ingressus haec inter alia diserte locutus est, quae, a sanctissimo Patre eodemque acerrimo rerum hominumque aestimatore prolata, summa profecto in laude ponenda sunt. « *Fateor, inquit Sanctissimus christifideliuni Magister ac Parens, me plurimi eius indicium, prudentiam doctrinamque fecisse; verum haec humana sunt nec limites naturae excedunt; illud vero ego prae omnibus sitispexi, eitm scilicet tanta humilitate praeditum fuisse ut nihil supra. Ad me ventitabat ea modestia et demissione seu potius trepidatione comparatus, ut contentus esse non videretur, nisi ritu infantuli omnes mihi sitas anxietates, perplexitates, angores candidissime aperuisset plenamque sui reddidisset rationem, titulosque omnes conguessisset quos in suum dedecus cessuros existimaret, in me spem omnem aeternae suae salutis repositam se habere testatus: nec intelligebat*

#1

K!\*



*bonus et sanctus ille cir quo se magis infra omnes abiicerct, eo me maiorem de illius sanctitate opinionem efformare.* » Quo testimonio quid praestabilius esse possit non video.

XVIII. Hoc modo factum esse puto, ut de eo praedicari possint adamussim verba servatoris nostri Iesu Christi, *qui se humiliat exaltabitur*. Quanto magis enim a propria exstimatione discessit, tanto apud omnes dignior laude vixit, et quo longius ab honoribus prosequendis abhorruit, eo propius ad eos accedere coactus est. Duos Pontifices qui nomine et rebus praeclare gestis orbem terrarum impleverunt, studiosissimos fautores, admiratores laudatoresque nactus, bene mereri de Ecclesia universa potuit nomenque suum in ultimas terras cum magno rei Christianae emolumento, ad memoriam sempiternam propagare: Societati vero cui nomen dederat tanta virtutis exempla, tantumque sui desiderium reliquit, ut eum cum Bellarminis, Ptolomaeis aliisque huiusmodi principibus viris comparare merito possit, qui in summo dignitatis fastigio constituti, visi sunt nihil aliud prae oculis habuisse quam ut Ecclesiae sanctae et apostolicae Sedi omni cura studioque famularentur ac se dignos Societatis alumnos exhiberent; posteris autem ea doctrinae et sanctitatis monumenta ante oculos ponerent, quibus edendis bona eorum mater Societas Iesu e cuius disciplina prodierant, aptos instructosque reddiderat.

Quod si tanta in terris praemia consecutus est

naeque praestantia totius vitae studio ac pertinaci labore comparata et eximiae virtutes pepererunt; nemo credo erit qui dubitet multo eum ampliora mu-

nera Deo assequutum cui se suaque omnia plane devovit: puto autem hanc ipsam qualemcumque scriptiunculam argumento esse posse ad huiusmodi spem fovendam, ac tantam ei felicitatem quam in votis unice habere visus est ex animo .gratulandam. Reliquum est ut eius vestigiis insistamus, constanti aemulatione virtutum, similem et nos studiorum et laborum quorumcumque nostrorum mercedem in aeterna beatitate recepturi.

## SECTIO I.

QUAE CONTINET TRACTATUM PRODROMUM  
DE ECCLESIA DEI GENERATIM SPECTATA,  
de ecclesia veteris testamenti eiusque institutis  
in relatione ad testamentum novum,  
de notione et distinctione triplicis potestatis  
IN ECCLESIA.

### THESIS I.

#### *De significatione nominis « Ecclesia n.*

« Nomen *Ecclesia* habet quidem etiam *genericam* significationem coe-  
tus multorum, quatenus ad unitatem aliquam convocati considerantur;  
significatio tamen *specificam* atque ex usu loquendi biblico et ecclesia-  
stico maxime propria est religiosa, ut Ecclesia sit societas vero Dei  
cultu unitorum, quae significatio iterum vel universali extensione vel  
restrictione aliqua peculiari accipitur, π

Ne significationes diversae, quibus appellatio *Ecclesia* in divinis litteris et in ceteris monumentis sacris usurpatur, nostram tractationem ex iisdem documentis Deo favente habendam quodammodo interturbare videantur, abs re non erit multiplices illas significationes, quod a plerisque fieri consuevit, ante ipsum commentationis ingressum in unum veluti conspectum ponere.

I. Nomen *Ecclesia* tum ex suo etymo tum usu apud scriptores sacros et profanos significationem genericam habet multitudinis evocatione in unum collectae; est enim Εἰζλησι *evocatio*, atque inde εκκλησια significatione concreta sunt collecti illi ipsi, qui evocatione in quandam unitatem convenerunt. Secundum ipsam igitur notionem genericam Ecclesia concipi nequit, quin sint multi iique naturae ra-



tionalis, et horum multorum sit aliqua unitas ad finem communem. *Evocatio* enim sensu proprio et non metaphorico ad solas creaturas racionales fieri potest; et cum eius terminus est Ecclesia seu unitas multorum, ipsamet vocatio rationalis esse nequit, quin huic multorum unitati proponatur aliquis *finis* obtinendus. At vero in generica hac significatione nec forma unitatis nec finis, qualis sit determinatur; atque ita coetus non modo forma et fine religiosus, sed etiam profanus et politicus *ecclesia* dicitur. Act. XIX. 22. 39. 40; imo etiam « ecclesia malignantium » Ps. XXV. 5. Frequentius generali hac significatione pro conventu politico vel iudiciali graece et latine nomen ecclesia ponitur in veteri Testamento. Iudie. XX. \*2; Ecclesi. XXI. 20; XXIII. 34; XXXIII. 19; XXXVIII. 37; 1. Macch. III. 13; V. 16; XIV. 19. Aliquando in ista significatione graecum ἐκκλησία in latina vulgata versione redditur *concio* (a concieo) Deut. XVIII. 16; *concilium* Iudith VI. 19. (graece 21.) et alibi (1).

II. Verumtamen solemni et communi usu in libris sacris Ecclesia significat coetum, quatenus forma et fine religiosus est, nempe Deo sancte religatus (Lactant. Divin, institut. IV. 28; Hieronym. in Amos IX. 6.) et consecratus; adeoque Ecclesia, quo nomine in Scripturis sensu hoc religioso et communi numquam designatur nisi Ecclesia *vera*, dicitur societas per veram religionem tamquam suam formam essentialem seu vero cultu cum Deo et inter se coniunctorum. Cum porro vera religio in praesenti ordine historico nec sit nec umquam fuerit alia quam revelata et supernaturalis; hinc finis et forma Ecclesiae, eius unio cum Deo et in suis membris, singulorum ad eam vocatio, tota denique eius institutio supernaturalis est, ac proinde Ecclesia intelligitur *societas supernaturalis*.

Haec propria significatio Ecclesiae in usu loquendi sacro *quoad extensionem* quasdam subit modificationes.

1°. Notio fundamentalis ubique sese offert, ut Ecclesia sit ipsa supernaturalis societas omnium vera religione Deo et inter se coniunctorum, adeoque societas destinatione *uni-*

(1) Ita etiam apud scriptores profanos: legatis dare τὴν ἐκκλησίαν Polyb. Rist. IV. n. 34; criminari ἐν ἐκκλησίᾳ χα: προ πασιν Pintarch, (Phocion n. 9).

*versatis*, quae religione revelata formatur, et ordinatur ad suum finem. In hac significatione principali numerus pluralis Ecclesiarum repugnat haud secus ac in aliis omnibus nominibus universalitatem vel perfectionem absolutam designantibus. Principalem dico significationem, quatenus usus loquendi tum biblicus praesertim novi Testamenti, tum ecclesiasticus hunc sensum nominis Ecclesia ita determinat, ut debeat haberi prae reliquis significationibus maxime proprius, et nisi ex contextu aliud appareat, Ecclesia simpliciter dicta semper hac notione intelligatur (1). « Aedificabo Ecclesiam meam; Christus caput est Ecclesiae; Dilexit Ecclesiam et semetipsum tradidit pro ea; Ipsi (Deo) gloria in Ecclesia et in Christo Iesu in omnes generationes saeculi saeculorum; Innotescit per Ecclesiam multiformis sapientia Dei; Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis; Sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia; Posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores; In quo vos posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo; » et alia passim obvia. Matth. XVI., Ephes. I. III. IV. V., I. Cor. XII., Colos. I., 1. Tim. III., Act. XX.

2°. Ex textibus, cuiusmodi sunt nunc citati, patet cur, ubi de regimine, magisterio, ministerio Ecclesiae agitur, illi ipsi qui ad haec munia in aedificationem corporis sui a Christo in Ecclesia positi sunt, principaliter sint et a Salvatore ipso atque inde usu ecclesiastico universali dicti fuerint *Ecclesia*. Si peccaverit in te frater tuus, et si neque te neque adhibitos privatos testes audierit, *u* dic (pro tribunali) Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis (Apostolis), quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis » sqq. Matth. XVIII. 17. (2). Haec significatio Ecclesiae nempe docentis et regentis, inadaequate distinguitur

(1) *u* Ecclesia proprie inde dicitur, quod *omnes* vocantur et in unum congregantur » δια το παντα εχχαλειοθαι και ομου συναγειν. Cyrill. Catech. XVIII. Auctor qq. de parabolis Script, q. 27. (inter Opp. Athanasii).

(2) Principes et indices populi Ps. LXXXI. dicuntur in version® graeca et latina « synagoga (quod verti etiam posset Ecclesia) deorum » quod ipsum nomen ΓΠ17 sicut p alias totum populum Israel designat,



ab altera paulo ante explicata; significatur enim Ecclesia non solum ut pars in toto, sed ut pars essentialis et quodammodo forma visibilis non tam contenta in toto quam potius continens et formans totum; unde est illud ss. Patrum dictum, ut suo loco videbimus: « Ecclesia est in Episcopo. »<sup>9</sup>

3<sup>o</sup>. Ecclesia simpliciter dicta atque adeo universalis constat ex ipsa divina institutione coetibus multis tamquam membris ac partibus, quae singulae referunt imaginem et participant naturam totius, prout fert proprietas partium totius organici. Ita saepissime *Ecclesia* praedicatur cuni restrictione expressa ad rationem partis. - Ecclesia quae est Ierosolymis, Antiochiae, Corinthi, in Cenchris, Thessalonicensium, in Babylone › (Romae). Etiam u domestica Ecclesia » (Priscillae et Aquilae), quae in domo (Nymphae) est Ecclesia, Ecclesia quae in domo tua (Philemonis) est. » Unde frequenter in numero plurali dicuntur - Ecclesiae Dei, Ecclesiae sanctorum, Ecclesiae gentium. Ecclesiae in Iudaea, Ecclesiae Asiae, Galatiae, Macedoniae † et ita porro. Haec ubique obvia sunt in Actis, in epistolis Apostolicis, in Apocalypsi, a Responsum est a Catholicis, etiam multas Ecclesias in Scripturis inveniri dictas, et septem ad quas Ioannes scribit, quae tamen multae illius unicae membra esse intelliguntur<sup>9</sup> August, collât. III. cum Donat, c. 10. u Ecce sunt in Ecclesia Ecclesiae.... at sunt hae omnes membra unius Ecclesiae toto orbe diffusae » Id. de unit. Eccles, c. 11. Vide etiam Chrysost. in 1. Cor. hom. I. n. 1. Pridem Cyprianus cum matre et septem filiis (2. Macch.) comparans septem Ecclesias quibus Paulus epistolas scripsit, et septem memoratas in Apocalypsi celebravit Ecclesias multas ut unam familiam, quae est Ecclesia una a Christo aedificata super Petrum. « Cum septem liberis plane copulatur et mater origo et radix, quae Ecclesias septem postmodum peperit, ipsa prima et una super Petrum Domini voce fundata<sup>9</sup> Cyprian, de exhort, martyr, ad Fortunat, ed. Baluz. p. 270. L. de Testim. Script, ad Guarin. p. 201.

Aliquando non tam societas fidelium per se spectata quam coetus actu congregatus ad religiosam cultura nomine *Ecdesiac* significatur Convenientibus vobis in Ecclesiam

(paulopost, convenientibus vobis in unum ε-ι το κϋτο), loqui, tacere in Ecclesia » 1. Cor. XL XIV. Frequentius hoc sensu occurrit in veteri Testamento 3. Keg. VIII. IL 22. 25; 1. Parai. XXIX. 20; 2. Parai. VH. 8; Ps. XL VII. 27; loel. II. 16. et alibi.

4'. Inter Ecclesiam universalem simpliciter dictam et significationem partium ac velut membrorum illius unius Ecclesiae, de quibus diximus, quodammodo media est significatio, qua in veteri Testamento societas religiosa populi Israel dicitur Ecclesia, Ecclesia Domini, Ecclesia Israel Num. XIX. 20; XX. 4; Deuteronom. XXIII. 1. 2. 3. 8; 2. Esd. XIII. 1; Thren. I. 10; Act. VII. 38. Comprehen- dit enim Ecclesia ita spectata societatem divinitus institu- tam *peculiaris* populi Dei, non tamen simpliciter totum populum Dei. Nam et ante foedus peculiare initum cum Abraham, confirmatum et amplificatum in Sinai erant filii Dei justificati per fidem inde ab Adam (Gen. VI. 2; Korn. IV. 10. 11; Heb. XI.); nec promissio universalis in Adam toti generi humano a Deo facta (Gen. III. IS.) per illud foedus peculiare abolita est aut restricta, sed in uno populo electo .specialius conservata, propagata, et distinctius explicata. Haec igitur peculiaris Ecclesia populi Israel constituebat partem praecipuam totius Ecclesiae Dei iam in primis pa- rentibus pro omnibus posteris promissae, eratque illa velut sal terrae et lumen mundi pro omnibus gentibus, in quibus volebat Deus voluntate antecedente Ecclesiam populi Dei universalem iam in Paradiso statim post lapsum institutam. Quare non ab hac Ecclesia universali seu a populo Dei sim- pliciter sed ab illa peculiari Ecclesia Israel Deus exclusas voluit gentes de quibus mandavit: « etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in aeter- num; » aut duas generationes aliarum, de quibus dixit: « tertia generatione intrabunt in Ecclesiam Domini » Deu- teron. XXIII. 3. 8.

Non raro praesertim in Psalmis sensu immediato quidem Ecclesia Israel peculiaris, sensu autem pleniori et typico Ecclesia universalis in perfectione novi Testamenti intelli- genda est. Ita sine dubio in Psalmis typicis XXI. (Heb. XXII.) 23. 26. (cf. Heb. II. 12.); XXXIV. (XXXV.) 18. (cf. 19.



cum Io. XV. 25.); XXXIX. (XL.) 10. (of. 7-9. cum Hei). X. 5.); LXXXVIII. (LXXXIX.) 6. (cf. 5. 26-30. cum

Obiter hic memorabo, quae Augustinus et poet ipsum theologi disputant de nomine *synagoga*. Quae scilicet veteris Testamenti *Ecclesia* Israel dicitur, in versione graeca et latina saepe etiam appellatur *synagoga* Exod. XVI. 3. (graece, ubi latine est *multitudo*)] XXXIV. 31; Num. IV. 34; XXXI. 31; Io. IX. 22; Act. XIII. 43. et alibi; vel etiam coniunctim *u* in medio Ecclesiae et synagogae » (1) Prov. V. 14. Hinc quaesitum est, *a*) utrum aliquid distet inter significationem horum nominum; *b*) utrum Ecclesia etiam novi Testamenti dici possit *synagoga*; *c*) utrum in Scripturis aliquando ita dicatur? Augustinus et post ipsum plerique theologi ad primum animadvertunt, inter duo nomina hoc distare, quod *Ecclesia* seu evocatio non nisi de rationalibus creaturis, *synagoga* vero seu congregatio aut coactio non de his solis sed etiam de irrationalibus proprie

αγωγή λίθων Iob. VIII. 17. Hinc ad secundum respondent, Ecclesiae novi Testamenti potuisse quidem aptari etiam nomen *synagoga*, quemadmodum et oves Christi appellantur; melius tamen gratiam vocationis significari expresso nomine *Ecclesiae*. Ad tertiam denique quaestionem negant, ullibi in Scripturis Ecclesiam novi Testamenti appellari nomine *synagogae*. « Quamvis proprie dicatur *synagoga* Iudaeorum, *Ecclesia* vero Christianorum, quia congregatio magis pecorum, convocatio vero magis hominum intelligi solet; tamen et illam dictam invenimus Ecclesiam, et nobis fortasse magis convenit dicere: salva nos Domine Deus noster, et *congrega* nos de nationibus... Neque dedignari nos oportet, immo gratias ineffabiles agere, quod sumus *oves* manuum eius, quas praevidebat cum diceret: habeo alias *oves* quae non sunt ex hoc ovili, oportet me et ipsas adducere, ut sit *unus grex* et unus pastor » August, in Ps. LXXVH. Ad omnes tres supra propositas quaestiones responsionem habes apud eundem paucis verbis comprehensam: « In synagoga

populum Israel accipimus, quia et ipsorum *propria synagoga* dici solet, quamvis et Ecclesia dicta sit. Nostram vero Apostoli *munquani synagogam dixerunt* (1) *sed semper Ecclesiam*, sive discernendi causa, sive quod inter congregationem, unde *synagoga*, et convocationem unde *Ecclesia* nomen accepit, distat aliquid; quod scilicet congregari et pecora solent... convocari autem magis est utentium ratione, sicut sunt homines » Id. in Ps. LXXXI.

5°. Significationibus hactenus propositis directe intelligitur Ecclesia adhuc in via tendens ad supremam suam perfectionem et ad finem ultimum, hoc tamen ipso connotatur Ecclesia etiam pro hoc termino perfectionis et glorificationis, ad quem in via praeparatur et dirigitur. Quando enim Christus *u* dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed sit sancta et immaculata » (Eph. V. 25. sq.); haec purificatio et sanctificatio Ecclesiae in praesenti quidem stadio efficitur, sed ita et eo fine, ut plene perficiatur tandem in termino glorificationis, ubi sine macula et ruga in omnibus suis membris erit sancta et immaculata. De hac connexionione et connotatione Ecclesiae in termino glorificationis cum praesenti stadio praeparationis saepe monuit Augustinus in suis libris contra Donatistas, praeformatores haeresis Catharorum. *u* Ubicumque in his libris (de Baptism, contra Donat.)

(1) Recentiores aliqui proferunt duo loca, ubi Ecclesia graece dicatur συναγωγή Iac. II. 2. et επισυναγωγή Heb. X. 25. Atque inde exprobrant Augustino et theologis qui illuni sequuntur, quod latinam versionem tantum non textum graecum legerint. Sed hoc nihil est; nam priori loco vel non de Ecclesia sed de quovis eonsessu sermo est, vel certe non de Ecclesia Iesu Christi simpliciter dicta, quam Augustinus considerat, sed de aliquot fidelium sive multorum sive paucorum simul consistentium congregatione, quae rectissime in Vulgata latina dicitur « conventus vester, » Nec magis in loco altero Ecclesia, de qua theologi iuxta mentem Augustini loquuntur, significatur nomine επισυναγωγή; sed est ea congressus seu, ut habet interpres latinus, collectio fidelium, quemadmodum iam praepositio *π. i* et tota enuntiatio manifestum reddit: « Non deserentes (intermittentes) collectionem nostram (μη εγκαταλειποντε την επισυναγωγήν ιαντων) sicut consuetudinis est quibusdam, consolantes. »



commemoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est, quasi iam sit, sed quae praeparatur ut sit, quando apparebit gloriosa *n* Aug. *Retract.* II. 18. Nunc - augmentum corporis facit in aedificationem sui, *f* tunc autem erit consummata *a* in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi  $\eta$  ( $\xi$ ); μετοον ηλικία του πληρώματος του Χριστου) *Epist.* IV. 12-16.).

Iam vero *Ecclesia*, qua significatione concludimus hanc quaestionem nominalem, aliquando *directe nominatur* spectata secundum finalem perfectionem. Ita celebrat Apostolus *a Ecclesiam primitivorum* qui conscripti sunt in coelis » *Heb.* XII. 23. Haec de nomine satis sunt, de re ipsa in sequentibus.

## THESIS II.

### *De Ecclesia Dei spectata secundum notionem amplissimam communionis sanctorum.*

« Ecclesia Dei secundum amplissimam notionem spectata est super-  
\* naturalis societas seu civitas eorum omnium, qui sive angeli, sive ho-  
\* mines ab Adam usque ad consummationem sub capite Christo *fide in*  
\* *via, visione beatifica in termino* adhaerentes Deo uniti sunt ad *coni-*  
\* *unionem sanctorum.* »

I. Creaturae rationales omnes ex ipso quidem naturae ordine essentiali factae sunt ad Deum, principium et ultimum finem, primam veritatem et summum bonum, modo facultatibus naturalibus congruo cognoscendum et amandum, atque ad suam perfectionem et beatitudinem naturalem (h. e. non supra sed iuxta exigentiam naturae rationalis) in Deo ultimo fine cognito et amato obtinendam. Unde etiam in ordine naturali omnes creaturae rationales haberent seu deberent habere naturalem unionem cum Deo principio ac fine atque hoc ipso inter se invicem, cognitione et amore sive in via adhuc ad terminum sive iam in termino constitutae. Hic ordo communionis naturalis creaturarum rationalium dici posset regnum *Dei creatoris*, non tamen *Ecclesia Dei* in significatione nobiliori, quae nunc est propria

*regni Dei sanctificatoris* secundum usum nempe loquendi sacrum includens creaturarum *Meationem supernaturalem* (την ἰ.ζλησιν) per dona superaddita ad finem, qui est supra exigentiam et. potentiam naturae creatae.

Iam vero ad ipsum hunc ordinem supernaturalem universitas creaturae rationalis, *angeli* videlicet et *homines* eveci sunt, et vel per dona gratiae in via ducendi ad finem supernaturalis visionis et fruitionis Dei, vel iam perducti ad hanc finalem visionem et fruitionem in donis gloriae.

) Qui ex angelis cum essent in via, per peccatum ceciderunt, ii a suo fine, intellectus et voluntatis perversione delapsi, omnibusque donis supernaturalibus spoliati in aeternum manent ex hoc ordine exclusi; qui vero in veritate et charitate perstiterunt, ii iam finem ultimum assecuti in aeterna visione et glorificatione coelestem constituunt vel potius complent hierarchiam.

) Humanum genus peccato in primo genitore, sua nempe radice secundum ordinem physicum suaque origine (originalité) secundum ordinem moralem quatenus ille in originali iustitia constitutus totum suum genus repraesentabat ad eorundem donorum hereditatem vel privationem, gratia sanctificante ceterisque donis gratuitis privatum, ac proinde exulans a fine supernaturali, non tamen secundum iustitiam derelictum est, sed ex gratuita Dei misericordia restauratum. Deus Verbum enim ex hoc ipso genere primi Adam assumere voluit naturam humanam et nasci secundus Adam, ut tamquam caput pro membris satisfaciendo et merendo repararet gratiam et gloriam. In ipso igitur aeterno divino consilio incarnationis Verbi Redemptoris patet decretum esse *opus redemptionis* seu *mundum redemptum*, (pii per applicationem redemptionis in actu secundo (ut suo loco videbimus) est *Ecclesia acquisita sanguine Dei* (Act. XX. 28.) *u* Dominus dixit ad me. Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae » Ps. II.

Quamobrem sicut omnes homines secundum naturam ex primo Adam nascuntur filii irae in statu lapso, ita ex gratia



redemptionis secundo Adam inserendi sunt per fidem, spem et charitatem. « Quod scriptum est, non esse aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est genus humanum; sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. Quia sicut in regno mortis nemo sine Adam, ita in regno vitae nemo sine Christo » Aug. ep. 190. al. 157. Donorum vero et subministrationum a Christo capite dimanantium fundamentum et radix est fides (Cone. Trid. sess. VI. c. 8), qua velut prima iunctura (Eph. IV. 16.) inseruntur membra Christo capiti status reparati. Fide ergo destituti sub Christo capite totius ordinis reparati membra sunt destinatione tantum ac debito; re autem manent ab eo avulsi secundum habitum, non tamen secundum omnes gratias actuales et transeuntes (1).

Porro totius humani generis reparandi et Christo secundo Adam inserendi duo praecipua velut stadia distincta sunt ex eo, quod magnum pietatis sacramentum initio statim post lapsum erat in promissione quidem et per decursum aetatum in continua praeparatione, sed non nisi in plenitudine temporis manifestatum est in carne (1. Tim. III. 16; Colos. I. 26; Gal. IV. 4.). In stadio priori praeformabantur membra Christo capiti, qui erat exspectatio gentium; in altero formantur eidem capiti Christo, qui iam consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae (Heb. V. 9.); ibi praeformatio per fidem in Redemptorem promissum, hic formatio per fidem in eundem Redemptorem iam missum; unde ibi sacrificia, sacramenta, instituta omnia typi erant et paedagogia ad Christum, hic sunt res ipsa et causa coniunctionis seu insertionis actualis in Christum; ibi umbrae, hic corpus (Coloss. II. 17.); ibi prophetia praenuntians, hic evangelium adimplens; gratia vero eadem, sed ibi ex meritis Christi adhuc futuris et ideo parior, hic ex meritis eiusdem iam consummatis et hinc abundantior. « Non itaque novo consilio, ait s. Leo, Deus rebus humanis nec sera miseratione consuluit; sed a

(1) Vide propositiones damnatas 26. 27. 29. in Bulla « Unigenitus » s. 22. in Bulla « Auctorem hdei. »

constitutione mundi unam eandemque omnibus causam salutis instituit. Gratia enim Dei qua semper est universitas iustificata sanctorum, aucta est Christo nascente non coepta; et hoc magnae pietatis sacramentum quo totus iam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint, qui illud credere promissum, quam qui susceperunt donatum » s. Leo serm. 23. (de Nativ. 3.) n. 4. cf. serm. 24. n. 1. Eadem luculentius in libris de vocat. gent. « Nec praeteritis quidem saeculis eadem gratia, quae post Domini nostri I. Christi resurrectionem ubique diffusa est, defuit mundo... Sed cum in illo populo cui utraque eruditio praefuit (per legem scriptam\* et per totius creaturae testimonia), nemo nisi gratia iustificatus sit per spiritum fidei, quis ambigat, eos qui de quibuscumque nationibus quibuslibet temporibus Deo placere potuerunt, spiritu gratiae Dei fuisse discretos? Quae etsi parior ante atque occultior fuit, nullis tamen saeculis se negavit, virtute una, quantitate diversa: consilio incommutabili, opere multiformi » De vocat. gent. L. II. c. 4. 5. Fide igitur et gratia ab exordio usque ad finem saeculorum fideles omnes coniunguntur in Christo et ad Christum, unamque formant Ecclesiam sensu latiori, quo nunc eam consideramus, u Praecesserunt iusti sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum qui venit... eadem tamen fides utrosque coniungit et eos qui venturum esse, et eos qui eum venisse crediderunt n Aug. in Io. tract. 45. n. 9. « Sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt Ecclesiae constituti n s. Greg. L. V. ep. 18. ad Io. Ep. C. P. « Conditor noster habet vineam, universalem scilicet Ecclesiam, quae ab Abel iusto (1) usque ad ultimum electum qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. » Enumerat deinde omnes aetates, quibus u ab huius mundi initio usque in finem ad erudien-

(1) Saepe Patres et antiquiores scholastici videntur exordium Ecclesiae repetere potius ab Abel quam ab Adam; sed omissis rationibus quibus alii aliter hunc modum loquendi explicant, simpliciter dicemus illos du exordium definire, sed Ecclesiam in terris cum primo ex eius meritis defunctis coniungere voluisse, Cf. Snarez de Fide disp. IX. sect. 2,



dam plebem fidelium praedicatores congregare non destitit. - Ab Adam usque ad Noe, a Noe usque ad Abraham, ab Abraham usque ad Moysen, a Moyse usque ad adventum Domini, ab adventu Domini usque ad finem mundi « prius per patres, et postmodum per legis doctores et prophetas, ad extremum vero per Apostolos quasi per operarios in vineae (universalis scilicet Ecclesiae) cultura laboravit » Id. in Evang. hom. 19. n. 1.

Haec sunt commentarii instar ad doctrinam Apostoli, ubi veterem oeconomiam remissionis « praecedentium delictorum » per fidem in propitiatione Christi adhuc futura, coniungit cum oeconomia in praesenti tempore iustificationis per fidem in eadem propitiatione iam praestita. « Instificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius *ad ostensionem iustitiae suae* (iustitiae iustificantis) *propter remissionem praecedentium, delictorum in sustentatione Dei* (iv τη χνοχη j Θεου in Ion<zani mitate Dei), ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempore (satisfactionis iam praestitae), ut sit ipse iustus, et iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi \* (tum praesentium antecedenti tempore) Rom. III. 25. 26; Heb. IX. 15.

Si ergo gratia redemptionis in Christo Iesu spectatur, quae iustificat per fidem (tamquam radicem et fundamentum) in sanguine ipsius, omnes qui per veram fidem pertinent ad caput Christum, constituunt sub capite Christo *unum populum Dei*, in oeconomia praeparationis ab Adam usque ad adventum Christi, in oeconomia perfectionis a Christo usque in finem saeculorum (cf. Tract, de Trad, th. XXVI.). Hinc saepe in Psalmis et in Prophetis de filiis Abraham patris omnium credentium, de Israel, Ierusalem, Sion sermo ita est, ut spectetur unus populus Dei secundum duplicem oeconomiam, et quae in illis oraculis dicuntur, ei convenient partira secundum unam partira secundam alteram, vel in sensu minus pleno secundum priorem, in sensu pleniori secundum posteriorem. Lege e. g. postrema capita Isaiae 41. sqq. Imo plerumque non solum duplex istud stadium Ecclesiae in via sed simul etiam status eius glorificationis in termino includitur, de quo nunc paucis dicemus.

II. Sicut oeconomia antiqua inchoationis cohaeret cum oeconomia nova perfectionis, ita haec coniungitur cum statu finali glorificationis (cf. Tract, de Sacram, in genere th. II.). Christus satisfactione, redemptione, meritis suis, subministratione omnium gratiarum, fide, spe et charitate non modo in unum populum Dei coniungit homines utriusque oeconomiae, ipse summus angularis lapis, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, de quibus diximus; sed populus Dei in via qua tenditur ad terminum, manet coniunctus cum fratribus suis, qui iam sunt in termino per eadem Christi merita consummati, ubi fides et spes transeunt in visionem et fruitionem, charitas autem numquam excidit, sed perficitur secundum perfectionem visionis in fruitione. Eadem ratione iam in stadio viae facti cives sanctorum et domestici Dei (Eph. II. 19.) habent communionem cum angelis sanctis, qui omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis (Heb. I. 14.) « Una civitas Dei, cuius pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur » Aug. Civ. Dei L. X. c. 7; Enchirid. c. 06.

Omnes igitur fideles ab Adam usque ad finem huius mundi in multiplici varietate charismatum, gratiarum, virtutum et meritorum dum versantur in via, quibus accenseantur oportet etiam animae iustae post mortem adhuc poenis purgandae et ita perducendae ad terminum, omnes sanctorum iam consummatorum ordines et angelorum chori in tanta distinctione graduum sanctitatis et gloriae a Virgine matre Dei, coelestis et terrestri hierarchiae regina, usque ad ultimum sanctorum civem ibi regnantem constituunt unam civitatem Dei supernaturalem vocatione, gubernatione, beatificatione, gratia et gloria, sub uno capite Christo qui sicut in sua persona unitam habet divinae humanam naturam, ita mediator Dei et hominum ipse Deus-homo reconciliavit terrena coelestibus.

Hoc modo Paulus per Christum et sub Christo capite, quae sunt in coelo et quae in terra, coniuncta esse docet in unam Ecclesiam. « Ipse est caput corporis, Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens; quia in ipso complacuit omnem



plenitudinem inhabitare: et per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris sive quae in coelis sunt » Col. I. 18. Hanc *pacificationem* terrestrium et coelestium in uno capite Christo Apostolus alibi appellat omnium quae in coelis et quae in terra sunt, *recapitulationem* in Christo, seu restorationem ad unum caput Christum, ἀνακεφαλαιωσασθαι τὰ πνεύματα ἐν τῷ Χριστῷ. Quae quidem recapitulatio perficitur per redemptionem generis lapsi in terra *instaurando* ruinam quae lapsu angelorum facta erat in hierarchia coelesti, ut vulgatus interpres vertit: *instaurare* omnia in Christo, quae in coelis et quae in terra sunt in ipso π Eph. I. 10. Ita Augustinus explicat verba Apostoli: - Ideo etiam pro angelis fit, quidquid hominum per eius mortem redimitur et liberatur a malo, quoniam cum eis quodam modo redit in gratiam, post inimicitias quas inter homines et sanctos angelos peccata fecerunt, et ex ipsa hominum redemptione ruinae illius angelicae detrimenta reparantur. Et utique noverunt angeli sancti docti de Deo, cuius veritatis aeterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius civitatis expectet. Propter hoc ait Apostolus: instaurare omnia in Christo, quae in coelis sunt et quae in terris in ipso. Instaurantur quippe quae in coelis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur; instaurantur autem (finaliter) quae in terris sunt, cum ipsi homines qui praedestinati sunt ad aeternam vitam, a corruptionis vetustate renovantur » August. Enchirid. c. 61. 62. Haec est *Ecclesia Dei* secundum amplissimam significationem qua nunc loquimur, in triplici suo statu *militantis, purgantis* et *triumphantis*, quorum duo priores peregrinantium sunt temporanei, tertius finalis est aeternus; iidemque omnes recapitulantur in Christo et sub Christo, qui est caput corporis, Ecclesiae, in omnibus ipse primatum tenens. Ambrosius explicans descriptionem Ecclesiae Eph. IV. ita disserit, *Unum templum Dei in omnibus, et unum domicilium coelestis habitaculum in spiritu universorum. In quo non solum sanctorum hominum, sed omnium credentium, omnium etiam superiorum rationabilium Virtutum ac Potestatum connexionem fidei spiritusque accipiendam*



arbitror, ut per harmoniam quamdam virtutum et ministeriorum corpus unum ex omnibus rationabilis naturae spiritibus adhaereat capiti suo Christo *n* Ambros. ep. 76. n. 13. ad Irenaeum. Saepe hanc amplissimam universitatem Ecclesiae sub Christo explicat Augustinus, *u* Caput nostrum Christus est, corpus capitis illius nos sumus (Ecclesia militans). Numquid soli nos, et non etiam illi qui fuerunt ante nos. Omnes qui ab initio saeculi fuerunt iusti, caput Christum habent. Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse iam credimus, et in eius fide et ipsi sanati sunt, in cuius et nos: ut esset et ipse totius caput civitatis Hierusalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio usque in finem, adiunctis etiam legionibus et exercitibus angelorum, ut fiat illa una civitas sub uno rege, et una quaedam provincia sub uno imperatore, felix in perpetua pace et salute, laudans Deum sine fine, beata sine fine » Aug. in Ps. 36. serm. 3; in Ioan, tract. 40; ep. 102. al. 49; de catechiz. rudib. cf. s. Th. 3. q. 8. a. 4.

Verbum itaque incarnatum Christus Iesus, etiam spectatus ut homo, caput est huius totius Ecclesiae ad unitatem coniungens angelos et homines secum ipso, inter se ipsos, cum Deo uno et trino (1). Ideo civitas Dei, Ierusalem coelestis describitur formis dicendis quibus cum illa consummatorum in coelo connectatur, ut penes Paulum, vel saltem connotetur, ut penes Iohannem, civitas supernaturalis in terra cum omnibus donis suis spiritualibus; nam *u* Deus benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus » (Eph. I. 9.) seu supernaturalibus (ἐν τοῖς ἐπουρανίοις). Membris Ecclesiae adhuc in terra peregrinantis dicit Paulus: *u* accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Ierusalem coelestem (2), et multorum millium angelorum

(1) Quomodo Christus sit caput hominum et angelorum eadem quidem ratione secundum dignitatis eminentiam et gubernationis potentiam, diversa autem ratione « secundum virtutem influendi » et naturae congruentiam, ex s. Thoma declaravimus in Tract, de Incarnat, th. XLI.

(2) Ierusalem *coelestis* ἐπουρανιὸν non sola illa in coelo est, sed est etiam Ierusalem spiritalis, supernaturalis, antitypa Ecclesia in terris comparate ad Ierusalem materialem, terrenam, typicam. Ita in comparatione cum synagoga typica veteris Testamenti ea quae pertinent ad Ecclesiam novi Testamenti, dicuntur *coelestia* τὰ ἐπουράνια: « necesse est ergo



frequentiam, et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in coelis, et indicem omnium Deum, et (ad) spiritus iustorum perfectorum πνευμχοι οικχιων τετελειωνενων et Testamenti novi mediatorem Iesum, et sanguinis aspersionem » Heb. XII. 22-24. Joannes vidit Ierusalem coelestem descendentem in terras, ubi coelum et terra coniunguntur, et in hac coniunctione status militantium in terra transformatur in statum triumphantium in coelo: una civitas sancta Ierusalem nova, et tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis, quod etiam Paulus Corinthiis scripsit: - vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus et ipsi erunt mihi populus « (2. Cor. VI. 16.); sed praecedit praeparatio novitatis in luctu et dolore, quae sunt *prima*, succedit novitas plena, ubi *prima* abierunt et ultra non erunt (1). » Et ego Ioannes vidi sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem de coelo a Deo, sicut sponsam ornatam viro suo; et audivi vocem magnam de throno dicentem: ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis, et ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus; et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra, quia *prima* abierunt » I Apoc. XXI. 2-5.

Haec est Ierusalem coelestis, Ecclesia una in coelo et in terra, » Coelestis Hierusalem dicitur, cuius cives sunt omnes sanctificati homines, qui fuerunt et qui sunt et qui

exemplaria quidem (ὑποοιγαατ« ectypa) coelestium his (sanguine hircorum et v.tuloruin) inundari; *ipsa autem coelestia* (αβζχ Si -χ èzoupayca) melioribus hostiis quam istis - Heb. IX. 25. cf. VIII. 5. Eadem est oppositio Gal. IV. 25. 26., inter Ierusalem quae nunc est et servit eum filiis suis, et inter Ierusalem liberam quae sursum est ἡ ἄνω Ἐρουσαληρ., quae est mater nostra.

(1) » Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur. Existimo enim, quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis... Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. Non solum autem illa sed et nos ipsi primitias spiritus habentes: et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri » Rom. VIII. 17-25,

futuri sunt, et omnes sanctificati spiritus etiam, quicumque in excelsis coelorum partibus pia devotione obtemperant Deo...Huius civitatis rex est Dominus Iesus Christus Verbum Dei, quo reguntur summi angeli, et Verbum hominem assumens, ut eo regerentur et homines » Aug. de catechiz. rudib. c. 19. Pulcherrime in hymno dedicationis Ecclesiae celebratur coelestis urbs Ierusalem, in beata pacis visione ut coeli corusca civitas cincta mille angelorum millibus; sed simul in aedificatione, ut scalpri ictibus et tunsione plurima fabri polita malleo hanc saxa molem construunt.

HI. Ex omnibus hactenus declaratis notio *Ecclesiae Dei* ampliori isto sensu spectatae satis liquida est. Constituunt eam omnes rationales creaturae, quae dono supernaturali, habituali, pertinente ad sanctificationem subsunt Christo capiti, eoque vel in via ordinantur vel in termino pervenerunt ad finem aeternae glorificationis. Haec igitur dona supernaturalia sunt vinculum uniens et *causa formalis*, qua eadem creaturae, pro diversitate donorum gradu diverso, velut membra cum Christo capite, in Christo cum Deo sanctificatore, in Christo et Deo inter se invicem coniunguntur ad societatem Ecclesiae Dei: « ut et vos societatem (κοινωνιαν) habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo » 1. Io. I. 3; 1. Cor. I. 9. Inter ista dona habitualia pro peregrinantibus in terra omnium radix et fundamentum est fides ut *prima* habitualis dispositio ad sanctitatem, omnium consummatio et corona est visio beatifica ut ultimus terminus sanctitatis. Si ergo dona ab infimis usque ad suprema, quatenus sunt *forma* huius supernaturalis societatis, appellemus communi nomine *sanctitatem*, hanc ut informantem rationales creaturas *concrete* exprimendo, Ecclesia Dei dicenda erit *supernaturalis societas sanctorum*, vel formula in symbolis solemni, *communio sanctorum*. Quamvis enim *sancti* pleniori sensu et per excellentiam sint illi, qui per inhabitantem Spiritum Sanctum et per habitum gratiae sanctificati sunt in coelo et in terra; nihilominus usu loquendi biblico fideles omnes, inter quos sunt etiam peccatores privi gratia iustificante, appellantur *sancti*, atque adeo ipsa fides ut *prima* dispositio ad illam perfectam sanctitatem, assu-



mitur tamquam forma, per quam fideles nondum justificati participant nomen *sanctorum* Act. IX. 32; Rom. I. 7; XII. 13; XV. 25. sqq.; 1. Cor. I. 2; XIV. 33; XVI. 1; 2. Cor. I. 1; 1. Tim. 10. et alibi. Catechismus Romanus loquens de ipsa Ecclesia novi Testamenti, a *sancti* vocantur fideles, inquit, qui populum Dei effecti sunt, quive se fide et baptismo suscepto, Christo consecrarunt, quamquam in multis offendunt, et quae polliciti sunt, non praestant » (Part. I. c. 10. §. 15.). §

Definitioni, qua Ecclesia Dei dicatur *communio sanctorum*, non officit, quod in symbolis sancta Ecclesia et communio sanctorum distingui videntur. Xam a) Ecclesia in symbolis saltem *directe* non sumitur in ampliori illo sensu, quo nunc eam consideramus, sed secundum statum determinatum quo in terris a Christo est instituta, et de quo toto hoc tractatu deinceps nobis agendum erit. 6) Si Ecclesia in professione symboli cum s. Augustino (Enchir. c. 56.) intelligatur sensu ampliori, articulus de communione sanctorum a praecedenti de sancta Ecclesia catholica non differt *subiecto*; sed ut in Catechismo Romano dicitur (l. c. §. 24.), est illius *u* velut explicatio quaedam, »

Ex sensu declarato quo forma *sanctitatis* in definitione supernaturalis societatis vel communionis *sanctorum* intelligitur, patet oppositio contra Quesnellianam doctrinam in Constitutione *Unigenitus* damnatam, qua nomine *sanctorum* qui soli sint membra Ecclesiae, ex toto orationis complexu designantur soli iusti charitate perfecti et praedestinati (Propose. 72. 73. 74. 75. 78.), adeoque pertinet ad errores Protestantium de Ecclesia invisibili suo loco a nobis confutandos.

Si definitio simpliciter et sine declaratione ponenda est, ad excludendam ambiguitatem potest id, quod diximus sanctitatem, a vera fide in terris usque ad visionem beatam in coelis, ab actu denominari *verus et supernaturalis cultus Dei*, ubi etiam habitus ut dispositio ad actum includitur. Unde Ecclesia Dei sensu, quo nunc loquimur, dicetur *societas vel communio cero supernaturali cultu adhaerentium Deo*. Vide Gregor, de Valentia Analysis Fidei l. IV. c. 2; Wirceburgens. T. I. disp. II. n. 79. Ita etiam s. Augustinus a Ecclesiam totam non solum ex parte quae pere-

grinatur in terris, verum etiam ex illa quae in coelis semper cohaesit Deo » simul complectens, *u* quae, inquit, *tota instituta est ad colendum unum Deum n* (Enchirid. c. 56.).

*Corollarium.* Quandoquidem Christus, ut in sequentibus thesibus declarabitur, suam Ecclesiam in terris specialibus legibus specialique forma instituit, praeter hanc Ecclesiam Christi alia in terris iam nulla est aut esse potest. Plura ergo requiruntur, ut quis tamquam membrum *simpliciter* pertineat ad Ecclesiam Christi, quae una et sola est Ecclesia in terris, quam quae ad generaliore notionem Ecclesiae sufficiunt, cuius formam essentialem et sufficientem pro peregrinantibus in terra veram fidem esse diximus. Unde quod Suarez (de Fide disp. . sect. 1. n. 3. 13-19.) cum aliis theologis in ipsa Ecclesia Christi fidem tamquam solam formam essentialem ab aliis proprietatibus et institutis a Christo in sua Ecclesia determinatis distinguit ita, ut illa forma essentialis sufficiat non solum ad notionem generaliore Ecclesiae Dei in terris, quod nos diximus, sed etiam ad rationem Ecclesiae Christi, atque idcirco catechumeni, excommunicati, ipsique schismatici quamdiu fidem retinent, *simpliciter* sint ac censeri debeant membra Ecclesiae Iesu Christi, hic inquam sive doctrinae sive locutionis modus, ut suo loco data opera demonstrabitur, admittendus non est, quamquam dissensio inter catholicos theologos sit potius in modo loquendi quam in re ipsa.

Ex distinctione ista inter notionem generalem Ecclesiae Dei in terris, cuius formam fidem esse diximus, et inter statum specialem Ecclesiae in novo Testamento intelligitur, neminem umquam fuisse salvatum aut salvari posse, qui non *actu ipso* pertinuerit aut pertineat ad Ecclesiam secundum illam notionem generalem: « sine fide impossibile est placere Deo » Heb. XI. 6, et *u* iustus ex fide vivit » Rom. I. 17; Gal. III. 11. Salvati tamen sunt in veteri Testamento *a* iuxta fidem defuncti » et « testimonio fidei probati » Heb. XI. 13. 39, quin pertinerent ad statum specialem Ecclesiae a Christo determinatum; et salvari adhuc possunt, qui perfecta dispositione animi sunt aptati huic statui Ecclesiae, licet inculpabiliter impediti, non sint *actu* et *simpliciter* eius membra, Hanc distinctionem Suarezius (l. c,



n. 18.) deflexit ad confirmandum illum suum modum considerandi et loquendi parum commodum. Postquam probare conatus est, catechumenos esse simpliciter membra « praesentis Ecclesiae, » ad difficultates oppositas respondet, « In contrarium adducta, inquit, solum probant, catechumenos non esse in Ecclesia quantum ad eas peculiare conditiones et *velut accidentia*, quae Christus Ecclesiae superaddidit, non vero non esse quoad ea, quae sunt *quasi substantia Ecclesiae*, quae semper eadem fuit; quae duo sunt in Ecclesia, prout nunc est, distinguenda. » Cum scilicet ex una parte videret, posse homines per fidem charitate perfectam salvari, qui *acta* non participant statum Ecclesiae in novo Testamento determinatum, ex parte vero altera saltem ibi n. 18. praeferret modum dicendi, non solum *voto* (ut dixerat Bellarminus de Eccles. 1. III. c. 3.) (1) sed *in actu*

(1) Verissimum est *simpliciter* loquendo, quod 1. c. ait Bellarminus: « post Christi adventum nulla est vera Ecclesia, nisi illa quae proprie dicitur Christiana; si ergo catechumeni de ista non sunt, de nulla sunt, sicut *Simpliciter* de Ecclesia non sunt catechumeni; at cum Ecclesia Christiana comprehendat tum illud quod notione *generica* Ecclesiae continetur, tum ea quae *specificè* statum Christianae Ecclesiae constituunt, et cum catechumeni secundum notionem illam genericam verae fidei et professionis coniungantur Ecclesiae Christianae: hinc non *tantum voto*, sed *secundum quid* etiam *actu* ad Ecclesiam Christianam pertinere dici possunt. Quoad rem ipsam Canus 1. IV. c. 2. quem Bellarminus impugnat, et Suarez 1. c. non aliud sibi volunt, nec certe nisi modo loquendi, quem fatemur minus idoneum, a Bellarmino dissentiunt. Quam hoc verum sit, apparet conferendo ea quae habet Suarez 1. c. (disp. IX. sect. 1. n. 18.), cum iis quae docet disp. XII. sect. 4. n. 22. In priori loco ait: « mihi magis placet catechumenum fidelem inter Ecclesiae membra numerare..... *Neque mihi placet si dicatur ad salutem satis esse votum seu desiderium existendi in Ecclesia*, si alias absolute quispiam manet extra Ecclesiam..... 'absolute est etiam dicendum (catechumenum esse) membrum praesentis (christianae) Ecclesiae, » In loco autem posteriori disp. XII. tandem idem et eodem modo dicit, quod Bellarminus. « Concilia revera loquuntur de hac Ecclesia Christi, et de illa oportet in aliquo sensu verificari, quod extra illam nemo salvatur. Melius ergo respondendum iuxta distinctionem datam de necessitate in re vel in voto; ita enim nemo salvari potest, nisi hanc Christi Ecclesiam in re, *vel in voto saltem et desiderio ingrediatur*. Ita in simili respondet Bellarminus; estque manifestum, quia nullus est in re ipsa intra hanc Ecclesiam, nisi baptizatus sit, et tamen salvari potest, quia *sicut illi sufficit votum baptismi, ita etiam votum ingrediendi Ecclesiam, »*

coniunctionem cum vera Ecclesia esse necessariam *necessitate medi* ad salutem : hinc conclusit, *substantiam* et formam essentialem Ecclesiae pro quovis statu esse unice veram fidem, sicque reliqua, quae Ecclesiam Iesu Christi in propria speciali forma constituunt et ab Ecclesia veteris Testamenti distinguunt, retulit « velut ad *accidentia*, » Qui quidem modus loquendi nobis probari non potest; imo simili argumentatione suaderi etiam posset, eos omnes articulos fidei qui non quovis tempore in veteri etiam Testamento explicite credendi erant, esse « accidentalia » in professione Christiana, atque adeo Tertullianum (cont. Prax. c. 31.) et Patres alios professionem e. g. ss. Trinitatis immerito dixisse *a* substantiam novi Testamenti, » quod opinari fas esse non putabimus, etiamsi forte explicita, fides huiusmodi articulorum, ut multi theologi et cum illis Suarez docent, ne pro novo quidem Testamento sit simpliciter *de necessitate medi* sed tantum *praecepti divini* (cf. Suarez disp. XII. sect. 4.).

### THESIS III.

#### *De statu adhuc imperfecto et perficiendo Ecclesiae veteris oeconomiae.*

« Ecclesia patriarchalis inde ab Adam tamquam inchoatio minus conspicua continebatur professione verae fidei et vero cultu Dei; prae hoc » statu forma Ecclesiae non universalis pro cunctis gentibus sed peculiaris in populo Israel a Deo per Moyseu institutae expressior quidem » apparet in unitate sacri ministerii imperii et magisterii; attamen et » ipsa adumbratio dumtaxat erat et introductio ad Ecclesiam Iesu Christi in statu perfecto novi Testamenti, »

Quamdiu (omissa nunc consideratione status finalis in consummatione coelesti) Ecclesiam Dei in terris spectamus secundum generaliore[m] superius declaratam notionem *societatis fidelium* aut vero cultu *Deum colentium*, membra huius societatis intelliguntur quidem vera fide et vero supernatural! Dei cultu cum Deo et inter se invicem esse coniuncta ; nisi enim vinculo aliquo communi consociaren-



tur, communio aut societas nulla foret; nisi hoc vinohlum constitueretur fide et cultu Dei, societas religiosa ac proinde *Ecclesia* non esset. Nihilominus quisque videt hanc notionem eo ipso, quod est generica, nimis indeterminatam esse et abstractam. Neque enim dicitur, quibus praesidiis una vera fides in societate fidelium custodiatur et propagetur per generationum successiones, qua forma regiminis haec civitas Dei gubernetur, quo communi ritu cultus divini, qui inter homines non modo internus sed simul externus sit oportet, eadem communio sanctorum Deum honoret et ipsa sanctificetur (1); non dicitur, inquam, quo magisterio fidei, imperio sacri regiminis, ministerio sanctificationis seu sacerdotio ipsa societas religiosa informetur et efformetur. Quo horum omnium, professionis nempe fidei, regiminis, et cultus divini perfectior est in universalitate unitas, perennitas, sanctitas formanda et continenda per magistrum, sacrum imperium et ministerium ad sanctificationem et salvationem membrorum; eo perfectior est ipsa religiosa societas, seu eo perfectior est status Ecclesiae. i

lain vero sicut generatim in oeconomia revelationis et salvationis generis humani per Christum Redemptorem divina omnipotentia et sapientia, iustitia et misericordia triplex veluti stadium discrevit, quo ab imperfectioribus ad perfectiora continuo processit usque ad plenitudinem temporis; ita etiam speciatim in statu Ecclesiae, quae per ipsam oeconomiam revelationis et salvationis ut eius concreta expressio efformatur ac perficitur, iidem gradus procedentis perfectionis ab inchoatione ad incrementum et ad plenitudinem observantur. Clare enim distinguitur status triplex, Ecclesiae patriarchalis seu (ut dici solet) *legis naturae*, *Ecclesiae M<sup>sa</sup>icae*, *Ecclesiae Iesu Christi*, Verbi iam incarnati, quae manens nunc regnum immobile (Heb. ΣII-28.) non aliam expectat consummationem status sui : quam a fide ad visionem in Ecclesia coelesti. J

(1) i. bi nullum nomen religionis sen verum sen falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signamlorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur, quorum sacramentorum vis (in religione vera) inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit; impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas » Aug. coût. Faust, l.XIX. 11.

I. Ecclesia *in stata inchoationis* pro humano genere reparando instituta est statim post lapsum promisso semine mulieris, quod pro ipsa, et quae per ipsum conteret caput serpentis (1) (Gen. III. 15.). Revelatio enim supernaturalis de Deo, de eius lege et cultu, de angelis et de vita aeterna, maxime de futuro Reparatore et peccatorum expiatione primis parentibus facta, cum gratiis externis coniuncta gratia interna, atque ita fides et spes in Deum et in Redemptorem, harumque maior perfectio eharitas, haec inquam dona supernaturalia ex misericordi Dei voluntate propter Christi tamquam capitis futura merita omnibus Aadae posteris in statu redemptionis praeparata erant, et cooperantibus actu conferebantur (cf. Heb. XI.). Fide ergo non modo cordis sed pro conditione atque exigentia naturae humanae etiam professione oris (Rom. X. 10.), cultu veri Dei non solum interno sed etiam visibili externo, sacrificiis et sacramentis (2) colligabantur in religiosam societatem et communionem a filiorum Dei *n* distinctam et religione separatam ab impiis «filiis hominis» (Gen. VI. 2. 4.).

(1) Vide Bullam *Ineffabilis Deus*, §. *Equidem Patres* cf. P. Patritii dissertationem de NIFT sen de Immacul. Concept, et nostrum Tract, de Incarnat, ed. 2. p. 111.

(2) «Nec tamen credendum est, et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento eius (sacramentis nempe illum praefigurantibus) opitulatos fuisse parvulis suis » Aug. cont. Inlian. l. V. c. 11. n. 45. Vide Tract, de Sacram, in genere th. III. Quod vero dicitur de sacramento pro parvulis non minus imo etiam potioribus rationibus valet de sacrificiis, et ritibus aliis ad manifestandam fidem mediatoris in carne venturi. Neque tamen haec in sic dicto statu *legis naturae* speciatim et singillatim a Deo per positivas leges determinata erant, ut mox dicemus, sed iu connexionem cum supernaturali ordine gratiae, fidei, cultus interni erant in genere ordinata ut respondens manifestatio per cultum externum. *Lex naturae* autem in re praesenti non dicitur solum ut humana natura per se in sua essentia et exigentia consideratur, talis enim *status purae naturae* realiter numquam exstitit; sed natura humana consideratur in statu exaltationis ad ordinem supernaturalem gratiae et fidei, et *huic statui connaturalis* hoc est ex ipsa huius status natura requisitae et necessariae leges fidei licet in se utique supernaturales, dicuntur, non absolute sed ex hypothesi exaltationis, *lex naturae* in comparatione cum legibus positivis per Moyseu in veteri, per Christum et Spiritum Sanctum iu Apostolis pro Novo Testamento superadditis.



Augustinus civitatem Dei seu Ecclesiam illius primae aetatis tum ante tum post diluvium ita describit, *u* Quapropter inter illos tunc hominum populos... quaeremus, si possumus invenire illam in terris peregrinantem *deitatem Dei*, quae usque ad diluvium arcamque deducta est, atque in filiis Noe per eorum benedictiones perseverasse monstratur, maxime in maximo qui est appellatus Sem... Tenenda est igitur series generationum ab ipso Sem, ut ipsa ostendat post diluvium *deitatem Dei*, sicut eam series generationum ab illo, qui est appellatus Seth, ostendebat ante diluvium... Cum ergo quaerimus in illis septuaginta duabus gentibus (Gen.X) *deitatem Dei*, non possumus affirmare, illo tempore quo erat illis labium unum i. e. loquela una, tunc iam genus humanum alienatum fuisse *a culta veri Dei*, ita ut in solis istis generationibus pietas vera remaneret, quae descendunt de semine Sem per Arphaxat et tendunt ad Abraham; sed ab illa superbia aedificandae turris usque ad coelum... terrena apparuit civitas h. e. societas impiorum; utrum itaque ante non fuerit, an latuerit, an potius utraque permanserit, pia scilicet in duobus filiis Noe qui benedicti sunt, eorumque posteris, impia vero in eo qui maledictus est, atque eius progenie... non est indicatio facilis. Fortassis enim, quod profecto credibilius est, et in filiis duorum illorum iam tunc, antequam Babylon coepisset institui, fuerunt contemptores Dei, et in filiis Cham cultores Dei; *utrumque tamen hominum genus terris numquam defuisse, credendum est* *n* Aug. civit. Dei l. XVI. c. 9. 10.

Verum sicut revelatio ipsa tum de Deo, tum de lege morali et liturgica, tum de futuro Redemptore illis initiis minus ampla minusque distincta erat (vide s. Th. 2. 2. q. 174. a. 6. cf. Tract, de Tradit, th. XXVI.); ita etiam Ecclesia, quae est concreta expressio ac summa ipsius revelationis, minus erat conspicua. Habebat illa quidem, velut formans principium, sacerdotium, religiosum regimen, magisterium patriarcharum, qui ut scriptum est de Noe (2. Pet. II. 5.), erant *u* praecones iustitiae » (Tract, de Trad. th. XX. cf. Mauclerum de Monarch, eccles. T. I. p. 226; Phillips Ius cedes. T. II. p. 347; Haneberg Histor. revel, sect. I. c. 4.)

et Deus ipse appellat eos « prophetas et christos suos » (Gen. XX. 7; Ps. CIV. CV. 15; 1. Parai. XVI. 22.), quod etiam s. Augustinus animadvertit, *a* Et ipsum Noe patriarcham... ei *alios supra et infra* usque ad hoc tempus, quo reges (nempe inde a Samuele tempore regum proprie dicti prophetae) in Dei populo esse coeperunt, propter quaedam per eos facta sive quoquomodo significata sive praedicta, *çizae pertinerent ad civitatem Dei regnumque coelorum*, non immerito possumus appellare prophetas, praesertim quia nonnullos eorum id expressius legimus nuncupatos » Aug. Civ. Dei l. XVII. c. 1. Attamen in his omnibus muneribus tum institutio divina et perennis successio, tum ipsa functio non tam ex positivis legibus quam interno divino instinctu determinata erat. Unde et sacrificia et sacramenta et universus cultus ritualis *in genere* quidem erant a Deo instituta, *in specie* vero et in particularibus, praesertim usque ad proximam peculiaris populi Dei praeparationem in vocatione Abraham, videntur permissa fuisse determinationi ipsorum capitum familiarum seu patriarcharum. De hac specifica determinatione intelligendum est, quod ait s. Thomas: *a* sicut in statu legis naturae homines nulla lege exterius data sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur » s. Th. 3. q. 50. a. 5. ad 3.

Hinc Ecclesiae unitas visibilis adhuc laxior et inchoata fere revocabatur ad unam professionem verae fidei et ad veritatem divini cultus; eoque ipso corpus Ecclesiae, quod unitate continetur, velut in prima formatione constitutum et adhuc imperfectum erat. In hac tamen Ecclesia seu civitate Dei *u supra et infra Noe* » veritas fidei et cultus divini tum perenni traditione per ministerium patriarchale ordinariis conservabatur, tum incrementis novarum revelationum explicabatur, per ministerium propheticum extraordinarium. Ad illos enim omnes in munere *u* praecorum iustitiae *n* suo modo pertinebat, quod Deus expresse dixit de Abraham: *u* scio quod praecepturus sit filiis suis et domui suae post se, ut custodiant viam Domini, et faciant iudicium et iustitiam » Gen. XVIII. 19. Munus vero



extraordinarium prophetarum ad ulteriorem revelationis explicationem in eis agnoscendum est *u* propter quaedam per eos facta sive significata sive praedicta (ex supernaturali nempe Spiritus Sancti illustratione et motione, vel simul cum externa etiam locutione, divina vel sine illa), quae pertinerent ad civitatem Dei regnum coelorum, *n* Cf. Suarez de Legibus 1. I. a. 3. n. 12; 1. IX. c. 6. n. 21; c. 7. n. 5. 6.

II. Quoniam tota vetus oeconomia praeparatio erat et typus ad Verbum incarnatum et ad eius Ecclesiam, prophetia ad evangelium; pro hoc eius scopo Deus peculiarem sibi populum elegit et ministerio Moysis instituit, in quo sicut 'prophetica revelatio in dies clarior, ratio typorum manifestior, ita forma Ecclesiae esset expressior.

1°. Cultus divinus a Deo ipso in manu mediatoris (Gal. III. 19.) institutus erat et singillatim determinatus in sacrificiis, sacramentis, cerimoniais, solemnitatibus, in ipsa unitate sacri tabernaculi seu templi, in quo solo ad unionem visibilem totius Ecclesiae Israëli publicus Dei cultus per sacrificia ordinarie celebrandus erat.

2°. Ad huius divini cultus administrationem et perpetuam conservationem Dei iussu consecrati erant ministri, et instituti in certa et per legem Dei fixa successione secundum tripartitam hierarchiam unius summi sacerdotis, sacerdotum secundi ordinis (4. Reg. XXIII. 4.), Levitarum ministrantium λειτουργουντων 1. Paral. XVI. 4. etc.).

Per hos ipsos sacerdotes universus populus *in rebus sacris regendus et indicandus* erat, *a* Si difficile et ambiguum apud te indicium esse perspexeris... surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; veniesque ad sacerdotes Levitici generis et ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi indicii veritatem; et facies quodcumque dixerint, qui praesunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te iuxta legem eius... qui autem superbierit nolens obedire *sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto indicis, moriatur homo ille, et auferes malum de Israëli* » Dent. XVII. 8. sqq.

3°. Ex his ipsis patet non modo ius regiminis, sed simul consequitur sacerdotum *magisterium ordinarium*, ad con-

servationem et interpretationem legis ac doctrinae divinae. - Et scietis quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi (et cum eius posteris), dicit Dominus exercituum... Labia enim sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius, quia angelus (legatus) Domini exercituum est *n* Mal. II. 4-7; Lev. X. 10. 11. Angelus nempe Domini, quo nomine etiam prophetae quandoque appellantur (Agg. I. 13; Mal. III. 1.), sacerdos est, ut ex ore eius requirant doctrinam legis divinae; hanc enim exprimit nomen hebraicum *ΠΠΠΠ*.

In triplici munere sacri ministerii, regiminis, magisterii eminens summus sacerdos tum hierarchiae tum populi totius unitatem in cultu divino, in sacra disciplina et doctrina continebat.

4°. Nihilominus oeconomia illa antiqua erat tantummodo praeparatio ad Testamentum novum, *u* paedagogus ad Christum, custodia in eam fidem quae revelanda erat, introductio melioris spei, ibi lex per Moysen data, hic gratia et veritas per Iesum Christum facta, ibi spiritus servitutis, hic spiritus adoptionis filiorum » (Io. 3.17; Rom. VIII. 15; Gal. III. 23. 24; IV. 24-26; Heb. VII. 19.). Adeoque vetus oeconomia comparata cum nova, ad quam, introducebat erat imperfecta tum in cultu et sacrificiis quae dicuntur umbrae futurorum bonorum (Heb. IX. X.); tum in disciplina quae in *u* operibus legis *n* accommodata populo carnali eatenus erat *u* lex mandati carnalis *n* (ib. VII. 16.); tum in doctrina quae adhuc erat complenda et tandem consummanda per ipsum Verbum incarnatum, quapropter etiam sacerdotium, ut pars essentialis totius oeconomiae, imperfectum erat in efficacia ministerii, in potestate sacri imperii in veritate magisterii, proindeque sacerdotium ipsum cum suis sacrificiis in Ecclesia Mosaica introductio erat et praefiguratio sacerdotii et sacrificii perfecti in Ecclesia Iesu Christi. « Si consummatio per sacerdotium Leviticum erat... quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio necesse est, ut et legis translatio fiat *n* Heb. VII. II. 12. *u* Traxisti Domine omnia ad te, quoniam scisso templi velo sancta



sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem lex in Evangelium mutaretur. Traxisti Domine omnia ad te, ut quod in uno Iudaeae templo obumbratis significationibus agebatur, pleno apertoque sacramento universarum ubique nationum devotio celebraret. Nunc etenim et ordo clarior Levitarum (diaconorum), et dignitas amplior Seniorum (presbyterorum), et sacratior est unctio sacerdotum (Episcoporum).. Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis tui implet oblatio... et ita in te universa perficis mysteria, ut sicut unum est pro omni victima sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum » s. Leo serm. 59. al. 57. c. 7.

5°. Imperfectio ista veteris sacerdotii nominatim in magisterio, de qua non omnes theologi idem sentiunt, diligentius requirit explicationem. Certe in illa Ecclesia Israel, cui « credita erant eloquia Dei » (Rom. III. 2.), quae scilicet specialiter electa et destinata erat a Deo ad conservandam integritatem revelationis iam factae et ad eam in dies novis revelationibus divinae veritatis et divinorum consiliorum perficiendam, ut praepararetur plenitudo temporis, in qua ex hoc ipso populo velut de terra sitiendi et de radice lesse velut flos ascenderet expectatio gentium in signum populorum (Gen. XLIX. 10; Is. XI. 1. 10; LIII. 2; Rom. IX. fi.), in hac inquam Ecclesia magisterium tam excelso fini idoneum et necessarium atque idcirco supernaturalibus charismatibus ad infallibilitatem instructum (cf. de Tradit. th. VII.) deesse non poterat. Unde complures theologi opinantur, sacerdotio ipsi Aaronico simpliciter vel saltem usque ad adventum ipsius Christi promissi infallibilitatem in conservanda et proponenda fidei doctrina asserendam esse (cf. Bellarmin. de Concil. I. II. c. 8.). Verum haec sententia utraque tantas habet difficultates oppositas, ut firmis argumentis demonstrari nequeat. Nonnulli affirmant, sacerdotes etiam tempore Christi atque in ipsa Christi condemnatione non in *doctrina* sed circa *factum* dumtaxat errasse (quale quaeso factum? nempe Iesum Nazarenum esse Christum promissum, quod ut finis comprehendebat totam doctrinam antecedentem, ut fundamentum totam doctrinam

subsequentem), vel eos errasse quidem *mente* ut homines privatos, minime vero *in publica* per sacerdotalem potestatem *proposita doctrina*, siquidem pontifex teste Iohanne (XI. 51.) prophetavit atque adeo divino instinctu docuit divinam veritatem. At haec ex tota historia evangelica manifesto refutantur, et nominatim ex solempni ac iudiciali sententia, qua pontifices et omne eorum concilium Christum repudiandum et damnandum esse pronuntiarunt, quia Filium Dei se fecit (Matth. XXVI. 63-66; XXVII. 1; Mare. XIV. 53. 61-64; Luc. XXII. 66-77; Io. XIX. 6. 7. 15.) cf. Stapleton De principiis fidei L. II. c. 12. Si autem cum Bellarmino l. c. concedas, sacerdotes in ipsa persona Messiae iam praesentis populo designanda errasse errore doctrinali, dum Christum velut *a impostorem* » et ablasphemum, quia Filium Dei se fecisset, » repudiandum esse solempni iudicio pronuntiarunt; iam ex ipso fine magisterii in Ecclesia Israel demonstrare non potes, sacerdotio Aaronico per se spectato annexum fuisse charisma infallibilitatis ante adventum Christi, quod tamen cum Messias advenit, in sacerdotio eodem adhuc permanente legitimo desierit. Finis enim magisterii saltem longe praecipuus erat praeparare vias Domini, et « desideratum cunctis gentibus » (Agg. II. 8.) praemonstrare tum proxime peculiari populo Israel tum ipsis gentibus universis. Si ergo constat, magisterium *cum charismate infallibilitatis* sacerdotio Aaronico per se spectato non fuisse connexum quoad agnitionem et monstrationem Christi iam praesentis, qua complenda et absolvenda erat tota praecedens praeparatio; iam non possumus ex ipso fine magisterii in Ecclesia Mosaica demonstrare, magisterio sacerdotii Aaronici per se spectati adfuisse perfectionem infallibilitatis ante Christum, quae certe defuit praesente Christo quoad actus praecipuos agnitionis et monstrationis promissi et iam missi salvatoris. Hoc igitur tam essenziale discrimen in magisterio *ordinario* veteris Testamenti, quod ante Christum infallibile, praesente iam Christo fuerit fallibile, demonstrandum esset disertis testimoniis Scripturae aut christianae traditionis. Sed huiusmodi testimonia pro infallibilitate magisterii *ordinarii* synagogae proferri non posse, sicut prostant luculenta pro infallibilitate magisterii



in Ecclesia Christi, etiam Bellarminus (l. c. cap. 6.) satis clare fatetur. Calvino enim obiicienti fallibilitatem conciliorum in veteri Testamento, inter alia respondet non licere imperfectionem magisterii in veteri Testamento transferre ad magisterium Ecclesiae Christi: « Certiores enim et maiores promissiones Dei habet Ecclesia quam synagoga; nec enim de synagoga' usquam legimus, quod de Ecclesia Christus dicit (Matth. XVI.) : super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevallebunt adversus eam; nec id quod Apostolus ait (1. Tim. III.) : eam esse columnam et firmamentum veritatis; neque de Caipha (vel eius antecessoribus) scriptum est, sed de Petro (et eius successoribus) : rogavi pro te, ut non deficiat fides tua

Alio igitur modo infallibilitatis charisma, quod etiam in magisterio Ecclesiae veteris Testamenti negare fas non est, ex ipsa propria indole illius oeconomiae concipiendum esse videtur. Sicut ibi veritas divina novis continuis revelationibus explicanda erat, ita ex hoc ipso missio extraordinaria *prophetarum*, qui nimirum essent ministri revelationis cum proprio fine illius oeconomiae intime nexa et conserta intelligitur. Unde ad magisterium divinae religionis (in doctrina et moribus) pertinebat non solum munus *ordinarium* sacerdotale sed etiam *munus propheticum extraordinarium*. Ad hoc nempe munus propdieticum non minus spectabat custodia et vera declaratio revelationis ac legis iam promulgatae quam illius ulterior explicatio et incrementum per novas revelationes. Si quando igitur magisterium ordinarium sua culpa deficeret, charisma propheticum magisterii extraordinarii supplebat defectum ad infallibilem conservationem doctrinae et fidei divinae in Ecclesia Israël. Hinc prophetae sunt etiam *pastores* populi (1er. XVII. 16. hebr. cf. Zach. XI. 4.) et *custodes* constituti super muros Ierusalem, qui a tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt.... donec (Deus) ponat Ierusalem laudem in terra » (Ecclesiam scilicet novi Testamenti) Is. LXII. 6. 7. cf. XXI. 11. Imo *charisma extraordinarium propheticum* in singularibus quibusdam causis et occasionibus connectebatur cum summo sacerdotio, ut quando sum-

mus sacerdos iuebatur responsa Domini exquirere per Urim et Thummim quod in vulgata (Lev. VIII. 8.) vertitur « doctrina et veritas » (cf. Num. XXVII. 21 ; 1. Reg. XIV. 18; XXII. 10; XXIII. 9. etc.); hanc connexionem charismatis gratis dati pro occasionibus quibusdam extraordinariis cum summo sacerdotio indicat Evangelista Ioannes (XI. 51.), quando ait Caipham eo ipso tempore, quo praevaricabat secundum munus ordinarium magisterii, etiam inscium *prophetasse* instinctu extraordinario « cum esset pontifex anni illius, »

Infallibilis itaque depositi custodia erat utique etiam in Ecclesia Mosaica, non tamen per promissam perennem assistentiam Spiritus veritatis pro magisterio ordinario (sicut in novo Testamento); sed quatenus munus utrumque, ordinarium sacerdotii et extraordinarium prophetiae, consideratur coniunctum. Hinc missio prophetarum constituebat elementum intestinum ac velut partem integram pro indole illius oeconomiae, atque ideo eorum successio non modo usque ad reditum ab exilio Babylonico moraliter continua erat et manifesta; sed etiam sub templo secundo charisma inspirationis non desiit, ut tum libri per inspirationem scripti tum facta alia demonstrant (vide Tract, de Scriptura thés. XI. corollar. 2.). Quare spectata solummodo perpetuitate, munus propheticum in veteri Testamento dici posset ordinarium; sed quoniam hac appellatione in institutis divinis non solum perennitas sed potius ordo successionis vel propagationis secundum certam et fixam legem intelligi solet, prophetiae autem spiritus nulli certae legi aut medio communicationis alligatus, ut donum gratis datum, ubi vult spirat; ideo in illa quoque oeconomia munus propheticum erat et dici debet extraordinarium.

6'. Ex dictis intelligitur, quomodo Deus permittere poterit veteris sacerdotii praevaricationem in magisterio, etiam tum et tum maxime, quando advenit « finis legis Christus, » ut *in eo* adimplerentur lex et prophetae tanquam in fine, ad quem ordinabantur, et *ab eo* tamquam a consummatore fidei adimplerentur ultima perfectione revelationis et institutorum divinorum. Sicut qui infallibiliter praemonstrabant Christum *venturum*, erant prophetae ma-



gisterio extraordinario, ita qui monstrabat *praesentem* (ut nunc nihil dicamus de Simeone, Anna et aliis) erat magisterio extraordinario propheta et plus quam propheta, de quo scriptum erat per priscos prophetas: ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te Matth. XI. 9. 10. « *Lex et prophetae* usque ad Ioannem, ex eo regnum Dei (iam praesens) evangelizatur » Luc. XVI. 16. Imo quod infinite maius est, ipsum Verbum caro factum, per cuius divinitatem ut per causam inspirantem, et ad cuius divinitatem ac humanitatem ut ad causam finalem loquebantur prophetae verba Domini, ipse inquam iam Dominus prophetarum, qui est ὁ προφήτης (I. I. 21; VI. 14; VII. 40; Matth. XXI. 11.) et *unus* magister (Matth. XXIII. 8.10; Io. XIII. 13. 14.) praesens per se et de se testabatur, consummando in sua divina persona plenitudinem muneris prophetici et magisterii divini (Deuter. XVIII. 10; Act. III. 22.). Ipse omni populo demonstratus praecedentibus prophetis legis et prophetarum adimpletis, quam adimplerent etiam sensibiliter exhibent Moyses et Elias, lex nimirum et prophetae, testes divini eius magisterii in transfiguratione (Matth. XVII. 3. 5. vide s. Leon. serm. 51. c. 4.), operum et miraculorum velut divinis sigillis comprobatus, praedicatione praecursoris designatus, ut Filius prae omnibus aliis audiendus a Patre coelesti declaratus in solempni magisterii initiatione (Luc. III. 22; IX. 30-35; Io. V. 33-37. 39. 46; X. 38; XV. 24. etc.).

Hoc magisterio Christus, per se ipsum et misso SpirituS. per Apostolos iam completis fidei revelationibus, et divinis institutionibus, ad depositi totius custodiam et explicationem perenniter manet in Ecclesia sua ipse *unus magister* per suos legatos in perpetua successione a se institutos, charismate veritatis suaque praesenti semper tutela munitos, suo nomine et auctoritate docentes; quae omnia suis locis distinctius nobis explicanda et demonstranda erunt. Hic obiter commemorantur, ut pateat, quantis nominibus prae magisterio ordinario synagogae praecellat magisterium ordinarium Ecclesiae, tum ratione Verbi incarnati a quo magisterium ipsum et tota eius auctoritas derivatur et participatur,

tum ratione doctrinae iam consummatae, tum ratione indefectibilis assistentiae Spiritus veritatis. Ex hac ipsa perfectione intelligitur, cur magisterium extraordinarium propheticum, intestinum veteri oeconomiae propter eius statum imperfectum et adhuc perficiendum, minime sit inter instituta perennia oeconomiae iam perfectae (cf. Matth. XI. 11-13; 1. Pet. I. 10-12.). Illic Moyses et prophetae erant tamquam famuli in domo Dei multifariam multisque modis (velut per partes successivas ac gradibus diversis πολυτροπως πολυτροπως) inspirati ad excolendum Testamentum vetus et ad praeparandum novum, hic Filius Dei in domo sua iam complevit Testamentum novum et regnum immobile, manetque auctori fidei et consummator cum Ecclesia sua omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (Heb,

Summa omnium quae hac Thesi demonstravimus, huc tandem revocatur. Totus praecedens status Ecclesiae tum primitivae inde ab Adam destinatione universalis pro omnibus gentibus, tum Mosaicae pro populo Dei peculiari tamquam prophetia *realis* in typis, tamquam prophetia *verbalis* in annuntiationibus, et praenuntiationibus, generatim tamquam praeparatio et introductio melioris spei in omnibus institutis et legibus ordinatus erat ad Ecclesiam Iesu Christi ut ad evangelium *reale* in mysteriis ac rebus adimpletis, ut ad evangelium *verbale* in doctrina mysteriorum et rerum iam praesentium, denique ut ad consummationem misericordiarum Dei in gratia et veritate, *u* Redemptio Salvatoris... ita magnae pietatis suae disposuit sacramentum, ut usque ad consummationem quidem mundi praefinita generationum plenitudo decurreret, sed renovatio originis per iustificationem indiscretae fidei ad omnia retro saecula pertineret... Nihil ab antiquis significationibus in Christiana religione diversum est, nec umquam a praecedentibus iustis nisi in Domino Iesu Christo salvatio sperata est, dispensationibus quidem pro divinae voluntatis ratione variatis sed in idipsum coruscantibus et legis testimoniis, et prophetiae oraculis, et oblationibus hostiarum; quia sic congruebat illos populos erudiri, ut quae revelata non caperent, obumbrata susciperent et maior Evangelii esset



auctoritas, cui tot signis totque mysteriis veteris Testamenti paginae deservissent... Nihil legalium institutionum, nihil propheticarum resedit figurarum, quod non totum in Christi sacramenta transierit... ut merito cessarint nuntii, postquam nuntiata venerunt, nec vacuatur reverentia promissionum, quia plenitudo manifestata est gratiarum » s. Leo serm. LXVI. (de passion. Dili XV.) c. 12. Nimirum in Ecclesia Iesu Christi plenitudo manifestata est, imo Ecclesia ipsa dicitur a Paulo (Eph. I. 23.) plenitudo Christi etiam secundum hunc eius statum, quo adhuc militat in terris docens et credens in fide, regens et obediens in spe, sanctificans et sanctificata in charitate: « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » (1. Pet. H. 9.).

#### THESIS IV.

##### *De multiplici discrimine institutorum veteris Testamenti in relatione ad Ecclesiam novi Testamenti.*

i In institutis ac legibus veteris Testamenti distinguenda sunt 1<sup>a</sup>. ea, n quae per se necessaria ad salutem, pertinent ad Testamentum aeternum » et universale, ab aliis quae pro peculiari dumtaxat populo et pro tempore introductionis ad meliorem spem erant praecepta; 2<sup>a</sup>. in his ipsis » institutis peculiaribus distinguantur oportet illa, quae principali » fine typica erant ad Christum venturum eiusque Ecclesiam, ita ut postquam adimpleta erant in Christo, iam eorum observantia abolita et a mortua atque post sufficientem Ecclesiae propagationem omnino vetita » ac mortifera censi debent; alia vero quae, sine proxima saltem et - immediata Christi praesignificatione, ad politicam vel religiosam » nam disciplinam synagogae pertinebant, obligatione *iuris divini* iam » sublata in Ecclesia Christi, possunt nihilominus consuetudine aut lege » *humana ecclesiastica* permitti vel etiam praecipui. » 1

Forma Ecclesiae ut erat imperfecte in veteri Testamento, quemadmodum in superiori thesi declaratum est, non desiit, per defectionem sed per praenuntiatam et in synagoga ipsa praefiguratam perfectionem! velamen enim veteris Testamenti » evacuatur in Christo n (2. cor, p]jt 14 ) simili pro4 Sectu, quo in praesenti stadio Ecclesiae «cum venerit quod

perfectum est, evacuabitur quod ex parte est  $\eta$  (1. Cor. XIII. 10.) quare operae pretium est, paucis hic inquirere, quomodo iu ista translatione ab imperfecto ad perfectum sese habuerit desitio veterum institutorum, quae ab Apostolo in Christo evacuata esse  $\tau\omicron\ \kappa\alpha\tau\alpha\rho\upsilon\sigma\epsilon\iota\omicron\nu$  dicuntur.

I. In veteri Testamento ea, quae generatim dicimus *spiritualia* (in distinctione ab iis quae Apostolus Heb. VII. 16. appellat *a* legem mandati carnalis »), pertinentia scilicet ad gratiam oblatam et datam intuitu meritorum reparatoris naturae humanae in primo Adam lapsae, ad fidem, spem, et charitatem, ad finem vitae aeternae, haec (inquam) omnia sunt et semper erant *Testamenti aeterni* pro omnibus gentibus et omnibus temporibus destinata. Manent ergo haec communia populo Dei seu Ecclesiae in quavis oeconomia sive patriarchali, sive in explicatiore Mosaica, sive in perfectione novi Testamenti, quamvis in hoc pro ipsa sua perfectione post completum » magnum pietatis sacramentum » sint abundantiora in se et ampliora in extensione, » gratia enim Dei qua semper est universitas iustificata sanctorum, aucta est Christo nascente non coe-

IU.) quia vero haec *spiritualia* quovis tempore donabantur ex meritis Christi, et quia eorum perfectio est character proprius novi Testamenti; propterea illa quandoque dicuntur etiam tempore veteris Testamenti semper pertinuisse ad Testamentum novum. Cf. s. August, contra Faust. l. IV.; s. Thom. 1. 2. q. 107. a. 1.

Ab his distinguenda omnino sunt, quae erant propria veteris Testamenti in oeconomia Mosaica, quatenus continebat umbram, typum et praeparationem ad Christum *venturum*, et ad Testamentum novum in ipso veteri promissum et *praefiguratum*. Ad hunc ordinem typicum pertinent omnia instituta politica et liturgica, seu *iudicialia* et *caereimonialia* (ut a theologis dici solent), vel principaliter et per sese vel saltem indirecte, quatenus a Deo per Moysen data sunt *ad populum illum peculiarem* efformandum et conservandum, ut in eo praeparationes ad Christum venturum eiusque Ecclesiam custodirentur et per temporum successiones explicarentur; atque ita (quod Paulus de factis quibusdam



historicis illius populi dicit) *a* haec omnia in figura contiuebant illis » 1. Cor. X. 11. "a

Quae spectant ad ordinem *spiritualem*, Augustinus appellat i. praecepta vitae agenda; » theologi nomine generico dicunt *moralia*, eaque sunt *theologica* pertinentia ad fidem et mores ac propterea ad Testamentum aeternum, quae nec mutata -sunt in Ecclesia Iesu Christi nec mutari possunt nisi explicatione et complexione ad statum perfectiorem novi Testamenti (cf. Matth. V. 21. sqq. ; XIX. 8. sq.). Quae autem sunt ordinis typici comprehensa nomine *indicialium et ceremonialium*, ab Augustino dicuntur *a* praecepta vitae significandae. » 1/

Hisce posterioribus synagoga Mosaica constituebatur in sua propria et peculiari ratione, ita ut iis in sua futurorum significatione, valore et scopo sublatis tota peculiaris ratio et forma synagogae sublata sit. *a* Translato sacerdotio (principali subiecto et centro iudicialium et ceremonialium) necesse est, ut et legis (totius peculiaris Testamenti) translatio fiat *n* Heb. VII. 12. Iam vero ista omnia instituto ex ipsa intima sua natura typorum et praeparationum ad Christum eiusque opus *venturum* sponte sua desinebant in hoc suo significatu et valore, dum complebantur in Christo iam praesente et in eius Ecclesia constituta: *u* quae sunt *umbra futurorum*, corpus autem Christi » Colos. II. 17. Amplissime haec disserit Augustinus in libris contra Faustum, *u* Iudaeo dicenti mihi, cur tenes vetus Testamentum, cuius praecepta non servas? respondeo, servari a Christianis etiam ex ipsis Ubris (V. T.) *praecepta vitae agenda* praecepta vero *vitae significandae* tunc recte observata, cum praenuntiabantur ista, quae nunc revelata sunt. Quapropter etiam ipsa sic non observo ad religionem, ut teneam tamen ad testificationem, sicut et promissa carnalia quae ibi continentur, unde proprie dicitur vetus Testamentum, quamvis mihi aeterna speranda revelata sunt» Aug. cont. Faust. 1. X. c. 2. Vultu fusius de his disputat 1. XIX. cc. 8. 9. 10. 11. ^T

Veterum igitur institutorum iudicialium et ceremonialium ac proinde synagogae ut verae Ecclesiae desitio facte est per complementum *H* Christo et in Ecclesia Christi;

desitio inquam illa intelligitur esse transitus *futuri* in *praesens*, *umbrae et figurae* in *corpus et in rem significatam*, *promissionis* in *donationem*, *prophetiae* in *evangelism*: *u* non veni solvere legem sed adimplere » Matth. V. 17.

II. Nihilominus ut de illis institutis divinis quidem sed temporaneis eorumque extinctione tempore apostolico et deinceps, quando iam *mortua* erant vel *mortifera*, recte indicemus, in illis distinguendi sunt quatuor modi observantiae valde diversi: a) observantia in formali ratione promissionum et typorum ad Christum adhuc expectandum; b) observantia existimata necessaria ex perpetua institutione ac lege divina; c) observantia in ratione instituti religiosi quondam a Deo filiis Israel dati non amplius necessaria sed tamen permissa; d) observantia non ex lege divina veteris Testamenti retinenda, sed per legem humanam imponenda.

Γ. Clarum est, primum modum observationis pro tempore novi Testamenti continere negationem Iesu Christi. In hac permanens synagoga negavit et pervertit propriam rationem et finem ipsius veteris Testamenti, atque ita per apostasiam a propria sua lege incidit in infidelitatem *contrarie* oppositam verae fidei et Ecclesiae novi Testamenti promissae et praefiguratae per ipsam *i*Uam legem, quemadmodum Salvator eis exprobravit: « est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis (ηλπικατε); si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan (επιστευετε

46. Quod ipsum Apostolus ita explicat, *u* Israel sectando legem iustitiae, ad legem iustitiae non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus (legis): offenderunt enim in lapidem offensionis... Iustitiae Dei non subiecti; *finis enim legis Christus*, ad iustitiam omni credenti» Rom. IX. 27. sq.

Secundum hunc igitur observandi modum iudicialia et ceremonialia veteris legis, post manifestationem Iesu Christi eorumque adimpletionem in ipso, semper erant ac manent non solum *mortua* i. e. nec necessaria nec utilia, sed omnino *mortifera*, *u* Si quaedam facta et celebrationes quae Sgurae erant ventura praenuntiantes, adhuc a Christianis



fierent, nihil significaretur nisi nondum venisse, quae tum figuris praenuntiabantur. Quod enim adhuc venturum praenuntiatur, aut nondum venit, aut si iam venit, supervacue vel fallaciter praenuntiatur » Aug. cont. Faust. l. XIX. c. 8.

2°. Quoad modum alterum, quem diximus, observantiae *ex obligatione divinae legis* adhuc permanente, haec obligatio et observantiae necessitas ad salutem, completa, redemptione per mortem crucis, obiective et in se certe desiit pro ipsis etiam Iudaeis eoque magis pro Christianis ex circumcisione; nationes enim alias et consequenter fideles ex gentibus ea lex peculiaris data pro uno populo peculiari numquam obligabat, et pro ipso populo Israel, ut paulo ante diximus, erat tantummodo paedagogia ad Christum et ad eius Ecclesiam ac perfectionem legis novae, « Prius autem quam veniret fides (lex nova), sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quae revelanda erat; itaque lex paedagogus noster fuit in Christo (εἰ Χριστόν), ut ex fide iustificemur; at ubi venit fides, iam non sumus sub paedago » Gal. III. 19. sqq. Ubi Deus per Ieremiam (XXXI. 31). promisit « Testamentum *novum*, » Apostolus subdit commentarium: « dicendo autem *novum* veteravit prius; quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est » Heb. VIII. 8-15.). « Nunc autem repromittit dicens; adhuc semel, et ego movebo non solum terram sed et coelum (Agg. II. 6.). Quod autem *adhuc semel* dicit, declarat mobilium translationem, ut maneat quae sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes habemus gratiam » ib. XII. 26.

Post promulgationem itaque fidei christianae Testamenti novi, regni immobilis numquam licuit tenere aut docere observantias paedagogiae, Testamenti antiquati et mobilium iam translatorum velut adhuc persistentes in suo valore et in sua vi obligandi. Contra eos qui ita ex obligatione velut necessarias ad iustitiam christianam ceremonias legis observandas esse docebant, Apostolus scripsit totam suam epistolam ad Galatas, « Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.... Evacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini; a gratia excidistis » Gal. V. 2. Declarat hunc locum Augusti-

nus. « Eis dictum, si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit, qui propterea volebant circumcidi, quod aliter se putabant in Christo salvos esse non posse. Hoc ergo animo, huc voluntate, hac intentione quisquis tunc circumcidebatur, Christus ei nihil omnino proderat... IHos itaque arguit, qui se iustificari in lege credebant, non qui legitima illa in eius honorem, a quo mandata sunt, observabant, intelligentes et qua praenuntiandae veritatis ratione mandata sint, et quousque debeant perdurare » Aug. ad Hieronym. ep. 82. n. 19.

3°. Alium itaque modum observandi legalia, quem ultimis verbis indicat Augustinus, ab utroque antecedente omnino diversus esse poterat; si nimirum concedendo et profitendo, translationem veteris legis iam factam esse, ac propterea necessitatem aut obligationem istorum ceremonialium desiisse, nihilominus eadem instituta legalia observarentur vel ob venerationem eorum originis et traditionis tot saeculorum in populo Dei, seu ut loquitur Augustinus (ad Hieron. ep. 40. n. 6.), « ex consuetudine solemnitatis, non ex necessitate salutis; » vel ob rationes prudentis oeconomiae, quo modo ipsum Paulum legalia quandoque observasse, idem Augustinus (ep. 82. n. 9.) monet, « ne per doctrinam Christi velut sacrilega, nec Deo mandante conscripta damnari putarentur, et ut ostenderet, nec Iudaeos tunc ab eis tamquam a nefariis prohibendos, nec gentiles ad ea tamquam necessaria compellendos. »

Hunc modum observandi legalia aliquamdiu fuisse permissum, adeoque illa licet iam *mortua* nondum fuisse *mortifera*, luculentis ipsorum Apostolorum ac nominatim Pauli factis doctrinam includentibus demonstratur. Act. XVI. 3; XVIII. 18; XXI. 20-26. Quoad doctrinam imo etiam quoad modum conversationis et praxim universim spectatam plena utique erat consensio inter Apostolos Petrum et Paulum.

Sicut enim gentium Apostolus constanter docebat, obligationem illarum ceremoniarum desiisse, adeoque eas ad iustitiam christianam non solum pro gentibus sed etiam pro Iudaeis minime conducere; ita nihilominus factus est Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucraretur; iis qui sub lege sunt, quasi sub lege esset, cum ipse non esset



sub lege, ut eos qui sub lege erant, lucrifaceret 1. Cor. IX. 20; et Timotheum circumcidit « propter iudeos » Act. XVI. 3; ipseque ceremonias legales observabat, ne fideles ex circumcissione aut iudei nondum ad fidem conversi in opinionem inducerentur, ab Apostolo veterem legem in se condemnari atque (ut aiebant) doceri « discessionem (ἀποστασιὰ) a Moysē » Act. XXI. 21. At hoc idem de abolita et minime necessaria observantia ceremoniarum legis primus praedicavit ac definivit Petrus in Concilio Apostolorum directe quidem pro fidelibus conversis ex gentibus, sed simul etiam pro Iudeis Act. XV. 10. 11. Quam doctrinam ipso suo modo conversationis confirmabat; « iudeus enim cum esset, gentiliter (ἔθνικω) vivebat et non iudaice » Gal. II. 14; ex altera vero parte non secus ac Paulus tolerabat et, ubi timebat scandalum iudeorum, seu (ut Paulus ait) « timens eos qui ex circumcissione erant » (Gal. II. 12.), ipsemet observabat leges ceremoniales. Diversitas oeconomiae inter utrumque Apostolum continebatur in applicatione unius eiusdem doctrinae ad particularem conditionem Antiochenorum. Cum enim (providentia speciali) Paulo creditum esset « Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcissionis; » ille gentilium, ne in errorem de necessitate legalium inducerentur, hic iudeorum ne ab Ecclesia Christiana averterentur, maiorem rationem habendam esse voluit (1). Gal.

Ex doctrina itaque et praxi Apostolorum certum est, legem illam ceremoniam licet iam *mortuam* illis tamen primis initiis Ecclesiae christianae nondum fuisse *mortiferam*; non minus vero ex ipsa ratione et indole istius temporariae permissionis, ex Patrum imo ex totius Ecclesiae consensu, definitionibus ac condemnationibus adversus haereticos constat, observantiam earundem ceremoniarum, le-

ft) De ratione moloque hinc dissensionis inter duos maximos Apostolos orta est illa alia dissensio inter duos maximos Doctoris Ecclesiae Hieronymum et Augustinum, cuius amica quidem sed acris expressio prostat in epistolis invicem datis (inter Augustinianas epp. 27. 40. 72. 73. 75. 81. 82.). Ceterum de quo Paulus ad Galatas loquitur, non esse Petrum Apostolum sed nescio quem alium, ut nonnulli contendunt, nec Hieronymo nec Augustino unquam in mentem venit,

galis circumcissionis aliorumque veterum sacramentorum, sacerdotii Levitici, sacrificiorum, et quae sunt alia sacra huius generis, mox « constabilita iam et latius inter gentes diffusa Ecclesia Christiana » coepisse esse prorsus illicitam atque adeo *mortiferam*. In decreto pro unione iacobitarum edito in Concilio Florentino (4. Feb. 1442.) post definitionem cessationis legalium veteris Testamenti, et declarationem: « quemcumque etiam post passionem in legalibus spemponentem et illi velut ad salutem necessariis se subdentem, quasi Christi fides sine illis salvare non posset, peccasse mortaliter, » subditur ulterior elucidatio: « Non tamen negat (S. Romana Ecclesia), a Christi passione usque ad promulgatum Evangelium illa potuisse servari, dum tamen minime ad salutem necessaria crederentur, sed post promulgatum Evangelium sine interitu salutis aeternae asserit non posse servari. Omnes ergo post illud tempus circumcissionis, sabbati reliquorumque legalium observatores alienos a Christi fide denuntiat et salutis aeternae minime posse esse participes, nisi aliquando ab iis erroribus resipiscant. » Eadem compendio habet Professio fidei a S. Sede orientalibus praescripta.

Tempus per illa verba « post promulgatum Evangelium » strictius quidem definitum non est, videtur autem dicendum, hanc satis amplam et latius propagatam promulgationem inter gentes coincidere cum urbis sanctae ac templi praenuntiato finali excidio et cum dispersione Ecclesiae Hierosolymitanae, quae Christianis constabat ex circumcissione. Ex eo igitur tempore observatio legum ac rituum synagogae non modo *negative* haud necessaria sed *privative* proscripita et perniciose esse coepit. Nimirum usque ad extremam sententiae executionem a Christo iudice contra urbem et templum pronuntiatae lex illa prophetica iam amiserat vitam officii sui, ut loquitur Augustinus, nihilominus tamen religiose deducenda erat ad sepulturam; sepulta autem sub urbis ac templi cineribus in lucem proferri non potest, quin violetur divina oeconomia in institutione Ecclesiae stabilita. « Cur mihi dicere non liceat, Apostolum Paulum et alios rectae fidei Christianos tum illa vetera sacramenta paululum observando veraciter commendare debuisse, ne



putarentur illae prophetae significationis observationes a piissimis patribus custoditae, tamquam sacrilegia diabolica a posteris detestandae? Iam enim cum venisset fides, quae prius illis observationibus praenuntiata post mortem et resurrectionem Domini revelata est, amiserant tamquam vitam officii sui. Verumtamen sicut defuncta corpora necessariorum officiis deducenda erant quodammodo ad sepulturam, nec simulate (ut dixerat s. Hieronymus) sed religiose; non autem deserenda continuo, vel inimicorum obtreptionibus tamquam canum morsibus proiicienda. Proinde nunc ■quisquis Christianorum, quamvis sit ex Iudaeis, similiter ea celebrare voluerit, tamquam sopitos cineres eruens, non erit pius deductor vel baiulus corporis, sed impius sepulturae violator n Aug. ad Hieronym. ep. 82. η. 15-17. cf. cont. Faust. l. XIX. c. 17. Sectae iudaizantes, quae illas observationes lege divina perpetuas esse contenderunt, in haeresim delapsae sunt, et « dum vellent et Iudaei esse et Christiani, nec Iudaei nec Christiani esse potuerunt. »

4°. Remanet nobis ex quaestionibus propositis postrema, utrum et intra quos limites observantiae, quae in veteri Testamento *ceremoniales* erant divinitus populo Israel praescriptae, possint ab Ecclesia non utique divinis (quae abrogatae sunt), sed suis legibus ecclesiasticis vel aequipollente legitima consuetudine imponi fidelibus custodiendae ad piam et consentaneam disciplinam?

Benedictus XIV. in litteris encyclicis (1. Martii 1756.) ad Episcopos graeci ritus editis pro commendanda et explicanda nova editione Euchologii hanc de legalibus Moisaicis doctrinam §. 59. sqq. pluribus collustrat, u Quamvis promulgato Evangelio, inquit §. 63. cessarint ceremonialia praecepta veteris legis... non minus tamen in potestate est Ecclesiae Christi iustis concurrentibus rationibus gravibusque de causis, ut obligationem redintegret observandi *aliquod ex praeceptis ceremonialibus*, quae erant in lege veteri, licet in nova, ut innuimus, abrogata sint; dummodo praeceptum non sit ex eorum numero, quae in lege veteri *praecipue ordinata erant ad praefigurandum Messiam venturum*, cuiusmodi patet fuisse exempli gratia circumcisionem et animalium sacrificia, uti ad rem nostram

advertit Vasquez; sed sit ex genere eorum; *quae ad externam disciplinam et corporis munditiam* pertinebant, in quorum classem profecto referenda veniunt, quae de cibis mundis et immundis praescripta fuerant. Id autem assumptum non minus ex occidentalis quam orientalis Ecclesiae disciplina, et quidem ex priorum saeculorum monumentis comprobatur. » Ita doctissimus Pontifex. Etiam in Florentino decreto pro Iacobitis superius citato, primum quidem ponitur ut doctrina S. R. Ecclesiae, u illam Mosaicae legis ciborum mundorum et immundorum differentiam ad ceremonialia pertinere, quae surgente Evangelio transierunt et efficacia esse desierunt; n ac porro « nullam cibi naturam condemnandam esse, quam societas admittit humana, nec inter animalia discernendum... quocumque genere mortis intereant; n nihil tamen minus etiam ibi habetur ratio « regularis et ecclesiasticae disciplinae; » concluditur enim: « quamvis pro salute corporis, *pro virtutis exercitio, pro regulari et ecclesiastica disciplina* possint et debeant multa (per legem divinam) non negata dimitti, quia iuxta Apostolum omnia licent sed non oinnia expediunt, n

Multae et praecipuae leges ceremoniales fundamentum et formam suam propriam habebant in significatione typorum ad Christum venturum et ad Ecclesiam Christi, in qua propterea institutiones aliae praesignificatae illis veteribus ceremoniis typicis sunt ut complementum prophetiae. Huc pertinent sacramenta veteris legis, et in primis sacramentum circumcisionis ut signum Redemptoris nascituri ex semine Abraham, et ut sigillum adoptionis in peculiarem illum populum, atque ideo ut typus futurae adoptionis filiorum in Ecclesia novi Testamenti per sanctificationem in baptismo, quae est a circumcisio non manu facta sed circumcisio Christi » Col. II. 11. 12. cf. Rom. II. 29. Idem valet de sacerdotio et omnibus sacrificiis veteribus, quoniam in novo Testamento omnino excluduntur tum per sacrificium cruentum in cruce, ad quod illa referebantur, tum per sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, in quo ex divina institutione « carnalium sacrificiorum varietate cessante omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis Christi implet oblatio n (s. Leo serm. 59. c. 7.). Praeter

r

J

ift. M»



sacramenta et sacrificia huc referuntur *sacra* illis connexa ad peculiarem formam externi cultus, et *observantiae* (1) pertinentes ad munditiam seu sanctitatem legalem, quas Paulus (Heb. IX. 9. 10. 13.) vocat « iustitias carnis usque ad tempus correctionis impositas, » si nempe ista *sacra* et *observantiae* non seorsum singula sed in complexu spectentur, quo populi typici peculiarem indolem ritualementalem et sacerdotalem eiusque separationem a cunctis gentibus constituebant.

Hos itaque ritus continentes professionem oeconomiae imperfectae et complendae per Redemptorem venturum manifestum est, nec lege ecclesiastica restitui nec ab Ecclesia in suis fidelibus tolerari posse. Qua in re s. Augustinus suum, consensum cum s. Hieronymo, qui aliter eum intellexisse videbatur, efficacissime exprimit: « Sicut tu libera voce pronuntias, ceremonias Iudaeorum et perniciosas esse et mortiferas Christianis, et quicumque eas observaverit sive ex Iudaeis sive ex gentibus, eum in barathrum diaboli devolutum; ita ego hanc vocem tuam omnino confirmo, et addo: quicumque eas observaverit sive ex Iudaeis sive ex gentibus, non solum veraciter verum etiam simulate, eum in barathrum diaboli devolutum » Aug. ep. 82. n. 17. 18.

Ex praedictis omnibus apparet, quanto in errore versentur illi, qui praesagiunt tempus futurum quo populus Iudaicus conversus ad Christum in resuscitato templo Hierosolymitano una cum sacrificio eucharistico Agni immaculati ex mandato divino etiam sacrificia veteris formae immolaturus sit aliaque *sacra* restitutus.

Ab his quae memoravimus, distingui omnino debent leges iudiciales et quaedam seorsum singulae ceremoniales, quae non in significatione typica futurorum in Testamento novo, sed in rationibus disciplinaribus, ethicis, politicis generatim spectatis fundamentum habebant. Quare ex hoc ipso fundamento ordinis ethici aut politici, seu ut dicitur in decreto pro Iacobitis, pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari et ecclesiastica disciplina, huiusmodi *observantiae*, quae erant et quamvis erant in veteri Testamento

(1) Distinctionem in sacrificia, sacramenta, *sacra*, et *observantiae* vide etiam apud s. Thom. 1. 2. q. 101. a. 4.

in novo Testamento pro Christianis a legitima potestate permitti vel etiam praescribi. Hanc vero non esse veteris *legis divinae* iam abolitae renovationem, sed novam impositionem *legis humanae*, per se manifestum est; quamvis pro eius honestate et congruitate possit et soleat appellari ad veterem legem a Deo ipso latam. Ita legis Mosaicae abstinentia « a sanguine et suffocato » ab ipsis Apostolis etiam Christianis ex gentibus praescripta est (Act. XV. 20. 29; XXI. 25.), et quamvis a huius apostolicae prohibitionis cessante causa, etiam cessavit effectus » (decret. pro Iacob.), atque inde desiit esse lex proprie dicta *apostolica*; nihilominus eadem abstinentia per plura saecula in Ecclesia occidentali, et usque ad nostram aetatem in quibusdam Ecclesiis orientalibus, sive per consuetudinem sive lege positiva ecclesiastica, custodita est; hocque ipsum locum habuit quoad immunditias quasdam sive corporis sive ciborum in veteri lege statutas. De his praeter litteras encyclicas Benedicti XIV. supra citatas legi possunt theologi et inter hos Suarez l. IX. de legibus.

Ex dictis obiter adverti potest, quo sensu leges quaedam per se ecclesiasticae quandoque referantur ad legem Mosaicam, et sub hac relatione dicantur divinae. Quando nimirum ipsa rei praeceptae substantia derivatur ex lege naturae (suppositis institutionibus ordinis supernaturalis), modus vero determinatus a lege ceremoniali Mosaica secundum eandem formam praescribitur ab Ecclesia, merito pro huiusmodi praescriptionis commendatione appellatur ad veterem legem a Deo ipso latam. Sic ius sacrorum pastorum ad congruam sustentationem ex lege naturae derivatur, et in novo etiam Testamento positiva declaratione firmatur (1. Cor. IX. 7. sqq.; 1. Tim. V. 17. 18.); sed modus huius sustentationis per decimarum perceptionem in oeconomia Mosaica pertinebat ad legem *ceremonialem* vel (si mavis) *iudicialem* (Suarez l. c. cap. 19. n. 18.). Quare cum obligatio ex lege illa divina iam desierit, lex *decimarum* formaliter spectata pro novo Testamento censenda est *ecclesiastica*, Nihilominus tamen Innocentius III. in decretalibus (l. III tit. 30. cap. 26. *Tua nobis*) obligationem, na-



luram, consecrationem decimarum novi Testamenti declarat ex lege divina Testamenti veteris, cum par sit aut fortior ratio in sacerdotio novi Testamenti prae illo veteri Levitico (1). Hoc modo etiam explicatur ius divinum immunitatis ecclesiasticae in illis etiam rebus, in quibus exemptio formaliter spectata non ex divino sed ex canonico tantum iure est, qua de re conferri possunt Bellarminus de Clericis l. I. cc. 28. 29; Suarez de Religione T. I. l. III. c. 8. n. 10; contra Reg. Angi. l. IV. versus finem.

## THESIS V.

### *Declaratur distinctio triplicis potestatis in Ecclesia.*

u Quamvis verissima et maxime necessaria sit sollemnis divisio inter  
i potestatem *ordinis* et *iurisdictionis*; attamen potestas iurisdictionis  
n quae iu bimembri illa partitione generice sumitur, ad maiorem clarita-  
tem potest et ob proprietates inter se diversas debet in s. Theologia di-  
n stingui in potestatem *regiminis* seu *iurisdictionis specificae dictae*, et in  
s potestatem *authentici atque in sua plenitudine infallibilis magisterii*, ita  
» ut theologice vera censi debeat distinctio trimembris sacerdotii seu  
n sacri ministerii, ecclesiastici imperii, authentici magisterii. »

Hanc thesim loco non suo positam fatemur, si ordo rerum intestinus et per se spectetur; sed quia iam in thesibus antecedentibus praeassumpsimus potestatem triplicem a Deo in Ecclesia institutam, et multo magis quia istam non divisionem sed distinctionem ecclesiastici imperii seu *iurisdictionis specificae dictae et infallibilis magisterii* secundum rationes formales multum diversas in sequentibus quam maxime pro Ecclesia Iesu Christi nobis retinendam,

(1) « Nimis profecto videtur iniquum, si decimae quas Deus in signum universalis domini sibi reddi praecepit, suas esse decimas et primitias asseverans (Lev. XXVII. 30.)..... fraude diminui valeant, cum Deo debita sit solutio decimarum, in tantum ut ad eas Clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit..... laici ecclesiastica sint distractione cogendi..... Praetextu nequitiae Clericorum nequeunt (laici) eas, nisi quibus ex mandato divino debentur, pro suo arbitrio erogare » Innocent. l. c



eamque in s. theologia magno usui esse putamus, propter has causas extimas istam distinctionem iam in hisce prolegomenis explicare et vindicare placuit, quantum opus est, ut falsae interpretationes et impugnationes praecaveantur vel amoveantur.

3 08 3 8

I. Divisio potestatis ecclesiasticae in potestatem *ordinis* et alteram *iurisdictionis generatim, spectatae* solet statui ita, ut illa prior ad corpus Christi reale, ad sacrificium nempe et sacramentum Eucharisticum, haec posterior ad corpus Christi mysticum seu ad membra Ecclesiae referri dicatur. Cum hic modus dicendi, ut plenam comprehendat divisionem, multis explicationibus indigere videatur, rem eandem ex principiis theologicis paulo aliter declarabimus. Nihil dicemus, quod non apud omnes catholicos ratum esse debeat, plura tamen quorum theologiam demonstrationem hic non dabimus sed supponamus ex aliis locis desumendam.

Ecclesiam, *regnum veritatis et sanctitatis* (Io. XVII. 17. sqq.; XVIII. 37.), Christus Redemptor sanguine suo, satisfactione et meritis per sacrificium in cruce consummatum, acquisivit; eamque suis institutis fundavit et disposuit ad hunc finem, ut in ea hic in terris omnes homines per fidem veritatis revelatae, per sanctitatem spei et charitatis ceterarumque virtutum supernaturalium praepararentur ad regnum visionis et fruitionis in coelis. Sanctitatem autem nobis promeritam Christus, ut ex revelatione novimus, in sua Ecclesia confert in primis *ex opere operato*, mediate quidem per propitiatorium ac perenne sacrificium incruentum corporis et sanguinis sui, quo ad gratias actuales pro remissione peccatorum et pro donatione sanctitatis concedendas applicantur satisfactiones et merita sacrificii cruenti semel oblatis et efficacis in sempiternum Heb. X. 14. (cf. de Euch. sacrificie, th. XII. XIII.); immediate vero *opus operatum* sanctificationis est per sacramenta, quae ab institutore Christo eiusque satisfactione et meritis dignitatem et efficaciam habent ad conferendam ipsam sanctitatem, gratiam nempe habitualement omnibus obicem non ponentibus (cf. de Sacram. in genere th. VI-IX.).

Sicut ergo in Ecclesia Christi sacrificium et sacramenta sunt instituta ad sanctificationem *ex*

sacrum hoc ministerium consecratur *sacerdotium*, seu ut *in concreto* loquamur, a Christo summo sacerdote in aeternum secundum ordinem Melchisedech sacerdotes instituti sunt, qui potestate ministerial! ab ipso singulis communicata offerant sacrificium novi Testamenti et conferant sacramenta. Communicatur vero potestas sacerdotii et ipsa *ex opere operato* per sacramentum Ordinis, atque *indelebili caractere* obsignatur (Tract, de Sacram, in genere th. XII. XIII.). Propter quam causam ipsa in suis proprietatibus sequitur naturam *characteris*; ac proinde in omnibus eodem caractere insignitis eadem est, atque efficax ad omnes actus pro quibus est instituta, in ista sua efficacia seu quoad valorem independens non modo a meritis ministri sed etiam a quavis superiori potestate in Ecclesia, indelebilis in hac vita, nemini denique communicabit, qui careat caractere respondente ipsi potestati (1). Haec sacerdotii potestas est,

(1) In Sacramento Poenitentiae quomodo haec vera sint, intelligendum est ex speciali huius sacramenti ratione per modum *iudicii* a Christo instituti, a solis autem Apostolis eorumque *in sacerdotio* successoribus administrandi. Proinde non minus ad hoc quam ad alia sacramenta administranda essentialiter requiritur *potestas ordinis* obsignata sacramentali caractere sacerdotii; sed quia in eodem ex Christi institutione exercetur *iudicium* ad remittenda vel retinenda peccata, indicium scilicet *in foro interno* conscientiae, hoc fieri nequit nisi administrans sit legitimus index instructus iurisdictione fori interni in poenitentem absolvendum. Iam vero in potestate ordinis et caractere sacerdotii continetur quidem *aptitudo* ad hanc iurisdictionem fori interni (iurisdictionem *in potentia proxima* dixeris), sed nulla iurdictio *in actu*. Haec igitur iurdictio non iam ad licitam dumtaxat sed omnino ad validam administrationem iudicii sacramentalis aliunde obtinenda est, a Superiore nempe qui eam conferendi hierarchica polleat potestate, quae potestas ipsamet est iurdictio non interni fori sacramentalis sed fori externi, ac propterea potest esse in eo qui ipsemet careat caractere sacerdotali et proxima potentia ad iurisdictionem sacramentalera. Patet istam iurisdictionem fori interni, sicut in collatione ita, ex ipsa subordinatione hierarchica, in valido exercitio seu perduratione et in extensione pendere a Superiore; proinde sicut quaevis iurdictio ecclesiastica ita haec quoque fori interni in solo Supremo Episcopo, Pontifice Romano, absolute independens est divinis dumtaxat legibus circumscripta.

Duo tamen sunt Sacramenta, ad quorum validam administrationem potestas ordinis non requiritur. De baptismo id constat ex sola traditione divino-apostolica; quamvis etiam ad huius sacramenti administra-



quae propter modum collationis, incommutabilitatis et in dependentiae in suo valore dicitur *potestas ordinis*, ut se cernatur ab altera *iurisdictionis*.

II. Sacerdotium cum sacrificio et sacramentis et cuin *opere operato* gratiae in Ecclesia Iesu Christi sacerdotis in aeternum, pro sanctitate qua ipse eam sanctificare et sibi gloriosam exhibere voluit (Eph. V. 26. 27.), est quidem essentialis; sed tamen his infinitae dilectioni eius ac providentiae erga Ecclesiam suam satis non est factum. In iisdem enim suis ministris, in Apostolis et eorum usque ad consummationem saeculi successoribus, quibus contulit plenitudinem sacerdotii, aliam instituit potestatem, quae tum infallibilitatem in docendo ad propagationem et perennem conservationem integritatis fidei, tum supernaturalem gubernationem in regendo ad indeficientem sanctitatem morum Christianorum in se comprehendit.

Est igitur in primis potestas et munus divinitus iniunctuin sub tutela Christi et assistentia Spiritus veritatis cum eis manentis in aeternum (Io. XIV. 16.) praedicandi, non solum subditis in Ecclesia sed omnibus gentibus, explicandi, in sua integritate conservandi doctrinam et legem Dei eiusque divinas sanctiones. Potestatis plenitudo, ut mox

tionem *licitam*, extra casum necessitatis, ordinis (saltem diaconatus) potestate op. est. Quoad mat. inonitun. r»a clara est etiam ex proprii. ratione huius sacramenti, quam utique ipsam non nisi ex revelatione novimus. Cum enim c *matrimonium* in lege Evangelica *veteribus coniugiis* per Christum gratia praestet - (Cone. Trid. sess. XXIV.), ac proinde ipse validus contractus, quo fit matrimonium in lege Evangelica aequae ac fiebant vetera coningia, a Christo in sna Ecclesia consecratus sit in sacramentum effieax gratiae, ita ut inter baptizatos validus contractus matrimonialis fieri non possit, quin is ipse sit sacramentum; profecto nemo alius quam efficientes inter se matrimonialem contractum eifieit sacramentum.

Pro Sacramento Chrismatis *potestas ordinis* necessaria et sufficiens ad valorem integre et tn *actu secundo* non extat nisi in plenitudine sacerdotii h. e. in Episcopis; verinntamen traditione, ut ea ab infallibili custode depositi in Ecclesia explicata est, certo constat, cum caractere presbyterali connexam esse potestatem, non actu quidem sed tamen in *ylentia proxima*, nt isto caractere insignitis auctoritate Bomai Pontificis ad hoc sacramentum conferendum fieri queat potestas *in actu secundo*, quae propterea est et dicitur extraordinaria, cum in Episcopis sit ordinaria.

Suarezii explicationem videbimus, *u* in hoc genere nihil aliud est quam quod potestas sit ad docendum cum assistentia Spiritus Sancti ac certitudine infallibili, *n* Porro ut haec potestas infallibiliter docendi in regno Christi visibili, quod licet non de hoc mundo tamen in hoc mundo est, efficacior sit ad custodiendum ipsum depositum sacrae doctrinae, ad muniendam unitatem fidei in regno veritatis, et maxime ad regendum regnum sanctitatis, cum illa a divino auctore et consummatore fidei (Heb. XII. 2.) coniuncta est et intime unita potestas gubernationis, quae proprie est ecclesiastici imperii (Tit. II. 15.) seu regiminis. Petro enim, ut veteres theologi loquebantur, cum *clavi scientiae* ad infallibiliter aperiendam doctrinam et legem Dei simul commissa est *claris potentiae* ad regendum suis legibus, iudiciis, sanctionibus, ut secundum Christi orationem ac mandatum fide indeficiens docendo et potentia regendo confirmet fratres suos (Luc. XXII. 32.) ; dati sunt a Christo non solum doctores, sed iidem simul *doctores et pastores* ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi (Eph. IV. 11. 12. cf. de Tradit, th. XXV. η. I.); a Spiritu Sancto positi Episcopi *regere* Ecclesiam Dei (Act. XX. 28.); constituti *praepositi* (χρυσάενοι) ad exigendam obedientiam et subiectionem, qui pervigilare tenentur quasi rationem pro animabus subditorum reddituri (Heb. XIII. 17.).

Tota haec potestas in complexu spectata, significatione nominis generica, est et rectissime dicitur *potestas iurisdictionis*; ex utraque enim ratione, tum infallibilitate docendi tum potentia regendi, suis definitionibus suisque legibus inducit obligationem obedientiae secundum hierarchicam subordinationem, quamvis modo diverso. Sed de hac unitate et distinctione, qualis sit, paulo post dicturi sumus. Interim advertatur, quanta sit non solum realis distinctio sed diversitas inter *potestatem iurisdictionis* et *potestatem ordinis*\* I

III. Hanc diversitatem inter potestatem *ordinis* et *iurisdictionis*, quamvis de illa ex iam dictis constare queat, paucis complectemur. I

1°. Potestas ordinis essentialiter nexa est cum caractere sacramentali. Ex adverso illa iurisdictionis a caractere es-



sentialiter non pendet; unde iurisdictio non solum episcopalis sed etiam suprema et plena in universam Ecclesiam, quae est Romani Pontificis, inesse potest absque caractere episcopali. Quod quidem re ipsa locum habet, quoties Pontifex eligitur qui nec Episcopus et forte nec presbyter nec diaconus est; ex divina nempe institutione, per legitimam electionem et accedentem ipsius consensum designato Christus continuo totam confert iurisditionis potestatem eamque divisam a potestate ordinis; haec enim, non illa confertur per sacramentum Ordinationis seu Consecrationis.

2'. In quibus idem est character sacramentalis, in iis omnibus eadem est potestas ordinis; non ergo in eis *quoad hanc potestatem* gradus sunt diversi: a ubicumque fuerit Episcopus sive Romae sive Eugubii... eiusdem et est *Sacerdotii* » (Hieronym, ep» 146. ad Evang.).

At in potestate iurisditionis subordinatio exstat hierarchica et discrimen graduum partim iure divino, ut ea est successoris Petri suprema et universalis, atque ut sub ipso eam participant alii Episcopi; iure ecclesiastico subordinatio est etiam inter Episcopos Romano Pontifici inferiores. Prior illa subordinatio essentialis est iuxta divinam constitutionem Ecclesiae, atque idcirco incommutabilis; posterior Episcoporum inter se connectitur quidem cum constitutione Ecclesiae, sed est mutabilis secundum eas condiciones, quae iure reguntur ecclesiastico.

3'. Carens caractere sacramentali, ut ex dictis patet, nullam potest habere ordinis potestatem; unde haec nec delegari, nec alio modo nisi per ipsam sacramentalem ordinationem conferri potest. At vero insignitus caractere sacramentali valide semper (ex parte sua) exercet potestatem sui ordinis, quae nec restringi nec auferri umquam potest. Quod usus interdicti, atque inde sacrilege illicitus reddi queat, consequitur ex subordinatione hierarchica divini vel etiam ecclesiastici iuris in gradibus iurisditionis.

Ex eadem hac subordinatione manifestum est, potestatem iurisditionis, quatenus non suprema sed inferior in singulis Episcopis consideratur, tum obnoxiam esse superioris restrictioni, suspensioni, ablationi, quo ipso actus non modo illiciti fiant sed omnino invalidi, tum posse aliis de-

legari intra limites hire divino vel ecclesiastico constitutos. Hinc simul assumptis iis, quae n. 1<sup>o</sup>. diximus, patet ratio, cur per delegationem Summi Pontificis sive ea sit per legem generalem sive fiat dispositione et actu particulari, ii qui Episcopi non sunt, possint habere iurisdictionem, qua in Conciliis oecumenicis concurrant non modo ad decernendum in rebus ecclesiasticae disciplinae sed etiam ad definiendum in rebus fidei; nam et hoc alterum non ad ordinis sed ad iurisdictionis potestatem generice spectatam pertinet.

4'. Postremo efficacia potestatis ordinis per sacrificium et sacramenta est *ex opere operato* immediate ad sanctificationem animarum donis gratiae internae, quamvis utique ista simul pertineant ad partem nobilissimam Ecclesiae, quatenus visibilis est. 3

Efficientia iurisdictionis per se et immediate spectat ad visibilem unitatem professionis fidei in regno veritatis, atque ad visibile regimen regni sanctitatis; tinaliter vero ad ipsam fidem et sanctitatem internam *ex opere cooperantium*.

IV. Verum quod potissimum a nobis quaeritur, non est distinctio aut divisio potestatis iurisdictionis generice spectatae ab altera potestate ordinis; sed utrum et quomodo in ipsa illa potestate iurisdictionis duae rationes formales, potestas divini *magisterii* et potestas ecclesiastici *imperii* seu iurisdictionis specificae dictae inter se distinctae censi debeant? \*1

Γ. Ut nescio quam suspicionem novitatis alicubi ingestam ab ipso limine praeoccupemus, videamus primo modum sentiendi et loquendi de hac re penes vetustiores theologos. Suarez certe ita loquitur, ut distinctionem supponere videatur communiter receptam ac per se notam, quae probatione aut defensione non indigeat. Ubi demonstrat, Constitutionem Gregorii XIII. *Ascendente Domino* non disciplinarem tantum sed dogmaticam esse, atque adeo « ex plenitudine potestatis » infallibilem, distinctionem duplicis clavis, *doctrinae*, et *iurisdictionis*, assumit ut *certam et necessariam*. « Quia potestas debet esse accommodata actui, certum est hic non esse tantum sermonem de potestate iurisdictionis, sed maxime de potestate quae clavis scientiae appellatur; nam haec erat per se necessaria ad hanc decla-



rationem faciendam (ad declarationem doctrinae videlicet, ad quam ergo potestas iurisdictionis non sufficiens fuisset). Potestatis autem plenitudo *in hoc genere* nihil aliud est, quam quod *potestas sit ad docendum cum assistentia Spiritus Sancti, ac certitudine infallibili* » Suarez de Relig. T.IV. l. III. c. 4. n. 11. Eamdeni assumit distinctionem in defensione litterarum Apostolicarum, quibus Paulus V. condemnavit doctrinam ac prohibuit usum iuramenti a rege Angliae Iacobo I. subditis catholicis impositi *a* ad detegendos et reprimendos papistas; » ubi attendas velim auctoris animadversionem, *clavim scientiae* pertinere ad condemnationem erroris in se spectati, *clavim potestatis* seu iurisdictionis referri ad personas, quibus fit praeceptum seu prohibitio. *a* Formula iuramenti, inquit, continet multa religioni et bonis moribus contraria, ergo Pontifex illam reprobando legitima *clavium potestate* usus est, nimirum *clave scientiae* declarando iniustitiam et malitiam illius iuramenti, quod est proprium munus pastoris, ad quem spectat pascere gregem Christi; et *clave potestatis* prohibendo usum talis iuramenti... *Ad reprobendam falsam doctrinam non oportet esse indicem competentem auctoris eius*, neque ipsum aliter audire quam per scripta sua; *ad prohibendum autem sub praecepto* tale iuramentum, necessaria quidem est iurisdictio in eos, ad quos fertur praeceptum, quam Angli catholici in Summo Pontifice tamquam in suo pastore recognoscunt; recte ergo potuit Pontifex Anglis talem prohibitionem imponere, praesertim cum non tam legem novam fecerit, quam *divinam et naturalem* de evitando illicito iuramento et falsi erroris professione fugienda *declaravit* (clave scientiae) et *suo praecepto confirmavit* (clave potestatis). Respectu autem regis, licet verissimum sit Pontificem esse ipsius indicem competentem, ut supra ostendimus (ex caractere baptismi), nihilominus tamen in hoc actu nullum indicium iurisdictionis in regem exercuit *n* Defens. fidei cont. Reg. Angi. l. VI. c. 7. Nullum indicium iurisdictionis in regem exercuit; sed profecto etiam pro rege sicut pro aliis omnibus « declarando malitiam illius iuramenti » et « reprobando falsam doctrinam » exercuit *a* potestatem quae clavis scientiae dicitur, « ad quam per se

j r - w  
« - »

K . . .

Ksr\* .

|

spectatam non opus est indicio iurisdictionis, ut Suarez in toto contextu docet.

Eodem sensu sed paulo alia divisione *clavibus* loquitur egregius theologus Lovaniensis Thomas Stapleton; ipse enim ex una parte ponit *clavim scientiae* ex altera *claves potestatis* tum ordinis tum iurisdictionis. a Claves Ecclesiae, ait, dividi possunt *in elavem scientiae et potestatis*,.. Ad *elavem scientiae* pertinet aperire Scripturas (seu universaliter doctrinam et legem revelatam), quam Christus exercuit Luc. XXIV. et de qua dixit legisperitis, tulistis elavem scientiae Luc. XI. 52. *Potestas* vero clavium est vel *ordinis* vel *iurisdictionis*. Ipsa iurdictio est vel in foro externo, excommunicando, suspendendo ab officio, indulgentias concedendo, et leges ferendo (generaliter legifera, iudiciaria, coercitiva); vel in interno, peccata remittendo. Tota haec amplissima et adaequata potestas clavium soli Petro hoc loco (Matth. XVI.) a Christo Salvatore promissa est » Staplet. Opp. T. I. de Princip. fidei l. VI. c. 1.

Haec obiter indicasse sufficiat, ut ipso modo loquendi veterum theologorum appareat, magisterium et iurisdictionis imperium in Ecclesia ab eis ita intellecta fuisse, ut eorum distinctionem in dubium nec ipsi vocaverint nec vocari posse putaverint. Sed ne distinctio ipsa praepostere accipiatur, eius formales rationes paulo pressius definiendae sunt. Claritatis et brevitatis causa spectabimus potestatem supremam in capite Ecclesiae, ex qua applicatio ad potestatem inferiorum graduum facile fieri potest, salvis utique et retentis limitationibus, quae ex subordinatione et dependentia inferioris a superiore consequuntur.

2°. In primis advertatur, qualis sit unio inter clavim magisterii et clavim iurisdictionis. Totum obiectum materiale sacri magisterii est etiam vel potest esse obiectum iurisdictionis, et vicissim suprema iurdictio, saltem quatenus suis actibus refertur ad regimen totius Ecclesiae, includit infallibile magisterium. Quando revelata doctrina fidei vel morum (1) a Pontifice ex cathedra vel in oecume-

(1) Haec distinctio usu loquendi ecclesiastico consecrata non est *realis* sed *rationis cum fundamento in re*, quatenus mores lege divina revelata reguntur, qua revelatione etiam lex naturalis continetur. In distinctione



nico Concilio *definitius* ipsa definitio includit tñm infallibile magisterium tum supremam jurisdictionem in universam Ecclesiam, seu potius definitio fit assistente Spiritu Sancto per actum infallibilis magisterii, quatenus doctrina in se declaratur divinitus revelata vel saltem veritas proxime nexa cum dogmate revelato; actus vero iurisdictionis includitur, quatenus doctrina per ipsam definitionem sub explicit! vel impliciti anathematis aut alterius censurae poena intimatur omnibus fidelibus (seu potius omnibus baptizatis) tenenda. Insuper Ecclesia per potestatem iurisdictionis divinam fidem, divinas leges et instituta divina ad securiorem custodiam et applicationem suis etiam propriis legibus velut muro et antemurali circumdat, in transgressores sua indicia exercet, suas poenas sancit. Sed in his omnibus sin minus tempore saltem natura prior praesupponitur facta per magisterium formalis vel aequipollens declaratio veritatis doctrinae, legum, institutorum divinatorum. Pariter ex altera parte Ecclesia in suis legibus, quas potestate iurisdictionis perfert spectantes ad regimen universale, ad sacram liturgiam, ad sanctitatem morum Christianorum simul eodem actu exercet potestatem magisterii de huiusmodi legum suarum honestate et sanctitate, atque huic fundamento infallibilis magisterii innititur infallibilitas Ecclesiae in ipso regimine et legislatione. Quatenus nempe in legibus et praeceptis includitur vel non includitur actus magisterii respiciens directe vel saltem indirecte totam Ecclesiam, inde petitur propria ratio distinctionis, quam cum aliis theologis ponit Bellarminus (de Rom. Pontif. 1. IV. c. 5.) inter *u* praecepta morum, » in quibus nequeat errare Romanus Pontifex, et *u* in quibus Pontificem errare non sit absurdum. »

3'. Ut haec unio simul et distinctio clarior evadat et efficacius probetur, consideremus *u* supremam potestatem iurisdictionis » et « supremam quoque magisterii potesta-

enim nomine *fidei* obiectivao nempe, intelligitur revelata doctrina per se primo theoretica et fide (subiectiva) credenda, ex qua tamen multae consequuntur obligationes morales; nomine *morum* vero ibi significatur doctrina revelata practica, quae utique etiam fide credenda, sed ex sese ordinata est ad imperandos et prohibendos actus morum.

tern n in Romano Pontifice, quarum illa capite quarto, haco capite quinto Constitutionis *Pastor aeternus* in Concilio Vaticano definita est. Caput quartum est *a* de vi et ratione primatus Romani Pontificis. » Hanc vim et rationem formalis definitio conciliaris declarat *a* plenam et supremam *potestatem iurisdictionis* in universam Ecclesiam; » et paulo ante in expositione doctrinali dicitur *iurisdictionis potestas*, : erga quam cuiusque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes » officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur. Iam vero haec *potestas iurisdictionis* in universam Ecclesiam, et erga eam officium hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae docetur non solum quidem sed tamen prae ceteris valere *in rebus quae ad fidem et mores pertinent*: plena et suprema potestas iurisdictionis in universam Ecclesiam, *u non solum in rebus quae ad fidem et mores*, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent, „ Potestas iurisdictionis igitur est *in Ecclesiam, in pastores et fideles* qui tum singuli tum simul omnes erga eam officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, idque etiam et maxime *in rebus pertinentibus ad fidem et mores*; non vero dicitur esse iurisdictionis *in res seu doctrinam fidei et morum*. Etiam circa has res, circa doctrinam fidei et morum in primatu Romani Pontificis comprehenditur suprema potestas, quae est potestas veritatem carum rerum, doctrinae nempe fidei et morum, assistente Spiritu Sancto infallibiliter definiendi; sed de hac Concilium agit sequenti capite quinto, tamquam de potestate distincta non tamen separata, cum utraque in primatu contineatur, a potestate iurisdictionis quam antecedenti capite quarto declaraverat.

Post definitam itaque vim et rationem primatus, qua Romanus Pontifex habet plenam et supremam *potestatem iurisdictionis* in universam Ecclesiam, Concilium docet, praeter istam et simul cum ista in ipso Apostolico primatu « *supremam quoque magisterii potestatem* comprehendendi.» Non sufficit ergo credere supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam etiam in rebus quae ad fidem



et mores pertinent\* sed simul cum illa credenda est suprema quoque potestas magisterii (1). Erant inter Catholicos ante Concilii Vaticani definitionem, qui admittebant sane Romani Pontificis supremam potestatem iurisdictionis in rebus ad fidem et mores pertinentibus, quatenus nempe ex consensu Ecclesiae vel definitione oecumenici Concilii iam constaret de veritate rerum fidei et morum; sed negabant, vel in dubium vocabant, vel saltem ut fidei articulum definiendam non esse contendebant supremam et hoc ipso infallibilem *potestatem magisterii*. Concilium vero utique non excludit, quod per se manifestum est, ad exercendam potestatem iurisdictionis in rebus pertinentibus ad fidem et mores saltem *ratione prius* praesupponi veritatem doctrinae, sed docet in ipso Pontifice esse non solum *iurisdictionis* sed *etiam magisterii* supremam potestatem, vi cuius in definienda doctrina fidei vel morum per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam infallibilitate pollet, ita ut eius definitiones ex sese non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles sint.

Ex huiusmodi definitionibus divinitus revelatae veritatis editis per plenitudinem potestatis magisterii, quae (ut recte dixit Suarez) non aliud est quam infallibilitas per assistentiam Spiritus Sancti, pro omnibus non solum baptizatis sed etiam non baptizatis et ideo iurisdictioni Ecclesiae non obnoxiiis (rem per se spectando et praescindendo ab ignorantia excusante) immediate exurgit obligatio fidei divinae propter auctoritatem Dei revelantis; simul vero (ut iam diximus) in definitione ipsa exercetur suprema potestas iurisdictionis, erga quam omnes pastores et fideles officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, dum Pontifex omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens non solum veritatis revelationem definiendo pro omnibus certam reddit ad credendum fide divina et catholica, quod fit per supremam potestatem infallibilis *magisterii*, sed simul sua suprema potestate *iurisdictionis* omni-

(1) Conferri potest, quamvis in dogmate omnino alio, censura Propositionis 29. Pistoriensium « de ritus consecrationis efficacia » in Bulla *Auctorem fidei*, de qua 14 ij.tis diximus in Tractatu de Sacram. Euchar.

bus Christianis sibi subditis iniungit officium verae obedientiae ecclesiasticae, ipsiusque fidei divinae custodiam communit sancitis poenis ecclesiasticis vel implicite, vel explicito ut in canonibus dogmaticis.

Sane Concilium ipsum Pastoralis muneris quatenus supremum *magisterium* est, duas declarat functiones, quibus evidenter in formali sua ratione a potestate *iurisdictionis* specificè dictae distinguitur. Primo ut huic Pastoralis muneris potestatis nempe magisterii, de qua sola ibi agitur, Romani Pontifices satisfacerent, u indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur; » secundo « pari cura vigilarunt, ut ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur, s Igitur suprema potestas magisterii etiam ad infideles non baptizatos extenditur; non enim voluntaria tantum charitate, quae potest et deberet esse cuiusvis Christiani, sed vi muneris pastoralis suprema potestas *magisterii* comprehendit omnes terrae populos docendos ex mandato et institutione Christi; « docete omnes gentes; » *iurisdictionis* vero specificè dictae suprema potestas est in universam Ecclesiam i. e. in omnes qui sunt per baptismum Ecclesiae obstricti, non autem in alios: « quid enim est mihi de iis qui foris sunt indicare? nam eos qui foris sunt, Deus indicabit.» Illa ergo ex Christi institutione et iure divino latius extenditur quam haec, eoque ipso distinctae intelliguntur. Sed num forte intra Ecclesiam, ut sincera et pura conservetur doctrina, magisterium non agit sub formali sua ratione, qua distinguatur a potestate *iurisdictionis*? Imo vero Concilium clarissime describit, quomodo Romani Pontifices ante omnia et praecipue sinceram et puram Christi doctrinam conservent non iam potestate imperandi seu *iurisdictionis*, sed per illam quae secundum Christi orationem et promissionem, a ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, » est potestas assistente Spiritu Sancto *infallibititer cognoscendi, exponendi, definiendi* traditam ab Apostolis revelationem, atque *ita custodiendi fidei depositum*, qua profecto descriptione non aliud enuntiatur nisi illa *plenitudo potestatis docendi* cum assistentia Spiritus Sancti et certitudine infallibili, quam veteres « clavim scientiae » ap-



pellarunt, Concilium vero aptissime iuxta constantem doctrinam et modum loquendi Scripturae dicit « supremam *magisterii* potestatem. » In periculis quae in negotiis fidei emergebant, ait Concilium, Romani Pontifices pro temporum et rerum conditione aliis atque aliis adhibitis auxiliis, « ea tenenda *definiverunt*, quae sacris Scripturis et Apostolicis Traditionibus consentanea, *Deo auctore cognoverunt*. Neque enim Petri successoribus *Spiritus Sanctus promissus est*, ut ex revelante novam doctrinam patefacerent, sed *ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem sancte custodirent et fideliter exponerent*, » Eorum porro expositam et definitam doctrinam tamquam Apostolicam omnes Patres et Doctores orthodoxi secuti sunt, qua quaeso primum et potissimum movente ratione? nempe « plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem *ab omni semper errore illibatam permanere secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem* discipulorum suorum principi factam: ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. »

Nihilominus, quod supra iam declaravimus, in definitione et custodia depositi infallibilitati magisterii coniungitur et subiungitur suprema potestas iurisdictionis. Concilium ipsum non solum capite quarto, ut vidimus, sed etiam in hoc quinto capite « de infallibili magisterio » istam coniunctionem utriusque potestatis satis indicat. Pone utique, ut ipsa res postulat, ad cognoscendam, exponendam, definiendam, custodiendam revelationem ab Apostolicis traditam (de quibus in contextu praecedenti dixerat) primum et principaliter « hoc *veritatis et fidei numquam deficientis charisma* Petro eiusque in hac cathedra successoribus divinitus collatum, » cuius nempe infallibilitatis in docendo seu infallibilis magisterii functio prima sit oportet in omni definitione et in custodia depositi, ex hoc enim charismate earum est irrefragabilis certitudo et irreformabilis firmitas; verumtamen Petri successores hoc charismate instructi excelso suo munere funguntur non solum, « ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus coelestis doctrinae pabulo nutriatur, » sed etiam « ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservetur atque hoc fun\*

damento innixa firma adversus inferi portas consistat, » quae omnia, quia et quatenus de doctrina agitur, quamvis saltem *ratione priorem* requirant functionem infallibilis magisterii, haec tamen functio in praesenti ordine providentiae non est nec potest esse sola in conspicua militante Ecclesia, sed ei ad illum ipsum finem unitatis ac firmitatis etiam in doctrina coniungitur et subiungitur potestas iurisdictionis, quod post ea quae superius dicta sunt, ulteriori declaratione non eget. ■%

4". Nunc possumus, quae induximus praecipua discrimina inter potestatem magisterii et ecclesiastici imperii seu iurisdictionis specificae dictae, sub unum velut conspectum ponere. W

a) Amplitudine extensionis ex Christi Salvatoris mundi institutione potestas magisterii latius patet quam illa iurisdictionis, ad omnes gentes non solum aggregatas Ecclesiae sed etiam ad vocandas in Ecclesiam. Inde suo loco videbimus, nominatim in disciplina catechumenorum multa praescripta et acta fuisse, ut adhuc nunc pro temporum et rerum conditione aguntur, quae videri possent ex potestate esse ecclesiasticae iurisdictionis, certe tamen non in hac sed in potestate magisterii suum habuerunt et habent fundamentum. V

b) Obiectum magisterii formaliter spectati (i. e. quatenus est magisterium) est divinae doctrinae, legis, sanctionis in praemiis ac poenis per divinam iustitiam, infallibilis manifestatio, expositio, definitio et per hanc infallibilitatem in docendo totius sacri depositi custodia.

Obiectum iurisdictionis non est manifestatio revelatae veritatis ac legis sed eius per infallibile magisterium manifestatae applicatio, defensio, vindicatio in Ecclesia propriis ecclesiastici imperii legibus, praeceptis, indiciis, sanctionibus. ;1 "I

c) Authentica infallibilis magisterii praedicatione, expositione, definitione doctrinae tamquam revelatae immediate oritur obligatio *obedientiae fidei dioinae* (ὕπαζοη ■πιστεω Rom. I. 5; Gal. III. 2.), h. e. obedientiae fidei propter solum motivum formale *auctoritatis Dei recelantis*, quamvis, quae veritates et quo sensu revelatae credi de-



beant, per infallibilis magisterii propositionem innotescat: credimus quidquid *Ecclesia proponit* credendum, *quia Deus illud revelavit*. Hoc est quod dixit Augustinus, *u* Nos ergo qui sumus vocamurque Christiani, non in Petrum credimus (ut obiectum formale, propter quod credimus, et ut in finem quo fide tendimus), sed *in quern credidit Petrus, Petri* (per magisterium derivatum a Christo) *de Christo aedificati sermonibus...* Ille Petri magister Christus in doctrina quae ducit ad vitam, ipse est magister noster *d* (unus magister vester Christus revelando, et per magisterium participatum in Petro et in Ecclesia conservando doctrinam revelatam) Aug. Civ. Dei L. XVIIU. c. 54. n. 1. Et haec obligatio obedientiae fidei, eo ipso quod est propter auctoritatem Dei revelantis, in omnibus aequalis est; cui ipse definiens Pontifex vel Concilium subiiciuntur non minus quam alii quicumque homines sive intra Ecclesiam sive (rem in se et obiective spectando) extra Ecclesiam. Potestas iurisdictionis utique et ipsa a Christo Rege instituta et in suum regnum Ecclesiam derivata est, sed ita ut sit potestas ecclesiastica propria Pontifici et aliis quibus munere ordinario communicatur, vi cuius non divinis sed suis ecclesiasticis legibus, iudiciis, sanctionibus gubernent, hisque omnibus etiam doctrinam et legem divinam, per infallibile magisterium traditam, applicent, tueantur et vindicent erga subditos, qui in regno Christi secundum hierarchicam subordinationem iurisdictioni sunt obnoxii.

Propterea potestas iurisdictionis per se et immediate non ad internos sed ad externos actus in visibili regno Christi refertur; potestas magisterii primum et per se attingit ac obstringit mentem et voluntatem internam. Hinc qui doctrinam infallibilis magisterii potestate definitam negat actu tantum interno, is coram Deo et in sua Deo obstricta conscientia ab unitate fidei et Ecclesiae deficiens haereticus est, quamdiu in eo peccato persistit; non iurisdictionis ecclesiasticae sed Dei et suae conscientiae iudicio' condemnatus; cum autem haeresim externo actu prodit, subiacet potestati iurisdictionis eiusque iudicio ac poenis secundum ecclesiasticarum legum sanctiones. Hoc discrimen aliunde theologice et iuridice certum, in dogmatica Constitutione

definitionis de praeservatione Matris Dei ab omni labe culpae originalis expressius declaratum habemus. Post verba definitionis ex plenitudine sane potestatis infallibilis magisterii pronuntiatae, doctrinam hanc esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam, Pontifex concludit: *a Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Dens avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint ac porro sciant se proprio indicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse et ab unitate Ecclesiae deficisse, ac praeterea facto ipso suo semet poenis a iure statutis subiicere, si quod corde sentiunt, verbo aut scripto vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint, n*

Potestas igitur magisterii non tantummodo forum externum sed proxime et directe forum internum spectat, illa iurisdictionis, de qua loquimur, pertinet ad forum externum, eo quod licet obligans utique conscientiam coram Deo suis tamen legibus, indiciis, sanctionibus proxime et directe versatur circa objecta fori externi. Nam potestas iurisdictionis in foro interno alterius rationis est et sacramentalis ad remittenda peccata in conscientia et coram Deo.

*d)* Potestas magisterii proprium suum obiectum veritatem nempe doctrinae et legis divinae non constituit, sed eam a Deo revelatam infallibiliter declarando nihil de suo addit, nihil de divinis detrahit, ut toties ss. Patres monuerunt (cf. Tract, de Tradit.). Hinc doctrinae ac leges semel infallibiliter per magisterium propositae aut definitae incommutabiles sunt, nec ulla est abrogandi, mutandi aut in iis dispensandi (1) potestas. Eadem ratione interpretatio

(1) Potestas legifera ex ipsa sua natura includit potestatem abrogandi, mutandi, dispensandi quoad *leges suas*, vel latas a potestate alia inferiori et subiecta. Potestas vero Ecclesiae dispensandi in quibusdam legibus non suis sed divini iuris proprie non continetur in potestate legifera, sed est specialis potestas iuridica ad pascendas oves Christi necessaria, et ideo capiti Ecclesiae a Christo Do concessa ad solvendum in regno suo, quodcumque ad salutem animarum pertinens vel natura sua vel ex positiva Dei lege solutioni non repugnat. Sic matrimonium ratum iure quidem non humano sed divino est indissolubile, non tamen indissolubile absolute, quamdiu eius significatio per carnem unam factam non



legis divinae a magisterio non fit nisi *inhaesio*; si quando lex divina applicari videtur interpretatione quodammodo *extensiva*, id fit per legiferam potestatem jurisdictionis.

Ex adverso potestas iurisdictionis suas proprias leges constituit, atque ita novum ius conditur vel condi potest, quod sicut in suo ortu ita in suo vigore, vel in dispensatione, modificatione, abrogatione ab ipsa potestate iurisdictionis pendet.

Hinc est illa diversitas dictionis in definitionibus magisterii declarantis veritates fidei credendae, et in decretis potestatis iurisdictionis statuentibus leges ecclesiasticas observandas, quam egregie a Patribus Nicaenis usurpatam explicat s. Athanasius, *u De Paschate* quidem ita scripserunt: *decreta sunt quae sequuntur* (εδοξε τα ὑποτεταγμένα); tunc enim decretum est, ut omnes obedirent. De fide autem (nempe de fidei symbolo et veritatibus in illo definitis) nequaquam dixere, *decretum est*, sed *sic credit catholica Ecclesia*, statimque *confessi sunt, quidnam crederent*, ut declararent non recentiore sed apostolicam esse suam sententiam; et quae scripserunt, non ab eis inventa, sed eadem ipsa esse quae docuerant Apostoli » Athanas. de Synod. Arimin. et Seleuc. n. 5.

Sunt itaque rationes gravis momenti pro s. Theologia, cur *potestas iurisdictionis* ut pro sua diversitate a *potestate ordinis* generice spectari et dici solet, ipsamet in regno veritatis fidei et sanctitatis morum distinguatur, quatenus est suprema potestas ecclesiastici imperii seu specificae dictae iurisdictionis in universam Ecclesiam, et quatenus est suprema potestas infallibilis magisterii, quemadmodum ipsum Concilium oecumenicum utramque non velut unam confundendo sed velut duas connumerando distinctis

est plena, ita ut tum generali lege per professionem religiosam alterutrius coniugis tum particulari Pontificis dispensatione dissolvi queat. Sic etiam promissiones per vota vel inramenta Deo factae ex legitimis causis dispensari possunt, quoniam Christus Deus bonorum suorum seu iurium administrationem in sua Ecclesia in terris commisit suo Vicario ita, ut Deus ipse ius suum actu humano antecedente velut acquisitum per suum Vicarium remittat (vide Suarez de Kelig. T. II. l. II. c. 40; T. III. l. VI.

capitibus definivit et declaravit, ita ut ergo duae istae claves s. Petri censendae sint consertae quidem et inseparabiliter unitae, non tamen confusae in unam, cum ambae sane datae sint a Christo ad ligandum et solvendum, modo tamen diverso ratione tum extensionis, tum specialis obiecti, tum efficientiae seu proprietatis solutionum ac ligaminum.



DE REVELATO FACTO INSTITUTIONIS ET CONSTITUTIONIS  
ECCLESIAE IESU CHRISTI.

CAPUT I.

ECCLESIAE IESU CHRISTI INSTITUTIO IN SUA PRAEPARATIONE  
ET INCHOATIONE.

Post praenotiones et generales considerationes Ecclesiae Dei, quas praestruximus, iam unice de Ecclesia Iesu Christi sanguine eius acquisita et tamquam complexione novi Testamenti secundum propriam suam formam in terris constituta, ut ea ab ipso Deo verbis et factis proposita est, in toto hoc tractatu erimus solliciti, primum quidem acturi de ipsa huius Ecclesiae Christi institutione.

THESIS VI.

*Ecclesiae institutio praenuntiata et descripta  
in prophetiis veteris Testamenti.*

« Ecclesia novi Testamenti constituenda a Christo ex omnibus gentibus universalis ac perennis praenuntiata est in prophetiis veteris Testamenti atque descripta ut unum *regnum potestatis* in proprio regimine, • *regnum veritatis* in proprio magisterio, *regnum sanctificationis* in proprio sacerdotio, quae omnis potestas originaliter et tamquam in fonte sit in Christo institutore, per participationem in eius ministris ad regendam, docendam, sanctificandam Ecclesiam in suis membris. »

*I.* Sicut in veteri Testamento typi et prophetiae obiectum princeps habent ipsum Messiam Salvatorem, ita fere ubique una cum Christo praefiguratur et praenuntiatur *opus eius*: a ecce merces eius cum eo, et opus illius coram illo; sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos *n* Is. XL. 10; LXII. 11. Hoc autem Messiae

opus *in effectu*, simul merces et fructus *operis merentis* quemadmodum illud prophetae cum ipso Redemptore humani generis, intime coniunctum et in unitate cum ipso praeviderunt, est eius *regnum universale* in omnibus gentibus. *i. Remiscentur et convertentur ad Dominum omnes fines terrae, et adorabunt in conspectu eius omnes familiae gentium; quoniam Danini est regnum et ipse dominabitur gentium, »* Ps. XXL 28. 29. *a* Deus indicium tuum regi da et iustitiam tuam filio regis... orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis, donec auferatur luna ; *et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum (1)... et adorabunt eum omnes reges terrae. omnes gentes servient ei. »* Ps. LXXI. 1. sqq.; Zach. IX. 10.

Hoc regnum fundandum a Filio Dei qui idem est Filius hominis sicut universale omnium gentium, ita praedicitur futurum *perenne* omnium temporum, *u* In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus coeli *regnum quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo um tradetur* (non substituetur aut succedet ei unquam aliud regnum, sicut quatuor regna mundana, unum alteri substituentur, et sibi succedent) ; *comminuet autem et consumet universa regna haec, et ipsum stabit in aeternum. Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam et ferrum, et aes, et argentum, et aurum (quatuor imperia mundana numerantur ascendendo a testa et ferro ultimi Romani usque ad aurum Assyro-babylonici), Deus magnus ostendit regi, quae ventura sunt postea, n u* *Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce eum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi et tribus et linguae ipsi servient; potestas eius potestas aeterna quae non auferetur, et regnum eius quod non corrumpetur »* Dan. 11.44; VII. 13. 14. 27; Agg. II. 7. 8. 22. 23. |

(1, Quae in hoc Psalmo sensu immediato et restrictiori ad Salomonem referri videntur, certum est sensu typico ac pleno pertinere ad Filium Dei et Filium David Christum eius pie regnum fundandum in terris.



2°. Hoc regnum, universale omnium gentium et perenne omnium temporum promittitur regnum *unum*, ut in cognitione, adoratione, cultu veri Dei sit populus unus, una civitas sancta tamquam novus Israel et nova Jerusalem novumque templum in Sion, « *Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriae tuae Jerusalem, civitas sancti...* quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem: *paravit Dominus brachium suum in oculis omnium gentium, et videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri,* » Is. LU. 1. sqq. « *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est... et ambulabunt gentes in lumine tuo... et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi... et aperientur portae tuae iugiter, die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur.....et vocabunt te civitatem Domini, Sion Sancti Israel* » (1). Is. LX. 1. sq.; XL. 8-23. « *Et erit in novissimo dierum* (2), *erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium et sublimis super colles, et fluent ad eum populi, et properabunt gentes multae, et dicent: venite ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis eius, quia de Sion exhibit lex et verbum Domini de Ierusalem... et regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc et usque in aeternum* » Mich. IV. 1. sqq.; Is. II. 2. sqq.; Zach. VIII. 3-8. « *Et erit in illa die, exhibunt aquae vivae de Ierusalem, medium earum ad mare orientis, et medium earum ad mare novissimum (occidentis), in aestate et hieme erunt. Et erit Dominus rex super omnem terram; in die illa erit Dominus unus, et erit nomen eius unum...* Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus, quae venerunt contra Ierusalem (antea hostiles Ecclesiae), ascen-

(1) Sanctus Israelis nomen Dei frequens est 2. Reg. 19. 22; Is. 1. 4; 5.19; 10. 17; 12. 7; 29, 19; 30. 11; 41. 14. 16; 43. 3; Ier. 50. 29; Ez. 39. 7; Ps. 78. 41. etc.

(2) *Noruium Oierum* ( ΓΡ'ΙΠΝ ), *tempora norisshna* dicuntur saepe tempora novi Testamenti, Num. 24. 14; Dont. 4. 30; Is. 2. 2; Itr. 48. 47; 49. 39; Dan. 2. 28. etc.

dent ab anno in annum, ut adorent regem Dominum exercituum » Zach. XIV. 8. sqq.

3". Novus hic populus Israel, nova Ierusalem, civitas Domini, nova Sion, ut in prophetis promittitur, constituetur in sua propria forma regiminis, magisterii, sacerdotii, quae ab uno summo rege, magistro, sacerdote Christo derivatur.

a) Christus erit summus rex in supernaturali hoc regno pacis; quoniam vero est regnum perenne et visibile in terris eius imperii participes constituentur ab ipso alii pastores et principes, qui eius nomine et potestate regant populum Dei super omnem terram, *u* Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae. » Ps. II. 6. « Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius; et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi (1), Princeps pacis; multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis; super solium David et super regnum eius (typo translato ad antitypum) sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, a modo et usque in sempiternum *n* Is. IX. 6. 7. « Et suscitabo super eas (oves Domini) pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem; ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David in medio eorum; ego Dominus locutus sum *η* Ez. XXXIV. 23. sqq.; XXXVII. 24.-28. *a* Ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris... et crescent et multiplicabuntur; et *suscitabo super eos pastores et pascent eos...* Ecce dies veniunt dicit Dominus, et suscitabo David germen (2) iu-

έ του ji-λλοντο *l'.wrj'* Cod. Alex. LXX. .''V

(2) Π\*2X Numen frequens Messiae surgentis de terra sitiendi et de radice lesse. Penes LXX. vertitur aliquando ανατολή et in nostra Vulgata *oriens* (cf. Tract. de Incarn. th. XXXVIII. ed. 2. p. 369.). Prima significatio verbi adhuc conservata in dialectis syra et arabica fuit *splendere*. Hinc Messias Deus-homo in novo Testamento dicitur



shun, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet indicium et iustitiam » 1er. XXIII. 3-6. In mirabili Psalmo XLIV. post insignem descriptionem Christi sponsi et sponsae eius Ecclesiae, verba diriguntur ad Christum : *u pro patribus tuis (1) nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram* » ib. 17.

6) Idem rex et pastor super solium et super regnum David sempiternum promissus est ut *propheta fidelis*, unde regnum eius est sicut regnum pacis ita veritatis et iustitiae. Iam in institutione antiqui et typici populi Israel Deus pollicetur Moysi legislatori et prophetae populi : « prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui (similitudine principalis praefigurati ad figuram et imaginem adumbrantem, filii in domo sua ad famulum fidelem in domo Dei), et ponam verba mea in ore eius; » nuntiatque Moyses promissionem populo : « prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies » Dent. XVIII. 15-19. (cf. Matth. XVII. 5; Io. VI. 14; Act. III. 22. 23; VII. 36.). Ad hunc Moysi et per Moysen promissum prophetam respicitur, quando populus in ultimo stadio veteris oeconomiae regnum et summum sacerdotium commisit familiae Asmonaeorum, *a* donec surgat propheta fidelis *n* (2) 1. Macch. XIV. 41.

« *oriens ab alto* » ανατολή εξ ύψου Luc. I. 79. cum in Testamento veteri magis consideretur *oriens* de terra homo-Deus. Utrumque, ab alto et de terra, iungitur Is. XLV. 8: *a* rorate coeli desuper et nubes pluant iustum, aperiatur terra et germinat salvatorem, *n*

(1) Hebraice: « loco patrum tuorum ( **ΤρFQN ΠΓΠΠ** loco patriarcharum et regum) erunt filii tui. » Sensus ipse manet integer penes Augustinum, qui cum aliis verba sumpsit ut directa ad sponsam Ecclesiam, quod tamen littera hebraica, saltem ut nunc eam habemus, non permittit. Ideo ipse nomine patrum intellexit Apostolos, *a* Patres missi sunt Apostoli, pro patribus filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres illos apponat, ipsa illos genuit et constituit in sedibus patrum.... Filios genuit Ecclesia, constituit eos pro patribus suis principes super omnem terram, \* Aug. in Ps. XLIV. n. 32.

(2) Έω του αναστησαι προφήτην πιστόν. Quod articulus ad nomen προφήτη deest, compensatur per articulum ad verbum αναστησαι, quo non quaecumque sed certa et praenuntiata suscitatio prophetae fidelis designatur (fi-

a Filii Sion exultate et laetamini in Domino Deo vestro, *quia dabit vobis doctorem iustitiae* et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum (autumnalem et vernum), sicut in principio» (1) loel. II. 23. Hinc ude Sion exhibit lex et verbum Domini de Jerusalem » Mal. 1. c.; eidenique Jerusalem promittit Deus: - ponam universos filios tuos doctos a Domino, et multitudinem pacis filiis tuis,

delis π-στο cui fides debetur: - a Iesu Christo qui est testis fidelis ô jiaoTj; ô π:βτο ; » verum est testimonium meum » etc.). j■

(1) Duas movent dinicltates, quod promissio doctoris iustitiae et pluvia nihil videntur habere commune, nec apte inter se cohaerere; deinde quod idem nomen ΠΠ'ιΩ illi primo hemistichio vertitur *doctor* in secundo *imber* quam utramque significationem nomen habere non possunt negare (ΓΓΡ spargere sensu proprio guttas aquae, sensu translato spargere doctrinam; sed nolunt admittere duplicem significationem diversam in uno contextu. At in primis coniunctio in eodem contextu bonorum typicorum veteris oeconomiae, idest felicitatis terrenae, cum bonis praefiguratis et promissis pro novo Testamento in prophetis est frequentissima, et pro rationibus quibus una ad alteram oeconomiam refertur, aptissima. Vide Is. LXII; Ez. XXXIV. 28-26; Os. II. 19. 22; Am. IX. 11. 13; Mich. IV. 1. 4. etc. Ceterum potest etiam ia secundo hemistichio praesertim ut est in Hebraico, sub imagine imbris, ut alibi saepius, expressus intelligi adventus Domini anis gratiis seu adventus Messiae: - quasi diluculum praeparatus est egressus eius, et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terrae; Os. VI. 3; Ps. LXXI. 6; Is. XLV. 8. Quod deinde idem nomen in uno contextu diversa significatione sumitur, huiusmodi lus verborum (ἀντανάγκαστ) nihil habet difficultatis, imo penes scriptores hebraicos nunquam parum venustatis; vide textus hebraicos Ind. X. 4; XV. 16; Eccl. VII. 6; loel I. 15; Is. XXXII. 7; Am. VIII. 2. etc. Insuper in nostro loco diversa significatio per apposita ita determinata est, ut nemo prudens falli possit; ia priori inciso nomen habet articulum et appositum - ad iustitiam, quod frustra inanibus coniecturis cum pluvia conciliare conantur ΓΠ'ΙΩΠ; in altero hemistichio significatio expresse determinatur per additum *pluvia* ΠΠ'ιΩ ΠΧΣ)3. Necessarium id fuit, quia Π'Τ'Ο alibi semper *doctorem* vel *legislatorem* significat 4. Reg. XVII. 28; Is. IX. 14; XXX. 20; Uab. II. 18; I'rov. V. 13; Job XXXVI. 20. In unico loco obscuro Ps. LXXXIV. (Vulg. LXXXIII.) 7. recentiores vertunt *pluviam* sed veteres omnes, Alexandrini, Aulgata, Hieronymus, Syriaca, Aethiopica, etiam ibi *doctorem* vel *legislatorem* interpretati sunt. (Confer etiam, si fas est, gnomonem Burkii, et Hengstenberg Christologiam P. III. in loel II. 23.).



et in iustitia inudaberis *n* Is. CIV. 13; 1er. XXXI. 33. 34; XXXII. 38-40. Quia porro divinum hoc magisterium perenne sit necesse est, « dabo vobis pastores iuxta cor meum, *et pascent eos scientia et doctrina...* et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Ierusalem, et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi » 1er. III. 15. sqq.

Quapropter nomen novae huius Ierusalem erit *civitas veritatis*, et Sion vocabitur *mons sanctitatis*, *u* Habitabo in medio Ierusalem, et vocabitur Ierusalem *civitas veritatis* et mons Domini exercituum mons sanctificatus (in textu hebraico *mons sanctitatis*)... Ecce ego salvabo populum meum de terra orientis et de terra occasus solis... et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum in veritate et in iustitia » Zach. VELI. 3. 7. 8.

c) Sicut Ecclesia praedicta est regnum pacis et regnum veritatis in Christo et sub Christo summo rege et magistro, a quo homines ab eo constituti perenniter potestatem regni et magisterii participant, ita idem regnum praenuntiatum est fore *sacerdotale* per summum sacerdotem sanctificatorem Christum, a quo in homines ab ipso assumptos ministeriale sacerdotium derivetur.

a) Ex prophetarum visionibus in Christo diadema regis et diadema sacerdotis intime uniuntur pro perenni eius regno, et ideo utriusque unio valet iugiter in hoc regno, ut sit sacerdotale. Iesus filius Iosedec summus sacerdos dicitur diserte typus portendens Messiam : « audi Iesu sacerdos magne, tu et amici tui. ..viri portendentes sunt: *ecce enini ego adducam servum meum Orientem*  $\eta$  (  $\Pi\Omega\chi$  nomen indubitatum Messiae) Zach. III. 8. Iam vero in hoc viro portendente propheta iubetur unire sacerdotale regio diademati, ut iugiter sit « consilium pacis, *†* i. e. unitatis inter potestatem utramque. « Sumes aurum et argentum, et facies coronas (cf. Apoc. XIX. 12.), et ponas in capite Iesu filii Iosedec sacerdotis magni; et loqueris ad eum dicens: haec ait Dominus exercituum, ecce vir oriens nomen eius... et ipse extruet templum Domino ; et ipse portabit gloriam et *sedebit et dominabitur super solio suo, et erit sacerdos super solio suo*, et consilium pacis erit inter il-

los duos (1)... et qui procul sunt venient et aedificabunt in templo Domini. \* Zach. VI. 11. sqq. De unione regiae et sacerdotalis dignitatis in Christo, et per Christum in Ecclesia multis disserit s. Epiphanius Haeres. XXIX. n. 2-4.

β) Christus proprio sensu sacerdos praedicatur suo cruento sacrificio acquisiturus sibi Ecclesiam omnium gentium. «Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur.... si posuerit pro peccato animam suam (2), videbit semen longaevum..., in scientia sua iustificabit iustus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit; ideo disperitiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam » Is. LIII. Hoc sacrificio Christi abolenda sunt omnia typica sacrificia antiqua. «Sacrificium et oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi. Holocausta et pro peccato non postulasti: tunc dixi, ecce venio... Annuntiavi iustitiam tuam in Ecclesia magna.... non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam a concilio multo » (3) Ps. XXXIX. 7. sqq.

(1) - Ipse et rex et Pontifex est, et sedebit tam in regali quam in sacerdotali throno, et consilium pacifism erit inter utrumque, ut nec regale fastigium sacerdotalem deprimat dignitatem, nec sacerdotii dignitas regale fastigium: sed in unius gloria Domini lesu utrumque consentiat » s. Hieronymus in h. 1. T. VI. p. 830. (ed. Vallarsi). Nempe in Christo et in Christi Ecclesia haec paria sunt, et sibi invicem intime unita, regnum sacerdotale et regale sacerdotium. Obiter animadvertas, ubi populus Israel Exod. XIX. 6. in textu hebraico ( et in latina versione nostra dicitur *regnum sacerdotale*, LXX inverso modo reddidisse *Sacerdotium regale pt-y'htwt* tificioua atque ita s. Petrus (1. Pet. II. 9.) celebrat Ecclesiam novi Testamenti. In Apoc. I. 6. de eadem Ecclesia dicitur :ο:ησεν τ.ρ.α βασιλείαν, ιερει τω Θεω και πατρι αυτρου u fecit nos *regnum sacerdotes* (in Vulg. *et sacerdotes*) Deo et Patri suo. n

(2) Verba *oblatus est* ' 22 et *pro peccato* ' H victima vel sacrificium pro peccato sunt omnino liturgica de proprie dicto sacrificio. Vide Tract, de Euchar. Sacrii, th. X. η. II. de Ineam, th. XLVII. ed. 2. pag. 503. fi 9

(3) In hoc Psalmi textu animadvertas sequentia. In primis habemus commentarium ipsius Apostoli Pauli in hunc locum Heb. X. 5-12. -Sacrificium (cruentum), oblatio (incruenta), holocausta, pro peccato η ΠΝ'ϑΠ nSiy ΠΠ5Ω Π3T sunt sacrificia veteris Testamenti secundum suas diversas species, quae praedicuntur abolenda: sed abolenda per «a-crificium ab ipso Christo offerendum. Hoc sacrificium Christi obscurius qui-



γ) Sacerdotium Christi praedicitur *u* aeternum secundum ordinem Melchisedech, » qui sacerdos altissimi in typo sacrificium obtulit panem et vinum Ps. CIX. 4. (Gen. XIV. 18.). Secundum hunc ordinem sacerdotii Christi praenuntiatur in eius Ecclesia futurum iuge sacrificium incruentum *a* ab ortu solis usque ad occasum *n* ad magnificationem nominis Dei *u* in gentibus *n* Mal. I. 11, de qua prophetia egimus in Tract. de Euch. sacrii, th. X.

Hinc porro consequitur et a prophetis praenuntiatur etiam iuge sacerdotium in Ecclesia, utique a summo sacerdote secundum ordinem Melchisedech institutum et derivatum. *u* Venio, ut congregem cum omnibus gentibus et linguis (heb. omnes gentes et linguas), et venient, et videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum (1), et mittam ex

dem continetur in textu hebraico, saltem ut nunc exstat, et ex eo in versione latina illis verbis: taures autem perfecisti (heb. fodisti) mihi, tunc dixi, ecce venio... ut facerem voluntatem tuam; » sed intimum earum sensum Paulus explicat: « corpus autem aptasti mihi.... tunc dixi, ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam, » ἵσθω... του ποιησαι, ὁ Θεός, το θέλημα σου. Subdit vero Apostolos commentarium: per hanc prophetiam auferri (auferenda praedici) omnia vetera sacrificia, *u* ut sequens statuatur. » hoc autem esse « oblationem corporis Christi semel; \* nam *u* hic unam pro peccatis offerens hostiam (μὴν 0j-.2v) in sempiternum sedet in dexteris Dei. » Si quaeritur, quomodo verbis illis, - aures perfecisti vel fodisti mihi »

subsit sensus ab Apostolo ex LXX. expressus, *u* corpus aptasti mihi: » certum est, illis verbis significari aliquem sibi obedientem facere, obediens autem usque ad mortem crucis factus non est nec fieri potuit Filius Dei, nisi in assumpta humanitate, cum Verbum caro factum est. Utrum vero dicas, verba assumpsisse Paulum ex LXX. vel ex Paulo postmolum transiisse in illam versionem, non tanti est; veritas enim explicatoris istius interpretationis semper auctoritate Apostoli inspirati ad scribendum non illorum interpretum nititur.

(1) - In die illa radix lesse, qui stat in signum populorum... et levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel et dispersos Inda a quatuor plagis terrae » Is. XI. 10-12; LXII. 10-12. Christus ipse est signum in nationes, et in sua Ecclesia posuit « signa et portenta et virtutes, *n* ipsaque Ecclesia horum omnium complexu eat signum populorum (vide Cone. Vatie, sess. 3. cap. 3.). Ad haec alludit s. martyr Ignatius ep. ad Smyrn. n. 1. *u* Ex hoc fructu nos sumus per divine beatam passionem eius, et per resurrectionem suam elevet signum in sauctos et fideles suos sive iu ludacis sive in gentibus in uno corpore Ecclesiae suae. »

eis qui salvati fuerint, ad gentes, in mare ( VDO nri Tartessum), in Africam, et Lydiam tendentes arcum, in Italiam (1) et Graeciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus..... *Et assumam ex eis sacerdotes et locitas*, dicit Dominus. Quia sicut coelum novum et terra nova... sic stabit semen vestrum et nomen vestram » Is. LXVL 18. sqq. ; Mal. III. 3. 4. « In diebus illis et in tempore illo germinare faciam David germen iustitiae (nomen Messiae cf. Is. IV. 2; 1er. XXIII. 5; Zacb. 111.8; VI. 12.)... quia haec dicit Dominus : non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel ; et *de sacerdotibus et de lecitis non interibit vir a facie mea* (ministrans coram me), qui offerat holocaustomata et incendat sacrificium et caedat victimas omnibus diebus... Si irritum potest fieri pactum meum cum die et pactum meum cum nocte, ut non sit dies et non in tempore suo, et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius, *et lecitae et sacerdotes ministri mei*. Sicut enumerari non possunt stellae coeli et metiri arena maris, sic multiplicabo semen David (eos qui sunt a Christo, quem germinare faciet Davidi germen iustitiae), *et levitas ministros meos.* n 1er. XXXIII-15. sqq. Ja

Manifestum est, sicut hic promittitur praefiguratum aeternum regnum Christi alterius ordinis sublimioris, quam fuerat regnum typicum Davidis, ita promitti in hoc regno

(1) satis apte Italia intelligitur ex coniunctione ipsa cum Graecia (p1 Ionia) et cum insulis ( ) qto nomine in prophetis tractus seu littora ad mare mediterraneum significari solent. Neque hanc significationem *Italide*, ex aliis locis refelles, ubi nomen adhuc occurrit; nam Gen. X. 2; Ez. XXVII. 13. pariter iungitur cum Graecia, et hoc loco Ez. facile Tyrrheni vel cooniae Phoenicum intelligi possunt; ex vaga autem commemoratione Ez. XXXII. 26. et significatione potius mystica Ez. XXXVIII. 2. 3: XXXIX. 1. nihil certi eruitur (cf. Aug. Civ. Dei XX. 11.). Hieronymus incertus fluctuat inter significationem Italarum vel Iberorum, quos Hispanos (semel in Ez. XXVII. 13. etiam Iberos orientales) intelligi posse ait: sed Hispani apud Isaiam iam nomine Tarais (Tartessus) comprehendantur. \*1



sacerdotium alterius ordinis ipsi indoli regni respondens, sicut terra nova et coelum novum, ita novum sacerdotium sublimius, quam fuerat in typo sacerdotium leviticum (cf. Heb. VIII. IX. XIII. 10.). Sicut Paulus (Heb. VII. 11-14.) ex eo inter alia, quod Christus non est ex tribu Levi, demonstrat eius sacerdotium alterius ordinis et non leviticum esse, ita etiam sacerdotes et levitae in regno Christi a prophetis 11. cc. promittuntur futuri non ex genere levitico, sed assumendi ex omnibus gentibus, multiplicandi et oblaturi sacrificia usque ad consummationem saeculi quamdiu erunt dies et nox (1). Translato autem et mutato sacerdotio, utique fieri necesse est translationem et mutationem legis, cultus externi, et nominatini sacrificii (Heb. VII. 12.), quod alibi praedictum esse vidimus luturum unicum secundum ordinem typi in Melchisedech. Quando igitur Ieremias diversas species sacrificiorum veteris oeconomiae, in qua ipse propheta, et illi erant, quibus proxime prophetabat, videtur transferre ad sacerdotes in regno Christi (2), non aliud intelligendum est, nisi quod omnibus illis typicis sacrificiis successurum sit unum sacrificium per illa omnia praefiguratum. « Carnalium sacrificiorum varietate cessante omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis tui implet oblatio... ut sicut unum est pro omni victima sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum » s. Leo serm. 59. c. 7. cf. serm. 68. c. 3. « Mensam sacerdos ipse mediator Testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore et sanguine suo ; id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quae immolabantur in umbra futuri. Propter quod etiam vocem illam in psalmo tricesimo et nono eiusdem mediatoris per prophetiam loquentis intelligimus, sacrificium et oblationem noluit, corpus autem perfecisti mihi ; quia pro illis

& ij.

5iy L.  
H:cj .: j

(1) Confer s. Hieronym. commentar, in Is. LXVI. 22. (T. IV. p. 823.).

(2) Quod in Vulgata dicitur, - offerat holocausta et *incendat* sacrificium et *caedat* victimas, videtur paulo durius. Numerantur omnes tres species praecipuae sacrificiorum typicorum Π2T ΠΠ2O h SîV sicut vidimus in Ps. XXXIX, verba autem ex hebraico strictius translata haec sunt: offerens holocaustum, et *adolens* festum, et *faciens* sacrificium , : Π2T rfJjn. : **rnw**

omnibus sacrificiis et oblationibus corpus eius offertur, et participantibus ministratur » Aug. Civ. Dei XVII. c. 20. n. 2. « Unus verus mediator. ... et sacerdos est, ipse offerens. ipse et oblatio. Cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium ; quae cum ipsius capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerre (1). Huius veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, ut hoc unum per multa figuraretur, tamquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur. Huic summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa (imperfecta in umbra et figura cf. Heb. VIII. 7.) cesserunt. » Ibid. 1. X. c. 20. I

Pauca quae citavimus, sufficiunt, ut indefectibile regnum Christi in terris proprio regimine, magisterio, et sacerdotio in se cohaerens a Christo ipso Redemptore acquirendum suo sanguine, et ex omnibus gentibus ad aeternam omnium gentium salutem fundandum, clarissime in prophetis praenuntiatum esse intelligamus, adeo ut aeternum hoc et universale regnum constituat unum ex insignioribus characteribus et illustrioribus notis promissi Messiae. Multa alia prophetarum oracula huc pertinentia facile induci possent. quae non minori luce splendent. Is. XI. 1. 11. 12, XL. 2. 9; XLII. 6. 10; LI. 3-7; LIV; LXII; LXV. 16. sqq. ; Hos. II. 16. sqq. ; III. 5; Joel. II. 27-32; IIL 16-21. Amos III. 16. sqq.; IX. 11; Soph. III. 14; Zach. II. 10; XIV. 8. 9. Xorma aliqua ad discernendas prophetias, quae vel sensu immediato vel typico ad Christum et eius Ecclesiam referuntur, ex modo citandi s. Pauli Rom. XV. 8-12. deduci potest.

Prophetiae promissionum et complementum executionis sese mutuo collustrant, ac manifesto divinitatis sigillo confirmant; ad ipsius igitur complementi considerationem nobis transeundum est.

(1) Ita in editione Maurina; sed habent aliae editiones lectionem ampliore, quae colorem praesertim omnino Augustinianum ; - Ecclesiae sacrificium; cum ipsius corporis ipse sit caput, et ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam suctus offerri »



## THESIS VH.

*In Ecangeliis annuntiatur regnum Dei, regnum Iesu Christi propriae constitutionis ac formae fundandum in terris.*

¶ Quamvis *regnum Dei* et *regnum coelorum* in Scripturis non uno semper sensu accipiatur, in Evangeliiis tamen 1°. hoc nomine annuntiantur *regnum Iesu Christi in terra*, ut societas in se et per se consistens in propria sua forma, ab aliis societatibus distincta et diversa, ordinis nempe non terreni sed supernaturalis, quamvis in terra ex hominibus constituta; quae eadem unitas in se constituta et propria forma regni 2°. a Christo fundatore aliis nominibus ac symbolis parabolarum describitur et annuntiatur. «

I. Regnum Dei est quidem etiam regnum creatoris *in ordine naturali*. « Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et universi qui habitant in eo, quia ipse super maria fundavit eum » Ps. XXIII. 1; XLIX. 12. « Dominus in coelo paravit sedem suam, et regnum ipsius omnibus dominabitur.... benedicite Domino omnia opera eius in omni loco dominationis eius » Ps. CII. 19. 22; CXLIV. 11. 12; 1. Paral. XXIV. 11. 12; Tob. XIII. 1; Dan. III. 100; IV. 31. At phrasis complexa *regnum Dei, regnum coelorum*, et *regnum* simpliciter in relatione ad Deum in novo Testamento non appellatur nisi *regnum supernaturale*, quod Christus Redemptor sanguine suo acquisivit et hominibus comparavit, atque, qua parte illud in terris est, ipsemet suis legibus, institutis ac dotibus efformavit « sibi quoque gloriosum exhibuit, Consideratur autem hoc regnum supernaturalis Iesu Christi secundum triplicem rationem.

Γ. Directe spectantur gratiae, virtutes, dona ac ornamenta spiritualia interna, dum horum manifestatio in conspicuis regni institutis externaque visibili forma indirecte tantum significatur vel supponitur. Phariseis regnum Messiae fingentibus externum in prosperitate et gloria mundana Christus Dominus respondet: « regnum Dei non venit cum observatione; neque dicent; ecce hic, aut ecce illic;

ecco enim regnum Dei intra vos ὅτι ὡν ἐστὶν  
Luc. XVII. 20. 21. of. XII. 31. i. Non est enim regnum  
Dei esca et potus: sed iustitia et pax et gaudium in Spi-  
ritu Sancto » Rom. XIV. 27: 1. Cor. IV. 20. cf. Mattii.

2'. Saepe directe significatur regnum consummatum in  
vita aeterna, ubi Deus regnat in omnibus sanctis, et omnes  
sancti regnant cum ipso; in plurimis tamen locis simul in-  
cluditur etiam regnum in terris tamquam praeparatio ad  
ipsum regnum consummatum. « Multi ab oriente et occi-  
dente venient et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob  
in regno coelorum; filii autem regni (primum vocati Iudaei  
ad regnum in terris) eiicientur in tenebras exteriores »  
Matt. VIII. 11; Luc. XIII. 28; *a* vocavit vos in regnum  
suum et gloriam - 1. Thess. II. 12: -ut digni habeamini  
in regno Dei. pro quo (ὕπερ ζ ) et patimini» 2. Thess. I.  
5; - salvum faciet in regnum suum coeleste » 2. Tim. IV.

Io. III. 3. 5; Act. XIV. 21: 1. Cor. VI. 9. 10; XV. 50:  
Gal. V. 21; Eph. V. 5; Iac. II. 6; 2. Pet. I. 11; Apo-  
cal. v. 10. J

Quandoque celebratur hoc regnum, quatenus completo  
iam numero sanctorum et corporibus etiam glorificatis ci-  
vitas Dei erit in omnibus suis partibus perfecta. Descripto  
secundo suo adventu « cum potestate magna et maiestate, »  
eiusque signis enumeratis subdit Dominus: *a* cum videritis  
haec fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei » Luc. XXI.  
31. «Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri...  
oportet autem illum regnare (in regno in terris), donec po-  
nat omnes inimicos sub pedibus eius» 1. Cor. XV. 23-28.  
*u* Testificor autem coram Deo et Iesu Christo, qui indica-  
turus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum  
eius» 2. Tim. IV. 1; Matth. XIII. 43; XXV. 34; Apo-

Si vera esset plurium Patrum interpretatio Matth. XVI.  
, c. III. \, . I . 27. ipsa Christi glorificatio  
corporea in sua vita adhuc mortali diceretur regnum Chri-  
sti, regnum Dei. « Proprie signanterque promiserat, quos-



dani de adstantibus discipulis non prius gustare mortem, quam viderent Filium hominis venientem in regno suo, idest in regia claritate, quam specialiter ad naturam suscepti hominis pertinentem his tribus viris (Apostolis) voluit esse conspicuam « s. Leo M. serm.51. c. 2; Chrysostomus in Matth. hom. 56. al. 57. η. 1. et alii. Sed praefenda est significatio regni Dei (ut habent Marcus et Lucas), de (pia statim dicturi sumus; ut intelligatur cum s. Gregorio M. aliisque regnum Dei haec Ecclesia Christi constituta et late propagata in terris (s. Greg. in Evang. hom. 32.

3°. Haec significatio *regni Dei, regni Christi, regni coelorum* in novo Testamento frequentissima est, ut directe his nominibus designetur regnum visibile proprii nominis propriaeque formae a Christo in hominibus et ex hominibus in terra instituendum ubi de promissione annuntiante, aut institutum ubi de facto iam completo sermo est. In visibili hoc regno utique includitur tamquam dos et proprietas intima id, quod primo loco vidimus designari nomine *regni Dei*, et connectitur tamquam terminus ac finis id, quod loco altero significari diximus, regnum scilicet Dei *consummatum*; attamen regnum tertio hoc loco directe significatum distinguitur (distinctione inadaequata) ab illo priori quidem ut *totum* a sua parte formali; ad alterum vero se habet ut inchoatum ad perfectum vel etiam ut medium ad suum finem. De regni ita considerati institutione hic agimus. non ut iam facta sed ut annuntiata in Evangeliiis.

II. Sicut in propheticis praenuntiationibus Messiae venturi vidimus tamquam *opus eius cum ipso* designari universale et incorruptibile regnum, ita in annuntiatione executionis ac implementi daclaratur finis et opus adventus Christi constitutio *regni* eius perenniter inter homines perstituri. Haec igitur constitutio *regni Christi* compendio complectitur totum opus ac finem magni sacramenti incarnationis, redemptionem mundi, expiationem peccati, sanctificationem et salvationem generis humani, atque supremam Dei glorificationem in hoc regno, in mundo redempto, sanctificato, salvato, qui est Ecclesia unita suo capiti Christo Redemptori et Salvatori.

Γ. Sane in annuntiatione incarnationis per angelum tria haec declarantur tamquam summa totius mysterii : *persona* quae est Filius Altissimi et Filius simul natus ex Virgine matre, adeoque Deus et homo, Emmanuel *Nobiscum Deus* secundum Isaiæ prophetiam in hac ipsa annuntiatione declaratam verbis et adimpletam facto (vide de Incarnat, th. XV.); tum *nomen Iesu* atque in eo implicite finis ac munus Redemptoris; postremo hoc munus et hic finis descriptus explicite in *regno aeterno* Redemptoris constituendo in redemptis et ex redemptis secundum typos et prophetias antecedentes in veteri oeconomia praeparationis, « Ecce concipies in utero et paries Filium (Spiritus Sanctus superueniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi); et vocabis *nomen eius Iesum*; hic erit magnus et *Filius Altissimi vocabitur* (quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei); *et dabit illi Dominus Deus sedem* (τον θρονον) *David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis* » Luc. I. 31-35. In declaratione angeli ad s. Ioseph ipsum nomen *Iesu Salvatoris* comprehendit ea omnia, quae in annuntiatione ad beatissimam Matrem explicite praedicantur. Utraque autem angeli annuntiatio a s. Evangelista adhuc collustratur expresse in illa contestando complementum prophetiae de Emmanuele. « Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est; pariet autem Filium, et vocabis nomen eius *Iesum ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium, et vocabunt nomen eius *Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus* », Matth. I. 20-23. JH

Per *thronum David et regnum in domo Iacob* directe significari regnum visibile in terris tamquam complementum typorum antecedentium in populo Israel ex verbis ipsis clarum est, quamvis connexio cum regno consummato in coelis simul indicetur. Unde etiam duratio in aeternum (εἰς τον; α'.ωνα;) pro utraque forma regni secundum subiectam materiam accipienda est, ut in una forma sit usque ad consummationem saeculi et sine fine corruptionis (Dan. II. 44:



VII. 14.) quamvis non sine line perfectionis; in altera simpliciter sine line in aeternum.

Supernaturalis autem indoles huius regni aeterni, ac proinde diversitas et eminentia prae regnis et societatibus ordinis naturalis, atque hoc ipso propria eius forma et in se consistentia evidens est tum ex persona fundatoris ac regis, qui est Filius Altissimi et Filius hominis, *Nobiscum Deus*; tum ex fine et intima ratione ipsius regni, quae est salvatio a peccatis, ut sit regnum sanctificationis in plenitudine temporis, sanctitatis in aeternitate.

2°. Praedicatio praecursoris ad parandam viam Domini haec erat: « poenitentiam agite, appropinquavit enim *regnum coelorum* » Matth. III. 2. Teste ipso Christo post oeconomiam praeparationis in lege et prophetis inde a Ioanne incipit evangelium oeconomiae adimpletionis, quae dicitur et est *regnum Dei*. a Lex et prophetae usque ad Ioannem; ex eo *regnum Dei* evangelizatur » Luc. XVI. 16. of. V. Matth. XI. 12.13. Hinc evangelium ipsius Iesu Christi et discipulorum eius comprehenditur hoc compendio, ut sit *Evangelium* seu *verbum regni*, u Venit Iesus in Galilaeam praedicans Evangelium regni Dei, et dicens, quoniam impletum est tempus et appropinquavit regnum Dei; » u circuitus Iesus praedicans Evangelium regni; n a qui audit verbum regni; « praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus; » u et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo « τούτο missus sum; » Iudaeis Messiam promissum et missum repudiantibus ait ipse: « auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti (gens una quia regnum unum) facienti

43; XXIV. 14; Marc. I. 14; Luc. IV. 43; VIII. 1; IX. 2. 11. 60; XVIII. 17; Act. I. 3; VIII. 12; XIX. 8; XX. 25; XXVIII. 23. 31.

3°. Regnum Messiae in terris secundum prophetarum praenuntiationes expectabant Iudaei non solum carnales, sed omnes etiam pii et spirituales; imo haec expectatio regni coincidebat cum expectatione adventus Messiae; unum enim ex solemnibus nominibus ad designandas proprietates ac notas Messiae erat, *Filius David, seu Israel*

Io. I. 49; Matth. IT. 2; XXλ IL II; Io. XIX. 19-22, Hinc ad celebrandas prophetias in Iesu Nazareno adimpletas *velut* synonymae habentur acclamationes: *u* benedictus qui venit *rex Israël* η Io. XII. 13-16; Luc. XIX. 38; «qui venit *Filius David*» Matth. XXI. 9; et *u* benedictum quod venit *regnum patris nostri David* η Marc. XI. 10.

Haec autem regni Messiani expectatio, quamvis quoad eius indolem in hominibus carnalibus fuerit erronea, quoad rem tamen regni visibilis propriaeque constitutionis ac formae inter homines fundandi, quo regnum typicum veteris Testamenti perficeretur et transferretur in regnum praefiguratum Testamenti novi, a Christo ipso et a sacris scriptoribus manifestissime approbatur et confirmatur tum modo, quo vidimus Christum et Apostolos totam suam praedicationem declarasse *Evangelium regni* a populo expectati; tum modo quo hoc regnum, in veteri Testamento praefiguratum et promissum, exhibebant ut sedem David, regnum aeternum Filii David, regnum Emmanuelis; tum modo quo expectationem Israëlitarnm approbando referunt et describunt. « Ioseph ab Arimathaea et ipse (ut alii discipuli cf. Matth. XXVIII. 57.) erat expectans regnum Dei » Marc. XV. 43; Luc. XXIII. 51; « ut sedeant hi duo filii mei in regno tuo... ait illis: non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo » Matth. XX. 21; « si in tempore hoc restitues regnum Israël? dixit autem eis: non est vestrum nosse tempora vel momenta (huius restitutionis certae, verum regni supernaturalis et universalis); sed accipietis virtutem Spiritus supervenientis in vos, et eritis mihi testes... usque ad ultimum terrae » Act. I. 6. g S9|B

4°. In ipsa proxima praeparatione sacrificii crucis, quo regnum erat acquisiturus, Christus Redemptor se regem et *regnum sibi, regnum suum* verissimum *in hoc mundo* professus est; de visibili enim regno in hoc mundo tota quaestio erat tum Iudaeorum tum Pilati; et hoc regnum ab eis negatum vindicavit esse *suum*, sed alterius ordinis ac ipsi fingeant, ordinis nempe supernaturalis. « *Regnum meum non est de hoc mundo,.. nunc autem regnum meum non est hinc,* » Verba satis per se clara Augustinus commenta-



tur: *u* non ait regnum meum non est *in hoc mundo*, sed non est *de hoc mundo*. .. non ait: nunc autem regnum meum non est *hic*, sed non est *hinc*; *hic est enim regnum eius usque in finem saeculi* *n* Aug. in Ioan, tract. 115. *n*. 2. De se ipso regni acquirentore et fundatore Christus ait: «vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos *de mundo hoc* estis, ego non sum *de hoc mundo* *n* Io. VIII. 23; XVII. 13-16. Erat verus homo in hoc mundo, sed homo qui persona divina per alteram suam divinam naturam est Deus; ita et eius regnum splendor relucens et expressa imago Dei-hominis est verum regnum visibile *in hoc mundo* sed ex omnibus suis causis suisque dotibus regnum supernaturalis ordinis, et hoc sensu spirituale licet visibile ex hominibus et in hominibus constitutum, non *de hoc mundo* regnum divino-humanum. Hancque ipsam ad exemplar Christum expressam imaginem regni ut discipuli, cives regni, singuli in se referant, ipsemet in oratione illa testamentaria post ultimam coenam mandavit et Patrem rogavit. « Cum dilexisset suos qui erant *in mundo*... et mundus eos odio habuit, quia *non sunt de mundo*, sicut ego *non sum de mundo* *n* Io. XIII. 1; XV. 19; XVI. 11.12.16.

Porro ordinem supernaturalem sui regni non solum *negative* quod non sit de hoc mundo, sed etiam *positive* in illa responsione ad Pilatum Christus declarat velut ex prima et essentiali regni proprietate, quod sit *regnum veritatis*; fundat enim suum regnum in veritate, quam ipse rex veritas de supernis affert hominibus in mundo et revelat. «Tu dicis (h. e. verum dicis cf. Matth. XXVI. 64.), quia *rex sum ego: ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum* (cf. Io. XVI. 28. etc.), ut *testimonium perhibeam veritati*, omnis *qui est ex veritate*, audit vocem meam » Io. XVIII. 36. 37. Sicut praedicta est Ierusalem civitas veritatis et Sion mons sanctitatis (th. VI.), ita hoc fundamentum regni Iesu Christi, qui est ipsa veritas et ipsa vita (*n* ἀληθεια και η ζωη) Io. XIV. 6. in novo Testamento in primis praedicatur, quod suo loco videbimus. «Gratia et veritas per Iesum Christum facta est; » « alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum Spiritum veritatis; *n* a Spiritus veritatis docebit vos omnem

veritatem; » - Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis.' Io. I. 17; XIV. 16; XVI. 13; 1. Tim. III, 15. Haec veritas est, quae sanctificat cives in regno veritatis, i. Vere discipuli mei eritis et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos; » « sanctifica eos in veritate » (έν τη αλήθεια); « genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius » (απαρχήν τινχ των αύτου κτισριχτων) Io. VIII. 32; XVII. 17. 19; Iac. I. 18. |

Declaratur itaque in ipsis initiis Evangelii et in proxima praeparatione *regnum Dei, regnum coelorum, regnum Iesu Christi*, vel etiam *regnum* simpliciter ab ipso Redemptore constituendum ex hominibus et pro hominibus in terra, substituendum regno Israelis imperfecto praefiguranti hoc regnum novi Testamenti, adeoque regnum visibile in sua propria forma et unitate consistens, perpetuo duraturum « (regnabit in aeternum), » universale ex omnibus gentibus « (Evangelium regni in universo orbe), » regnum supernaturalis veritatis et sanctitatis, cuius cives sunt discipuli et filii veritatis, sicut regnum ipsum et sicut ipse rex ac fundator, in hoc mundo sed non de hoc mundo.

III. Hoc ipsum regnum Iesu Christi in terris exhibetur sub alio schemate unius gregis ab ipso Christo bono pastore constituendi ex omnibus gentibus tamquam ovibus eius sanguine redimendis et ab ipso magno pastore pascendis, etiam per pastores ministros ad aeternam salutem ovium Christi. Multiplicibus item parabolis *Euangelium regni*, quo vidimus comprehendere compendium evangelicae praedicationis et proxima praeparationis, Dominus ipse illustrare voluit, et velut oculis exhibere, cuiusmodi hoc regnum Dei in terris unum et universale futurum sit. I

i . In veteri Testamento populus Israel peculium veri Dei saepe describitur velut grex ovium Domini, « Ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuae eius et oves manus eius » Ps. LXXIII. 1; LXXVIII. 13; XCIV. 7; XCIX. 3; Ierem. XXIII; Ezech. XXXIV; Mich. VII. 14. et alibi saepe. Pastores autem Israel sacerdotes nempe et principes theocratiae veteris Testamenti Dominus arguit, qui dispergebant gregem, eisque reprobatis praedicat substituendum novum Israel, gregem Dei ex omnibus gentibus,



super quem suscitabit Dominus ovium *u* pastorem unum, servum suum David, qui pascat eas et ipse erit eis in pastorem. » « Et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum... et percutiam illis foedus pacis, pactum sempiternum erit eis *n* Ezech. XXXIV. 23 ; XXXVII. 24.26; Zach. XI. 7. Sub hoc uno pastore, qui est *a* germen David, » Deus promittit, *u* suscitabo super eos pastores, et pascent eos; non formidabunt ultra et non pavebunt » *u* 1er. XXIII. 4.5. Pastores isti promittuntur pro nova Ierusalem non unius populi sed omnium gentium, *u* Et dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina... In tempore illo vocabunt Ierusalem solium Domini, (non arca Testamenti veteris sed nova civitas Dei tota erit solium Domini), et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Ierusalem » 1er. III. 15. 17. (Vide th. VI.).

Iam hunc unum gregem, hoc promissum unum ovile ex omnibus gentibus sub uno pastore Christus Dominus declarat gregem esse suarum ovium, et se ipsum esse unum pastorem.

u) Ut pastorem bonum se annuntiat, quia effusione sanguinis sui pro salute ovium suarum ipse eas congregat imo efficit suas oves, *u* Ego sum pastor bonus ; bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis ; » *a* et animam meam pono pro ovibus meis ; » *u* et vitam aeternam do eis » Io. X. 10. 11.15.28.

Congregat oves ac pascit eas doctrina sui magisterii, et regit potestate sui imperii; atque ita homines constituuntur oves Christi auditu fidei eius magisterium, sanctitate morum ductum eius imperii sequentes, *a* Vos non creditis, quia non estis de ovibus meis; oves meae vocem meam audiunt; et ego cognosco eas et sequuntur me; » *u* ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meae » Io. X. 14. 26. 27.

Sicut pastor unus, ita non solum ex filiis Israel sed aequae etiam ex gentibus sub uno pastore unum erit ovile. - Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor » Io. X. 16,

b) Hic unus pastor (ο ποια,ην δ κκλο cum articulo) est Christus ipse; sed quoniam suum ovile in terris et ovile unum perenniter futurum esse voluit; promisit enim neminem, saltem ut collective sunt unus grex et unum ovile, oves rapturum de manu sua quae est. ipsa manus seu potestas Patris (To. X. 28-80.): propterea ab ipso, auctoritate propria uno pastore, instituendi sunt alii pastores ad eius ministerium, qui in relatione ad ovile eius nomine et auctoritate pascant, in relatione ad Christum ut oves eius et ipsi pascantur; alii ergo erunt pastores, sed nulli alia auctoritate quam eius, qui unus est pastor divinus. Verum quae forma futura sit gregis et pastorum, postquam Dominus et pastor bonus ovium propriarum visibilis in terris pascere ipse desierit, id multo amplius et distinctius tractandum est in declaratione ipsius iam executionis, quae ad hunc locum non pertinet. Intelligemus tunc, quomodo divinus pastor totum suum ovile, quod modo ab ipso annuntiatum vidimus sacrificio vitae suae sanctificatum, doctrina et potestate sua gubernatum, ex omnibus gentibus collectum ut sit unum sub uno pastore, commiserit cum potestate a se communicata uni supremo pastori vicario, ut visibili ministerio unitas ovilis visibilis perpetuo servetur: « pasce agnos meos, pasce oves meas » Io. XXL 15–17. Sicut autem ad unitatem instituit unum pastorem supremum et universalem gregis totius, ita ob unitatem simul et universalitatem gregis voluit sub illo uno esse pastores multos, qui singuli non sane totum gregem, sed « qui in ipsis est pascant gregem Dei providentes » (ἐπισκοποῦντε) 1. Pet. V. 2. Omnes uno pastores Christo ministrantes in terris membra sunt, ut s. Augustinus loquitur, pastoris divini cuius oves sunt propriae, atque ita unus pastor et unum ovile, a Habeat ovile Domini praepositos, et filios et mercenarios. Praepositi autem qui filii sunt, pastores sunt. Si pastores sunt, quomodo unus pastor, nisi quia sunt illi omnes unius membra pastoris, cuius sunt oves propriae?» Aug. in Io. Tract. 46. n. 5. **B I**

2 . Dum Christus Dominus regnum Dei in terris a se constituendum annuntiat, illud cuiusmodi futurum sit, saepe describit parabolis, in quibus hoc suum regnum ve-



teri regno typico, in propria sua forma ac constitutione conspicuum, substituendum vel explicite declarat vel indicat implicite ipsa regni sui universalitate, in quo non unus populus peculiaris, sicut typica illa oeconomia a Deo instituta erat, sed sine discrimine nationis et generis omnes gentes, mundus transformatus comprehendantur.

Veteris Testamenti regnum Dei in populo peculiari describitur a prophetis sub symbolo vineae plantatae a Domino Deo, quae a sylvis et desertis incultis seu ab omnibus gentibus alienis separata constituebat regnum Dei utique visibile sui nominis propriaeque formae. « Vineam de Aegypto transtulisti; eiecisti gentes, et plantasti eam... plantasti radices eius et implevit terram » Ps. LXXIX. 9. sqq. ; Is. V. 1. sqq. ; 1er. II. 21 ; XII. 10 ; Ezech. XIX. 10. sqq. ; Iam vero eandem parabolam assumit Christus Dominus pro suo regno in terris, et ad declarandam translationem regni Dei ad gentes, quae erunt gens una quia regnum unum, simulque describit causam huius translationis seu potius ablationis regni a populo Iudaico per prophetas praenuntiatam, quia « occidetur Christus, et non erit eius populus qui eum negaturus est... Confirmabit autem pactum multis » Dan. IX. 26. 27. Descriptio Salvatoris haec est. -Ὁ πατήρ ἦν οἰκοκύριος (ὁ ζῳδεσποτὴρ), qui plantavit vineam, et septem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et aedificavit turrim, et locavit eam agricolis, » Iisdem paene verbis fundatio regni Dei in populo Israel describitur Is. V. 2, concludendo : « vinea enim Domini (exercituum domus Israel est. » Paterfamilias Dominus vineae, quam omnibus praesidiis et subsidiis abunde instruxerat, misit continua quadam successione servos suos (prophetas aliosque ministros fideles), ut ab agricolis fructus reciperet. Hi vero alium ceciderunt, alium occiderunt, alium lapidaverunt. « Novissime autem misit ad eos Filium suum (*unum habens Filium carissimum* Mare. *Filium dilectum* Luc.) dicens: verebuntur Filium meum. Agricolaes autem... apprehensum eum eiecerunt extra vineam et occiderunt» (1). Quid iam

(1) « Jesus nō sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est » Heb. XIII. 12; extra portam nempe Jerusalem, quae

faciet Dominus vineae agricolis illis? u Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis (dabit aliis liare. Luc.), qui reddant, ei fructus temporibus suis... Ideo dico vobis, quia *auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius* » Mattii. XXI. 33. sqq.; Marc. XII. Luc. XX. M

Cum hac parabola vineae intime cohaeret altera, in qua regnum coelorum in terris repraesentatur convivio nuptiarum Filii regis. De nuptiis Filii Dei incarnati cum Ecclesia et de Ecclesia sponsa suo loco agemus, ubi etiam videbimus iam in veteri Testamento descriptam desponsationem cum uno populo Dei peculiari, sed ita ut sponsa infidelis esset repudianda, ac illi priori substituenda a desponsatio in sempiternum, » in qua ait Dominus : a dicam non populo meo : populus meus ; et ipse dicet : Deus meus es tu » Os. U.

Singulae partes huius symboli nuptiarum respondent singulis partibus prioris parabola, ita ut manifesta sit una utriusque significatio. « Simile factum est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos vocare invitatos (καλεσαι του κεκληψ-ενου ) ad nuptias, et nolebant venire. Iterum misit alios servos.... illi autem neglexerunt... reliqui vero tenuerunt servos eius, et contumeliis affectos occiderunt. » Quod coloni, quibus primum locata erat vinea repraesentans regnum Dei in terris, fecerunt servis successione temporum missis ad requirendum fructum, hoc idem servis regis simili successione missis fecerunt primum et ante alios invitati atque ita ab ipso rege praeparati ad nuptias. Quod vero in priori parabola est missio Filii quem occiderunt, hic sunt nuptiae Filii quas spreverunt. Unde sicut ibi malos male perdet, vinea regni Dei datur aliis, et hoc regnum transfertur ad gentes ; ita eadem omnia repetuntur in convivio nuptiarum Filii, quae ipsae sunt regnum coelorum in terris, u Rex autem. ... perdidit homicidas illos et civitatem illorum succendit (Ierusalem centrum regni typici).... Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nu-

sedes erat ac centrum illius regni ac Testamenti quod fecit patribus eorum educens eos ex terra Aegypti, nunc vero per regnum et Testamentum novum mediatoris Iesu Christi erat antiquandum. Heb. VIII 6-13.



ptias. Et egressi servi eius in vias, congregaverunt omnes (pios invenerunt, malos et bonos (1), et impletae sunt nuptiae discumbentium. » Additur illud magnum discrimen inter discumbentes, quod pro praesenti statu nuptiarum regni inter ornatos veste nuptiali sunt etiam non habentes vestem iustitiae, cum iustis in uno regno visibili commixti etiam peccatores, « Intravit autem rex ut videret discumbentes. et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali » Matth. XXII. 2-14. Sed de hoc stadio unius, universalis, visibilis regni coelorum in terris, in quo sint cum iustis etiam peccatores, Evangelia proponunt aliam seriem parabolarum Christi Salvatoris, quas duce Augustino Episcopi Africae potissimum urgebant adversus Donatistas, quare illae reservandae nobis sunt ad alium locum, ubi data opera tractabimus de membris Ecclesiae.

Quod vinea locata gentibus, collecti ex viis et plateis discumbentes in nuptiis Filii regis significant, hoc ipsum exhibetur per regnum coelorum sub symbolo grani sinapis verbis licet paucissimis adumbratum. « Simile est regnum coelorum grano sinapis.....cum autem creverit maius est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres coeli veniant et habitent in ramis eius » Matth. XIII. 31. 32. Regnum nempe coelorum fundandum in terris a Iesu Christo ex initiis humana aestimatione minimis et contemptis crescit multo sublimius omnibus regnis terrenis comprehendens omnes gentes ad vitam earum et salutem. Ita etiam transformatio mundi in regno et per regnum Iesu Christi adumbratur, dum dicitur *a* simile regnum coelorum fermento, » quod quantitate minimum atque absconditum totam massam farinae pervadit et transformat: « abscondit in farinae satis tribus (cf. Gen. XVIII. 6.), donec fermentatum est totum » Matth. XIII. 33.

Quin ulterius progrediamur, ex dictis in thesi satis clarum est, qua forma suam divinam religionem, veritatem a

(1) Distinctior est enumeratio penes Lucam et inde clarior regni universalitas. « Tunc iratus paterfamilias dixit servo suo: exi cito in plateas et vicus civitatis, et pauperes ac debiles et caecos et claudos introduce huc.... exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea » Luc. XIV. 21. seqq.

se revelatam sanctitatem a se praescriptam, instituendam ac fundandam esse, Christus Salvator inde a sua manifestatione in carne et a primis initiis praedicationis ac praeparationis declaraverit. Nempe non religionem tantummodo velut in abstracto revelare consilium erat divinum, quam singuli fidei persuasione et moribus vitae sibi permissi ac nullis auctoritatis et potestatis, obedientiae et subiectionis vinculis colligati tamquam in schola philosophica privatim sequerentur; sed imo sicut a prophetis vidimus praenuntiatum, ita a promisso et misso Redemptore in executionis ipsis initiis est annuntiatum, ex omnibus gentibus fundari *regnum, regnum coelorum, regnum Dei* in terris unum et universale, quod ipsum regnum informetur fide et professione revelatae veritatis, disciplina et institutis supernaturalis sanctitatis, atque ita in hoc regno unitate sociali per auctoritatem et potestatem tum universitas omnium tum per se singuli conserventur et regantur in professione revelatae veritatis et in assecutione supernaturalis sanctitatis. Regnum igitur coelorum, regnum Dei, regnum Iesu Christi, cuius fundatio ab ipso annuntiata est modo, quo vidimus, est ipsa in concreto religio Iesu Christi, quae citra et extra hanc formam *regni* esse non potest.



THESIS VIII.

*Proxima praeparatio et inchoatio  
institutionis Ecclesiae.*

« Christus Dominus in ipsa forma suae praedicationis velut in exem-  
• piari exhibuit formam suae Ecclesiae; haneque formam constitutam in  
, visibili ac vivente auctoritate ex una parte et in obedientia fidei erga  
, eandem auctoritatem ex parte altera transfudit in Ecclesiam, dum huius  
s institutionem initiavit discipulorum fidelium vocatione, atque ex his  
» omnibus duodecim Apostolorum electione, quibus in unum corpus sub se  
b uno capite constitutis auctoritatem communicavit ad postulandam obe-  
3 dientiam fidei, simul praeparando plenioris potestatis participationem  
» perennem et sub uno visibili capite hierarchicam unitatem pro tempore  
s oblatae suae visibilis praesentiae. »

I. Christus Dominus, ut ex toto Evangelic manifestum est, inde ab exordio suae praedicationis in primis se ipsum demonstravit legatum divinum ac Messiam promissum, et a Iudaeis eo ipso tempore secundum prophetarum oracula expectatum (cf. P. Patritii in Evangel, dissert. 26. η. 7. et dissert. 27. c. 4. p. 4.), qui proinde in doctrina, in cultu, in regno Dei completurus sit, quod de Messia eiusque regno in tota patriarchali, Mosaica, et prophetica oeconomia fuerat praenuntiatum ac praefiguratum. Post supernaturales Messiae promissi manifestationes in ipsa eius nativitate (Luc. H. 8-19; 25-38. Matth. II. 1. sqq.), ad demonstrandum eum iam praesentem, et ad viam Domini praeparandam missus est Ioannes in spiritu Eliae et plus quam propheta (Matth. III. 1-14; Marc. I. 1-8; Luc. 1.15-17. 68-79 ; III. 1-17; Io. I. 15.36; III. 27. sqq.). In ipsa solempni praedicationis initiatione visibilis species Spiritus Sancti et vox Patris declarantis universo populo eum « Filium suum dilectum, in quo sibi complacuit » (Matth. III. 16.17. cf. XVII. 5; Io. XII. 28.30.); miracula per totam vitam publicani continua, et ex manifesta directione atque etiam diserta declaratione ad eundem finem conciliandae fidei in divinam missionem

iii

i

■K

patrata (1); prophetiae in eius nativitate, vita, doctrina adimpletae (\*2); divina vitae sanctitas repugnans ialsitati doctrinae et rapinae seu usurpationi divinitatis (cf. Phil, II.6);

(1) Evangelia fere integra componuntur verbis Christi et factis demonstrantibus verborum divinam veritatem; ita enim Deus loquitur verbis et factis (cf. Tract, de Tradit, append, ed. 2. p. 656. sq. 679. sq.). Sicut autem non tota Christi doctrina, sed fere non nisi eius fundamenti et praecipua elementa in Evangeliiis consignata sunt, ita et facta divini pleraque solum generali indicatione et non nisi pauciora distincta descriptione referuntur (Γο. XX. 3»). 31.). - Circnibat Iesus..... praedicans regnum Dei et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo; et abiit opinio eius (ἡ ἄζοη αὐτοῦ) in totam Syriam, et obtulerant ei omnes male habentes..... et curavit eos « (ἐδεραπευσεν αὐνοῦ) . » ‹ Euntes renuntiate Iohanni quae vidistis et audistis; caeci vident, claudi ambulat, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. » t Et secuti sunt cum multi (ὄχλοι πολλοί), et curavit eos omnes. » c Et obtulerunt ei omnes male habentes, et rogabant ut vel fimbriam vestimenti eius tangerent; et quicunque tetigerunt, salvi facti sunt» Matth. IV, 23. 24; VIII. 16; IX. 35; XI. 5. 20-24; XII. 15; XIV. 2. 14. 36; XV. 30. 31; XIX. 2. etc. Populus in hoc velut continuo miraculo agnoscit rem hactenus inauditam, et ex promissionibus prophetarum uni Messiae propriam. - Numquam apparuit sic in Israel. » « Et stupebant omnes turbae et dicebant: numquid hic est Filius David? » « Illi ergo homines cum vidissent, quod Iesus fecerat signum, dicebant: hic est vere propheta qui venturus est (ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενός) in mundum. i « Multi crediderunt in eum, et dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit? » Matth. IX. 33; XII. 23; Marc. VII. 37; Io. III. 2; VI, 14; VII. 31. Apostolus et Evangelista velut insolitum notat, si quando *non multas* virtutes fecit » (οὐ πολλὰ δυνάμει). Matth. XIII. 53. Scopus signorum ex ipsa eorum indole, et modo omnibusque adiunctis manifestus, diserte etiam a Christo ipso declaratur. « Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?), tunc ait paralytico: surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam; et surrexit et abiit in domum suam. › « Ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. » « Operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me, et ego in Patre. » « Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent, s  
“ Propter populum qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti; haec cum dixisset voce magna clamavit: Lazare veni foras; et statim prodiit, qui fuerat mortuus. › Matth. IX. 6. (Marc. IV. 7.); XIV. 33; Marc. IX. 23-25; Io. II. II; IV. 53; V. 36; IX. 3. 4; X. 37. 38; XI. 4. 15. 42. 45; XIV. 12; XV. 24.

(2) Matth. V. 17. 18; Luc. XVIII. 31; XXIV. 27. 44; Io. L 45; t 39. 46; XIII- 19; XIV. 29; Act. III. 18-25; XVII. 2. 3. 11 · XVIII.



ipsa doctrina docendique modus, ubi lucebat lux veritatis in mysterii sanctitate et sublimitate, inaccessibilitas in ineffabili suavitate, divinitas in humanitate (1), haec omnia (deinceps per passionem et mortem in singulis suis adiunctis praenuntiata, per resurrectionem, per missionem Spiritus Sancti et aedificationem Ecclesiae completa et confirmata) totidem radii erant luminis externi collustrantes divinitatem doctrinae et personae, quibus accedente interno lumine gratiae Iesus Nazarenus evidenter credibilis et credendus demonstrabatur secundum prophetias Scripturarum Messias promissus et missus a Patre, rex Israel salvator et pastor unus populi Dei, sponsor pacti novi et aeterni, pater futuri saeculi, desideratus cunctis gentibus, in quo benedicendae erant omnes generationes, Filius Dei genitus in die aeterno, cuius egressus tum ab initio a diebus aeternitatis tum novissime ex Bethlehem, Deus ipse veniens ad salvandum, Emmanuel Deus-nobiscum.

Sua autem missione a Patre, et sua suprema auctoritate demonstrata Christus plenam *in* obedientiam fidei *in* postulat in suam doctrinam veritatis et in sua praecepta ac instituta sanctitatis sub sanctione vitae vel mortis aeternae. « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Qui credit in eum, non indicatur; qui autem non credit, iam indicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei » Io. III. 16. 18. 36. « Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in eius dilectione » Io. XIV. 15.21.24; XV. 10. 14; 1. Io. II. 3. etc.

II. Hanc formam auctoritatis divinitus datae in magisterio et sacro imperio ex una parte, et ei respondentis *in* obedientiae fidei *in* ex parte altera, voluit Christus non

28. etc. Per totum Evangelium frequentissime appellatur ad prophetias Scripturarum, atque ostenduntur singula, quae narrantur de Christo, tacta esse, « ut impleretur Scriptura. »

(1) « Admirabantur turbae super doctrina eius; erat enim docens sicut potestatem habens; et non sicut scribae eorum et Pharisei. » « Numquani sic locutus est homo, sicut hic homo. » Matth. 23. 11. 28. 29; Marc. I. 22. Luc. IV. 32; Io. IV. 41; VII. 46. (cf. Tract. de Incarn., ed. 2. p. 35. 36.).

solum pro tempore suae visibilis praesentiae in divina sua persona, cui auctoritas divina veritatis et legislationis in docendo et praecipiendo originaliter et essentialiter inerat *u* (via, veritas, et vita); » sed formam eandem voluit instinam ac propriam totius regni sui in terris. Manifestum id reddidit in ipsa prima initiatione regni sui tum factis eam formam futuram praeparando tum verbis promittendo.

1°. Re sane vera Christus Dominus cum primum coepit praedicare *regnum Dei* in terris a se instituendum, continuo vocavit ac perpetua vitae consuetudine in unam societatem sibi *a* Domino ac magistro *n* (To. XII. 14.) coniunxit discipulos, atque ex his ipsis elegit *duodecim*, quos constituit unum speciale collegium multis praerogativis distinctum ab aliis suis fidelibus, idque solemnitate diserte adnotata in Evangelicis, *u* Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit: Simonem quem cognominavit Petrum, et Andream fratrem eius *u* etc. Luc. VI. 12. sqq. (1) (cf. Io. VI. 67-69; Act. I.

Memoratu dignissimum est, quod inde iam nomine collegial! eis proprio, ut unum corpus morale constanter appellentur *Uli duodecim* cum articulo, οἱ δώδεκα Matth. X. 1;

Imo idem nomen *duodecim* retinent ut proprium etiam post interitum proditoris et ante electionem Mathiae Io. XX. 24; 1. Cor. XV. 5. (in textu graeco), quando alibi *undecim* οἱ ἑνδεκά dicti reperiuntur Mattii. XXVIII. 16; Marc. XVI. 14; Luc. XXIV. 9; Act. I. 26. Hoc ipso nomine οἱ ἑνδεκά appellatur collegium, etiam ubi soli decem sunt Luc. XXIV. 33. coll. Io. XX. 24. Vicissim conservatur nomen *duodecim* ad

(1) Multo iam tum fuisse discipulos patet ex ipsis verbis Lucae et ex v. 14. ubi dicitur « turba (οχλο) discipulorum eius. » Prima vocatio discipulorum facta est mox post reditum Christi ex deserto, adeoque ipso initio praedicationis ante primum pascha (Io. I. 37. sqq.), electio autem duodecim Apostolorum ex « turba discipulorum eius \* locum habuit post secundum pascha. ■



designandum totum collegium etiam pro tempore, quo assumpto Mathia et Paulo iam sunt tredecim vero sensu Apostoli Matth. XIX. 28; Apoc. XXI. 14.

Iam hos *duodecim* excellentiori munere ab aliis omnibus discipulis discretos fuisse, clarum est ex ipso facto et modo electionis, ex nomine indito *Apostolorum* seu legatorum Christi in eius regno, ex locutionibus hoc distinctum collegium comparantibus cum aliis Christi discipulis et fidelibus, e. g. *u* undecim et qui cum ipsis erant  $\eta^*\zeta\omicron\iota \acute{\epsilon}\nu\delta\epsilon\kappa\alpha, \kappa\alpha\iota \omicron\iota \sigma\upsilon\nu \alpha\upsilon\tau\omicron\iota$ ) cf. Luc. XXIV. 9. 33., ex modo quo diserte munus Apostolorum ad testificationem *authenticam* etiam ante adventum Spiritus Sancti omnino distinguitur in oppositione ad testes quosvis alios quantumvis fide et scientia idoneos: « oportet ex his viris qui nobiscum sunt congregati omni tempore... testem resurrectionis eius *nobiscum fieri* unum ex istis... ostende quem elegeris accipere locum *ministerii huius et apostolatus* ( $\kappa\lambda\eta\rho\nu\ \tau\eta\ \omicron\iota\kappa\omicron\nu\omicron\mu\iota\alpha\ \tau\alpha\upsilon\tau\eta\ \kappa\alpha\iota\ \acute{\alpha}\text{-}\omicron\sigma\tau\omicron\lambda\eta$ )... et annumeratus est cum undecim Apostolis » Act. I. 21. sq. Verum his omnibus opus non est, tota enim Christi oeconomia luculenter demonstrat specialem relationem, quam habent Apostoli in regno Dei tum ad Dominum, a quo mittuntur, tum ad alios discipulos universos sive unitos sive uniendos, pro quibus mittuntur.

2°. Considerando itaque Apostolos in priori isto stadio praeformationis, de quo nunc agimus, in primis videmus dominum hos *duodecim* selectos erudire prae reliqua multitudine discipulorum in mysteriis regni Dei ad ministerium legatorum suorum ipso nomine *apostolatus* expressum. Huius rei testimonium exhibet tota historia evangelica. « Quia vobis datum est nosse mysteria regni coelorum, illis autem in parabolis... Vestri autem beati oculi quia vident, et aures quia audiunt » Matth. XIII. 11. 16. *u* Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo (revelanda hominibus), nota feci vobis  $\eta$  ( $\acute{\epsilon}\gamma\nu\omega\rho\iota\sigma\alpha\ \upsilon\mu\iota\nu$  vel in se explicite vel saltem implicite in promissione Spiritus Sancti) Io. XV. 15. cf. XVI. 12. Finis huius peculiaris institutionis declaratur praecepto, ut quod ipsi Apostoli seorsum et velut in tenebris audierunt, *u* dicant in lumine et praedicent super tecta *n* Matth. X. 27.

Hinc primum quidem videmus eos in intimo comitatu ]  
lesu per civitates et castella praedicantis et evangelizantis ]  
regnum Dei: *a* ipse iter faciebat... evangelizans regnum ]  
Dei, et *duodecim* cum illo » Luc. VIII. 1. Tum vero ipsog ]  
duodecim dominus mittit *a* praedicare regnum Dei, *n* ean- ]  
dem qua ipse utebatur, formam iniungens, ut scilicet de- ]  
monstrata signis et virtutibus missione divina auctoritati ]  
praedicationis ac magisterii respondeat ex altera parte of- ]  
ficiū obedientiae fidei sub sanctione damnationis aeternae ]  
in die iudicii, forma, demonstratio, auctoritas, sanctio prae- ]  
dicationis Apostolorum eadem est, quae in praedicatione ]  
Christi ipsius, nisi quod in Christo, quia unigenitus missus ]  
a Patre, potestas et auctoritas est ut *in fonte*, in Apostolis ]  
eadem est *dericata* a Christo, quia homines missi ab ipso. ]  
De Christi praedicatione dictum est: *u* tunc coepit expro- ]  
brare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes ]  
eius, quia non egissent poenitentiam. .. Tyro et Sidoni re- ]  
missius erit in die iudicii quam vobis; et tu Capharnanm... ]  
dico vobis, quia terrae sodomorum remissius erit in die iu- ]  
dicii quam tibi » Matth. XI. 20. sqq. de Apostolis: «Hos ]  
duodecim misit Iesus praeciens eis. .. euntes praedicate di- ]  
centes, quia appropinquavit regnum coelorum ; infirmos cu- ]  
rate, mortuos suscite, leprosos mundate, daemones eiicite... ]  
et quicumque non receperit vos neque audierat (ἀκουση - ]  
ἀκοη τη πιστεω ) sermones vestros... amen dico vobis, to- ]  
lerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die ]  
iudicii quam illi civitati » Matth. X. 5-15 ; Luc. IX. 1-6.

Principium auctoritatis Christi derivatae in suos lega-  
tos, quod diximus, generale statuit divinus magister. Pri-  
mum et per se illud enuntiatum reperitur in electione et  
missione *duodecim Apostolorum*, *u* Hos duodecim misit Ie-  
sus, praeciens eis... euntes praedicate... qui recipit vos,  
me recipit; et qui me recipit, recipit eum qui me misit »  
Matth. X. 5.7.40. Ut autem a potestate quae originaliter  
et exemplariter est in ipso Christo rege, magistro et sacer-  
dote, per participationem derivata intelligatur omnis pote-  
stas quae est in regno Christi, simulque adumbrata iam  
exhibeatur distinctio graduum hierarcbiae in eodem regno;  
Dominus post collegium duodecim Apostolorum in illa lega-



torum auctoritate iam institutum (1), *a* designavit *et alios* septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. *r*) Hos itaque, quamvis a se missos, nec *Apostolos creavit*, nec Apostolis aequavit, sed tamen idem derivationis principium, et consequenter reductio auctoritatis ad ipsum fontem Christum sane etiam pro ipsis valet: *a* qui vos audit, me audit, et qui vos spernit me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui me misit « Luc. X. 1. 16.

3°. Ipsum collegium duodecim Apostolorum licet nondum in ultima sua forma et perfectione plene constitutum, huic tamen plenae constitutioni a Christo Domino iam in vita sua mortali praeparabatur in primis quoad ordinem hierarchicum.

*a*) Quamdiu visibilis ipse Dominus ac Magister cum Apostolis versabatur, alii visibili capiti aut centro ac glutino unitatis nec locus nec opus erat. At vero omni oblata occasione Christus ipse monet et praenuntiat, pro tempore futuro post suum discessum, aliquem ex ipsis et super ipsos constituendum esse *maiolem, primam, praecessorem* (ηγουαενον) in regno Dei super terram. Ubi sermonem habet de suo abitu ab Apostolis, fere semper coniungitur quaestio inter ipsos, *a* quis eorum videretur esse maior? » Nullum ergo adhuc noverant iam tunc *u* maior *n* inter ipsos, aliquem tamen futurum pro tempore constituti regni Christi in terris omnino certum habebant. In responsionibus Domini ad has eorum quaestiones, explicite vel implicite haec tria solent contineri: nullum adhuc esse constitutum inter ipsos maior, seque solum esse eis ducem ac magistrum (ὁ καθηγητή); esse tamen sui loco non amplius cum eis visibiliter versaturi aliquem ex ipsis constituendum *maiolem ac praecessorem*; hoc a se impertiendum ministerium in exercenda potestate longe diversum esse ab ambitiosa dominatione principum inter gentes, ita ut praecessor licet potestate maior, humilitate tamen sentiat se omnium ministrum ad exem-

fl) Creatio collegii Apostolic! et posterius Apostolorum missio (Luc. VI. 12; Matth. X. δ.) facta est utraque post secundum pascha; missio septuaginta (Inorum (al. septuaginta) incidit in autumnum post tertium pascha.

pium ipsius Domini ac Magistri, videlicet exercendo potestatem maioris non ad suum commodum et ambitionem, sed ad fructum et salutem {communem in regno Dei. *a* Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse *maior* (pro eo tempore nempe, quando futurum sit, quod Christus dixit, Filius hominis secundum quod definitum est, vadit, ex qua praenuntiatione contentio ista exorta est). Dixit autem eis: reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent, benefici vocantur (1). Vos autem non sic; sed qui *maior* est in vobis, fiat sicut minor, et qui *praecessor* est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit an qui ministrat? nonne qui recumbit? ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat » Luc. XXII. 24. sqq.; cf. Matth. XX. 24-28., Marc. X. 42-45. *a* Dominus et Magister » (Io. XIII. 13. 14. 16.) se ipsum proponit exemplum quoad utrumque, primo quoad veram potestatem et auctoritatem; erit ergo in regno Dei aliquis inter Apostolos *maior* et *praecessor* (ὁ ἡγουαενο, ὁ ἡγετων) una potestate et auctoritate; quod etiam apparet ex oppositione inter *praecessorem* et *ministratorem*, *maiorem* et *minorem*, qui re ipsa maior et praecessor erit, sit non re et potestate sed modo eius exercitii *sicut* minor et ministrator; idem denique patet ex inducta comparatione *maioris* et *praecessoris* in regno Dei cum vera potestate eiusque perverso exercitio penes reges gentium. Ideo Dominus secundo se proponit exemplum quoad exercitium potestatis in regno suo. Eamdem tum promissionem tum monitionem de futuro unius primatu et de modo eius exercitii Dominus saepe repetit. « Si quis vult primus (πρωτο) esse, erit omnium novissimus et omnium minister », Marc. IX. 33. 34. Dixerat de vera

(1) Dominantur eorum *zupuaoc*: αὐτων penes Matth. et Marc. 11. er. dicitur κατακυριευουσ., quod verbum de tyrannide et abusu potestatis legitimae vel illegitimae usurpatur ut penes LXX in Ps. X. 10. de oppressione pauperum ζατκυσσα των πενητων, et Act. XIX. 15. daemonicus vel daemon vim inferens aliis dicitur νευαα το πονηρον ζχτακυριευσχν, et s. Petras vetat legitimos pastores dominari in Cleris ω κατακυριευοντε; των κληρων. Nomen vero ευεργετη honorificam reges vel superba ambitione sibi, vel servili adulatione eis alii attribuebant, ut Ptolemaeus ευεργετη ab aliis dictus κχκεργετη, et Cains Caligula tyrannus a Philone Iudaeo (Leg. ad Cai.) salutatus τωτηο zxi



auctoritate pharisaeorum et scribarum, quatenus *u* sederunt super cathedram Moysi, » ex hoc enim infert: « omnia/?zy/o quaecunque dixerint vobis (ὅσα σαυ εἰπωσιν ὑρ.ιν τηρειν), servate et facite; » tum vero reprobatur modum exercendi auctoritatem et opera eorum, alligant enim onera gravia et importabilia, omnia opera eorum faciunt, ut videantur ab hominibus, amant (φιλοῦσι ambitu et fastu) primos recubitus, primas cathedras, salutationes iu foro, et vocari ab hominibus Rabbi (ζαλειῖσθαι ραββι, ραββι)\ Inde transitum facit ad auctoritatem eiusque exercendi modum in regno suo. *u* Vos autem nolite vocari Rabbi, unus est enim Magister vester (ὑρ,ων ὁ καθηγητῆ ), omnes autem vos fratres estis; et patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim, pater vester qui in coelis est; nec vocemini magistri (κζΟηγηται), quia Magister (ὁ καΟηγητη ) vester unus est Christus. *maior est vestrum* (ὁ δε ρ,ειζων ὑαων), *erit minister vester* n Matth. XXIII. 8-11. cf. XVIII. 1; Luc. IX. 46. sq. Unus videlicet est Magister Christus dupliciter, unus Magister visibilis pro tempore, *quo* loquebatur, visibilis suae praesentiae in terris; unus Magister ad omne tempus futurum, *pro quo* potissimum loquebatur; quia omne authenticum magisterium et omnis potestas (το κκθηγεσ.ο.ν.κον) in regno eius non est nisi participatio ab ipso derivata, et quia hoc magisterium externum efficaciam non habet nisi ab eius magisterio interno; ideo *a* omnes erunt docibiles Dei » (θεοδιδακτοι of. Tract, de Trad. ed. 2. p. 107. sqq.). Sicut unus Magister Christus, ita unus pater in coelis, sensu nempe eminentiae (καθ' υπεροχήν). Hoc ipso non excluditur sed includitur, sicut in ordine naturali ita in regno Christi, paternitas et magisterium per participationem; ideo Dominus subiungit, « *qui maior est vestrum*, n hoc autem ipsum non est ad fastum pharisaicum *a* (nolite vocari Rabbi), n sed ad ministerium in salutem *u* (erit minister vester). »

6) Hunc *maiolem, primum, praecessorem* inter et super Apostolos Dominus in hoc stadio vitae suae mortalis et corporalis praesentiae nondum quidem constituit sed clare designavit Simonem, et rem ipsam istius primatus praeparavit eiusque rationem ac modum declaravit.

iiJ

fi

ei

LI

13

Haec praeparatio iam continetur in prima statim Simonis vocatione, qua nomen *Petri* seu *fundamenti* ei imposuit. - Intuitus eum Iesus dixit: tu es Simon filius Iona, tu vocaberis *Cephas*, quod interpretatur *Petrus* η Ioann. I. 42. In electione et iterum in missione duodecim Apostolorum hoc nomen *Petrus* expressius notatur et ratione huius nominis et rei significatae non solum ordine ubique primus ponitur, sed etiam diserte primus inter Apostolos esse declaratur, « Elegit duodecim ex eis, quos et Apostolos nominavit: *Simonem quem cognominavit Petrum*, et Andream fratrem eius, Iacobum, et Iohannem n etc. Luc. VI. 14. u Et convocatis duodecim discipulis suis dedit eis potestatem spiritum immundorum.... Duodecim autem Apostolorum nomina haec sunt. *Primus Simon qui dicitur Petrus*, et Andreas frater eius, Iacobus... Hos duodecim misit Iesus η Matth. X. 2. sqq.; Marc. III. 16. Factis ipsis eum Dominus tamquam *praecessorem* a reliquis Apostolis discrevit. Non solum inter eos, quos ad peculiarem confidentiam admisit, ubique primus notatur Petrus, sed fere cum ipso solo prae aliis divinus Magister agere videtur. In suscitatione filiae Iairi a non permisit intrare secum quemquam nisi Petrum, et Iacobum, et Iohannem; v in transfiguratione « assumpsit Petrum, et Iacobum, et Iohannem. . . Petrus vero et qui cum illo erant (Πέτρο; ζζ>. οἱ συν ζύτω) (1), gravati erant somno; et evigilantes viderunt maiestatem eius. . . ait Petrus ad Iesum, praeceptor bonum est, nos hic esse; « ad agoniam in monte Oliveti α assumit Petrum, et Iacobum, et Iohannem secum... et venit et invenit eos dormientes; et ait Petro: Simon dormis, non potuisti una hora vigilare mecum? vigilate et orate » Luc. VIII. 51; IX. 28. sqq.; Marc. XIV. 33. sqq. Inbet Petrum laxare retia ad capturam piscium, et cum ad prodigium « stupor circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant (τζντζ του συν αύτω)., similiter autem Iacobum et

(1) Hic modus connumerandi vel subnumerandi Apostolos reliquos Petro etiam alibi occurrens penes Evangelistas notatu sane dignus est. u. Dixit Petrus et qui cum illo erant " f ' χύτου) Luc. VIII. 45; e stans Petrus cum undecim - Π=τρθ συν το.; -vocza) A« t. II. 14j adhuc exprès-sins: - dicite discipulis eius et Petro Marc. XVI. 7.



Ioannem... Et ait ad Simonem Iesus: noli timere, ex hoc iam homines eris capiens » (1) Luc. V. 10. Cum Apostoli videntes Iesum super mare ambulans turbati dicunt, quia phantasma est; et respondens (ad verbum Domini, ego sum, nolite timere) Petrus dixit, Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas; et ipse ait, veni... et continuo Iesus extendens manum, apprehendit eum » Matth. XIV. 28. Cum colligentes didrachma (tributum templi) quaerunt: Magister vester non solvit didrachma? Filius Dei patrat miraculum, ut solvat pro se simul et Petro, tamquam una secum persona iuridica: tolle piscem et aperto ore eius invenies staterem, illam sumens da eis *pro me et te* » (2) Matth. XVII. 27.

Istae *maioris, primi, praecessoris* inter Apostolos velut primae delineationes non seorsum singulae sed in complexu omnes spectandae sunt, ut convergere tandem intelligantur ad explicitam istius primatus declarationem. Dominus enim Christus ultimo anno praedicationis suae, quando primum coepit discipulis praenuntiare suum discessum, passionem ac mortem (Marc. VIII. 31-33.), paucisque diebus antequam transfiguratione in monte suam glorificationem praemonstraret, atque iterum in ultima coena cum iam transiturus esset ex hoc mundo, disertis verbis et solemni testimonio promisit, se aedificaturum in uno Petro ex omnibus Apostolis electo Ecclesiam suam, tunc primum in Evangeliiis hoc nomine proprio appellatam; et in hac una civitate Dei ita aedificanda super petram, ut portae inferi nunquam praevalerent adversus eam, quoniam regnum est aeternum quod, genti alteri non dabitur, et Christus ipse regnabit in domo Iacob in aeternum, se eidem Petro daturum supremam potestatem clavium ad solvenda et liganda, quaecumque pertinent ad istud regnum coelorum visibile in terris, ita ut

(1) Speciali huic promissioni et vocationi nihil obest, quod alibi Petro simul cum fratre Andrea dixit: et faciam vos fieri piscatores hominum - Matth. IV. 19.

(2) Hunc modum loquendi et agendi Christi erga Petrum omnino memorabilem videntur etiam discipuli advertisse; nam continuo « in illa hora - inter eos orta est solita quaestio: « quis putas maior est in regno coelorum, r Matth. XVIII.

quemadmodum ipsum hoc regnum inchoatum in terris sic et potestas tamquam finem respiciat regnum consummatum in coelis, et pro eo vigorem ac valorem habeat (Matth. XVI. 18.). Ratio petrae et promissae potestatis clavium in regno coelorum explicatur secundum unum aliquod instinum elementum in ultima coena, dum Christus petra angularis et fundamentum ex se ipso promittit, se firmaturum fidem Petri ita, ut per Petrum confirmet fratres, totam scilicet fraternitatem, quae in mundo est confortanda in fide (1. Pet. V. 9.) seu totam Ecclesiam, sicque Ecclesia super petram fundata futura sit columna et firmamentum veritatis (Luc. XXII. 32.). Sed quoniam haec iam sunt declaratio intimae rationis regni Dei in terris, secundum formam suam monarchicam, de iis in explicatione ipsius constitutionis Ecclesiae alio loco nobis agendum est.

4°. Quando Christus supremam potestatem in civitate Dei, in regno coelorum promisit et praeparavit futuram in uno *primo et praecessore*, huncque designavit Simonem Petrum, sane non dissolvit collegium duodecim Apostolorum, sed sicut tunc unum erat sub Christo visibili capite, ita eius unitatem in omne tempus futurum, quamdiu persistet Ecclesia adversus quam portae inferi non praevalerunt, atque adeo etiam in successione apostolica sub uno capite visibili, sibi potestate vicaria et participata substituto, firmam et conservandam esse voluit. Hinc brevi tempore post promissionem supremam illius potestatis clavium factam uni Petro prae omnibus et super omnes Apostolos Christus declarat etiam potestatem sacri imperii in Ecclesia, quatenus illa constituenda sit in collegio apostolico non seorsum a Petro sed una cum Petro et in subordinatione sub ipso, ut haec subordinate iam continetur in promissione antea facta uni Petro (1).

Manifestum est, a Christo Domino Matth. XVIII. 17.18. designari potestatem iudicalem atque universim regiminis pro Ecclesia et in Ecclesia futuram; sed quaeritur, cuam

(1) Ex supputatione P. Patritii (in Evangel. T. II. chronicon) sermo ad Petrum Matth. XVI. factus est post tertium pascha vitae publicae Christi ante mediam aetatem, sermo ad Apostolos Matth. XVIII. eodem anno mense Septembri ineunte.



in Ecclesia sit illa potestas conferenda quodnam sit, (ut loqui solent) illius determinatum subiectum? Totus sermo Christi in illo capite Matthaei (coli. Marc. IX. 34. sqq.) dirigitur ad Apostolos, « In illa hora accesserunt discipuli (οἱ ἀζθηταί) ad Iesum » Matth.; « residens vocavit duodecim » (του δωδεκα) Marc. Huic collegio duodecim discipulorum in progressu sermonis inter alia denuntiat ea, de quibus nunc sumus solliciti, « Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum. . . si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos. . . Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. » In verbis illis, *dic Ecclesiae, si Ecclesiam non audierit* significatur indicium et iuridica sententia pronuntianda *ab Ecclesia*, ut pervicaces excludantur tamquam ethnici et publicani, in oppositione ad correctionem privatam ex officio charitatis, de quo in proxime antecedentibus agitur; sed huiusmodi potestas iuridica iam per se supponit non totam Ecclesiam ut subiectum potestatis, sed aliquos in Ecclesia, qui eo iure et officio sint insigniti idque non ab alio nisi ab auctore ipso Ecclesiae, qui hic loquitur et futuram in Ecclesia institutionem enunciat (1). Sed neque opus est hac

(1) Pericops haec Matth. XVIII. 15. sqq. in liturgia Romana feria III. hebdomadae III. quadragesimae, ante emendationem iussu s. Pii V. anno 1570 institutam, hoc praefixum habebat exordium: « In illo tempore respiciens Iesus in discipulos suos *dixit Simoni Petro*, si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum... dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, - cum iis quae sequuntur. Iuxta emendationem ex contextu (Matth. XVIII. 1. 21; Marc. IX. 34.) necessariam nunc legitur: - In illo tempore *dixit Iesus discipulis suis*, si peccaverit in te frater tuus *n* etc. Ex antiqua illa lectione Richeriani et Lanseniani argumentum pro sua haeresi petebant, contententes nomine Ecclesiae h. l. intelligi omnes fideles, hancque Ecclesiam omnium fidelium esse immediatum subiectum potestatis, ab ipsis derivandae in Petrum et Apostolos ac Petri et Apostolorum successores, ita ut qui praesunt in Ecclesia potestatem habeant sibi a fidelibus delegatam, ac proinde ipsimet a potestate quatenus in fidelibus residet, dependeant, et suam non nisi nomine et ex consensu saltem tacito fidelium exercere possint, cum reliquis consecrariis. Lectio

deductione, cum significatio nominis *Ecclesia* luculenter ipsis verbis in proximo contextu determinetur: amen ὡ'00 *robis* (Apostolis, το·.; <Ŵu ), quaecumque alligaveritis, solveritis super terram, erunt ligata, soluta in coelo. In antecedentibus ligans et solvens minus explicitè indicatur *Ecclesia*, hic explicitè ea potestas promittitur solis illis duodecim, *collegio nempe Apostolico in Ecclesia*, hoc est pro omnibus futuris temporibus quamdiu persistit Ecclesia; de potestate ergo agitur ordinaria et propaganda ad successionem collegii Apostolici, prouti hoc iam ab institutore Christo promissum erat ordinandum et disponendum cum Petro et sub Petro; de potestate enim extraordinaria quae fuerit in singulis Apostolis et sine successione non ex hoc et huic similibus locis sed aliunde constare debet. Porro verba Christi, *quaecumque alligaveritis, solveritis*, referuntur uti-

illa antiquior sine dubio indigebat emendatione; quoad ipsum dogma vero neque in illo modo legendi ulla esset difficultas. Oratio nempe Christi habita ad Apostolos continet in longe maxima parte praecepta privatorum officiorum et virtutis Christianae, in parte aliqua promissiones potestatis et munium publicorum in Ecclesia. Unde sicut in aliis huiusmodi Christi sermonibus praecepta illa spectant ad omnes, ad Petrum et Apostolos ceteros qui et ipsi sunt oves Christi, non minus quam ad alios fideles; promissa vero et instituta potestatis non nisi ad Apostolos et in primis pro eius munere ad Petrum atque ad eorum successores pertinent. Iam vero penes Matth. commate 17. nomine *Ecclesiae* subiectum iudiciariae potestatis, non antem subiectum privatorum officiorum exprimitur, atque adeo collegium Apostolicum et in illo ac super illud Petrus designatur, formaliter ut Petrus et Apostoli in suo quique ordine rectores et indices in Ecclesia futuri nuntiantur, non vero ut officiis privatis coram Deo obstringantur. Haec distinctio personae privatae et potestatis publicae in Ecclesia non minus valeret, etiamsi legeretur. « dixit Iesus Simoni Petro, »i peccaverit in te frater tuus corrige cum... si eos non audierit, dic Ecclesiae. \* Nani virtus correctionis fraternae etiam ipsi commendatur ut homini privato: provocatio vero iudicii Ecclesiae in Petro non aliud esset nisi provocatio et usus ecclesiasticae potestatis, cuius supremum subiectum est ipse. Ita Bellarminus supponens verba directa ad Petrum. u quae dicuntur ei, inquit, ut *uni er fidelibus*, certe omnibus fidelibus dicta intelliguntur. ut Matth. X\ III. si peccaverit in te frater tuus etc... Quaedam denique dicuntur illi *ratione officii pastoralis*. quae dicta intelliguntur omnibus successoribus - Gle Rom. Pont. 1. II. c. 12. in fine). Vide F. A. Zaccaria in opusculo: Dottrine false di Antonio Pereira p. 50. sq. et ibi citatum Bellarminum contra Sarpium.



que ad iudiciale etiam potestatem in proxime antecedentibus indicatam, eamque includunt, multo tamen latius patent ad regimen Ecclesiae, de quo suis locis dicemus.

Sicut igitur hierarchia sub uno capite visibili ad conservandam unitatem in ipso collegio Apostolico praeparata est a Christo Domino adhuc in mortali vita versante cum Apostolis, ut paulo ante vidimus, ita in eodem vitae mortalis stadio tota Ecclesia praedisposita est, ut ipsa una Ecclesia ad unitatis conservationem distinguatur secundum eam partem quae habet potestatem ligandi et solvendi, atque secundum eam partem quae non est subiectum sed objectum tantummodo et finis potestatis eiusdem, Ecclesia quae regit et Ecclesia quae regitur, non duae sed una Ecclesia in membra tamen iuribus et officiis inaequalia ab ipso institutore Christo distincta.

III. Oeconomia in praedicatione ipsius Christi Domini apparet manifesto ita disposita, ut quemadmodum hierarchica auctoritas et unitas in Ecclesia, de qua diximus, sic etiam universalitas, synagogae unius populi Iudaici abolitio et Ecclesiae omnium gentium substitutio praepararetur et praeformaretur in vita Christi mortali, non tamen consummaretur ante novi Testamenti sanctionem per mortem testatoris et eius sanguinis effusionem (cf. Luc. XXII. 20; Heb. IX. 15. sqq.). De ipsa personali sua praedicatione Dominus protestatur: « non sum missus nisi ad oves, quae perierunt, domus Israel » Matth. XV. 24. Simul vero de morte sua declarat: *a* animam meam pono pro ovibus meis, et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere ¶ Io. X. 16. Hanc universalitatem ovilis futuram praeformat rebus et factis vitae suae mortalis, in vocatione Magorum ad adorandum regem Iudaeorum, cuius stellam viderant in oriente, Matth. II; in commendatione, confirmatione, exauditione fidei tum Samaritanorum Ioann. IV; Luc. XVII. 18., tum mulieris Syrophoenissae Matth. XV. 28., tum centurionis rogantis sanationem servi Matth. VIII. 5. sqq., tum aliorum gentilium Io. XII. 20. 23. in primitiis confessionis gentilium (centurionis et qui cum eo erant) in ipsa iam morte Christi secundum symbolicam praedicationem, in linguis gentium orbis Romani et per eum

orbis universi, inscriptam vexillo crucis Matth. XXVII. 54'  
Luc. XXIII. 38.

Insuper pro tempore vitae suae mortalis tam verbis quam factis Dominus commendat sanctitatem templi Hierosolymitani. observationem legis ceremonialis, auctoritatem docentium legem Moysis in cathedra Moysis Matth. XXL 12.13; XXIII. 2. 3. 17-21. 23; XXVI. 18; Io. II. 16; V. 35; XVIII. 20. At simul annuntiat, instare iam tempus, quo templum Hierosolymitanum non amplius futurum sit sanctuarium publici cultus et sacrificiorum, domum veteris istius oeconomiae fore desertam, urbem cum templo ut sedem cultus Mosaici perpetua vastitate delendam, regnum Dei a ludaeis auferendum. Hinc declarat et promittit, particulari oeconomiae veteri substituendam esse novam univērsalem; publicus cultus enim non erit restrictus ad unum locum, sed ubique celebrandus; regnum Dei dabitur genti facienti fructus eius; evangelium praedicabitur in testimonium cunctis gentibus; multi venient ab oriente et occidente in regnum coelorum, filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores Matth. VIII. 11. 12; XXL 43; XXIII. 38; XXIV. 2. 14. 15; Io. IV. 21-24. Quam Christus verbis praenuntiat, specialibus factis praemonstrat synagogae transformationem. Legi iudiciali Mosaicae substituit misericordiam paratam poenitentibus in absolute adulterae Io. VIU. 8. 11. Eiectum a synagoga suscipit inter fideles in suam communionem Io. IX. 22. 35-38. (cf. XVI. 2.). Legem liturgicam et ceremoniam veterem ostendit sibi legislatori subiectam, mutabilem ac mutandam, quia ipse est « templo maior, » et « Dominus etiam Sabbathi » (Matth. XII. 6. 8.

Eadem ratione, qua ipsius Salvatoris praedicatio proxime directa ad oves domus Israel, simul praeformabat Ecclesiam univērsalem, Apostolorum quoque missio in priori hoc stadio adhuc particularis quidem erat, sed ita ut praeparationem contineret futurae post consummatam redemptionem missionis univērsalis ad stabiliendum regnum Dei in omnibus gentibus, « Hos duodecim misit Iesus, praeci- piens eis dicens: in viam gentium ne abieritis et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves quae perierunt domus Israel. Praedicatio haec iniungitur:



« appropinquavit regnum coelorum ; » quoniam vero hoc regnum erit non inter oves tantummodo domus Israel, sed inter gentes, et regnum erit Filii hominis promissum, mox subiungit Dominus: « ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus... amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis » Matth. X. 5-7. 18. 23. Hunc adventum Filii hominis ipsemet ubi praenuntiat suam mortem ad redemptionem mundi, declarat esse adventum regni sui. « Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo, » vel ut est penes Lucam, « donec videant regnum Dei, » et penes Marcum, « donec videant regnum Dei veniens in virtute » Matth. XVI. 28; Marc. VIII. 39; Luc. IX. 27. « Quia nonnulli ex discipulis usque adeo in corpore victuri erant, ut Ecclesiam Dei constructam conspicerent et contra mundi huius gloriam erectam, consolatoria promissione nunc dicitur: sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei » s. Gregor. M. in Evang. hom. 32. n. 6.

IV. Sicut forma externa auctoritatis et distinctionis hierarchicae visibilis unitatis et universalitatis Ecclesiae, qualis in omne futurum tempus constituenda erat, adhuc in promissione et praeparatione continebatur, ita etiam charismata interna et dona Spiritus Sancti sive singulis sive omnibus in unitate spectatis Apostolis in priori hoc stadio nondum erant in sua plenitudine collata, sed tamquam pretium sanguinis Christi adhuc promissa, et ante completam redemptionem non nisi ex parte ac velat per modum arrhae praelibata. « Nondum enim erat Spiritus datus (in plenitudine promissa), quia Iesus nondum erat glorificatus » Io. VII. 39. « Expedi vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos... Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo, cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem » ibid. XVI. 7. sqq. s. Gregorius Nazianzenus hanc per quosdam veluti gradus Spiritus Sancti donationem ita declarat, a Spiritus discipulis datus est trifariam et quantum capere poterant, secundum

tria tempora, antequam Christus per passionem glorificabisset, postquam fuit glorificatus per resurrectionem, post eius ascensionem ad coelos, n Prima donatio, ut Gregorius ibi prosequitur, erat occultior ad morborum et daemonum expulsionem (Matth. X.), altera expressior per insufflationem ad remittenda et retinenda peccata (Io. XX.), tertia quodammodo substantialis (οὐσιωδῶ ὡς ἂν εἴποι τι) visibili nempe specie in linguis igneis die pentecostes, et cum effectu plenitudinis donorum (Gregor. Xaz. orat. 41. al. 44. num. 11.).

In oeconomia itaque redemptionis Christus Salvator ipsam mundi sanctificationem ac proinde Ecclesiae suae, quae est mundus sanctificatus, plenam constitutionem primum promeruit pretio sanguinis sui; atque ideo eam reservavit operae Spiritus Sancti, cuius missio tamquam causa proxima ad plenam illam aedificationem Ecclesiae hoc ipso intelligitur effectus principalis meritorum Christi continens in se tamquam in principio omnes alios effectus pro regno gratiae et veritatis, a Sicut Salvator veniens factus est impletio legis et prophetarum, ita impletio Evangelii est Spiritus Sanctus. Christus adveniens stabilivit, quae sunt a Patre, dicta nempe in lege et prophetis; ideo Paulus ait, plenitudo legis Christus. Spiritus Sanctus veniens adimplevit, quae sunt Evangelii. Quaecumque sunt in lege, Christus implet; quaecumque sunt in Christi doctrina, Spiritus implet... Adimplet Filius quae sunt Patris, et a se ipso non loquitur; adimplet Spiritus, quae sunt Filii, et a se ipso non loquitur » (1) Serm. de Spir. S. inter Opp. Chrys. ed. Maurin. T. III. p. 808. 809. Mundi expiatio antecedit in opere misericordiae per mortem Filii Dei incarnati, mundi redempti sanctificatio per plenam constitutionem Ecclesiae in omnibus gratiis ac donis consequitur ex illa morte ut

1) —5~ερ ὁ σωτηρ ἐλθων ἐγενετο πληρωα νορευ καε προφητῶν, οὕτω “ληρωια του εὐαγγελου το πνευαα. Ὁ Χριστο ἐβε^αεωσε τα παρα του πατρο τα εν τω νοειω εἰρηαενα καε προφηταε δεα τούτο λεγεε Παύλο , πληρωαα νοαου Χριστο . Το πνευαα το ἀγεον ἐλθον ἐπληρω ε τα του εὐαγγελου. •Οσα εσεν εν τω νοαω ὁ Χρ-στο πληροί- ὅσα ἐσεν εν τη του Χρε του ὀεοασκαλ·α. το πνευαα πληροΤ ἈναπληρΛ ὁ υἱο τα του πατρο . καε ἰο' ἐαυτου ου λάλε· αναπληρο" το πνευαα τα του νεου, XXζ Ο' Χ.Χ.Υ. ,I



## 10)

opus dilectionis atque ideo appropriatum Spiritui sanctitatis et sanctificationis, « Cur non venit Spiritus, antequam ille abierat? Quia nondum maledictum sublatum erat, nondum peccatum solutum, sed omnes adhuc erant poenae obnoxii, propterea ille non venit. Poterat ipse (Christus) haec operari, sed illum (Spiritum) sinit operari prodigia, ut discant eius dignitatem... Idcirco ipse incarnatus est, *Spiritui operationem reservans* n (1). Chrys. in Ioan. hom. 78. al. 77. n. 3.

Ab ipso itaque Christo capite in vita sua adhuc mortali et ante effusum sanguinem tamquam pretium acquisitionis (Act. XX. 28.), videmus Ecclesiae institutionem inchoatam et praeformatam, tum secundum formam eius externam et conspicuam tum secundum formam internam et spiritualem, sive ut Paulus loquitur (Eph. IV. 4.), secundum unitatem corporis et spiritus. Forma quidem visibilis constituitur a Christo ipso in auctoritate visibili (qua nempe viventes homines fungantur) ex una parte, hocque ipso obedientia fidei (quae in fide fundatur et fide exercetur) erga eandem auctoritatem ex parte altera, quibus totum corpus ac societas fidelium contineatur ac regatur; illi enim ipsi qui auctoritate sibi a Christo communicata funguntur, etiam inter se in unum corpus constituti vicissim erga superiorem auctoritatem obedientia fidei obstringuntur. Versans adhuc visibilis in terris ipse Christus totum corpus dōcentium et obedientium unus dux et magister (εἰ ὁ καθηγητὴ) docet, regit, et continet sua suprema auctoritate, hancque totam in se concludit, Apostolis vero nondum nisi ad fines particulares et velut per intervalla communicat. Verum his ipsis factis communicationis et disertis promissionibus Apostolos totamque Ecclesiam praeparat ac praeformat pleniori ac perenni suae auctoritatis communicationi, qua sibi non amplius visibiliter conversaturo cum hominibus substituat tum unum vicarium in suprema potestate, tum in potestate hierarchice disposita Apostolos omnes et in unitate coniunctum collegium Apostolicum. Hac autem substitutione et communicatione fit, ut unus magister Christus per auctoritatem

it!

(1; Δ.α τούτο και αυτό έσαοζωθη, τω πνευαατι την ενεργειαν.

visibilem in suis legatis institutam (2. Cor. V. 20.) ipse-  
met perenniter doceat, regat, et contineat Ecclesiam suam.  
Ad hanc plenam Ecclesiae Christi institutionem, cuius prae-  
parationem hactenus consideravimus, ipso ordine doctrinae  
nunc deducimur.

## CAPUT II.

INSTITUTIO ET CONSTITUTIO ECCLESIAE VISIBILIS  
A CHRISTO COMPLETA  
IN SUIS EPIPHANIIS ANTE ASCENSUM IN COELUM.

Iam consummata per cruentum sacrificium redemptione mundi et pretio acquisitionis Ecclesiae persoluto, divinus Salvator *a* usque in diem, qua praecipiens Apostolis per Spiritum Sanctum quos elegit, assumptus est *r* (1), eisdem *u* praebuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei *n* Act. I. 3. Frequenter igitur Dominus eis praesens locutus est non solum ad demonstrationem suae resurrectionis sed ut compleret institutionem et constitutionem regni Dei in terris; hanc enim tum frequentiam apparitionum tum scopum earumdem verba clare indicant. *u* Diebus quadraginta cum his (discipulis) commoratus aperuit corda eorum. .. ordinavitque eos et instruxit ad praedicationem dogmatis ac doctrinae suae, *disponeris Testamenti novi solemncm disciplinam* *n* Lactant, de mort, persecui. 1.1. c. 2. c Non ergo ii dies qui inter resurrectionem

(1) Α/jz η εντειλα^νο τοι 'Αποστολοι; δια ζνευιχατο άγιου, ου; Σ ζλε ατο, ζνζλτφύτ. Nimirum usque in diem assumptionis per triennium, docuerat et ad munus suum praeparaverat Apostolos, speciatim in eo illos constituit post resurrectionem suam per dies quadraginta, hancque suam doctrinam, sua mandata et muneris potestatem eis tradidit per Spiritum Sanctum primo minus plene deinde plenius communicatum.



Domini ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu, *sed magna in his confirmata sacramenta, magna sunt recclata mysteria*» s. Leo serin. 1. de Ascens. Quamvis autem sicut de ceteris Christi rebus et verbis, ita etiam de his apparitionibus ac institutionibus per quadraginta illos dies non omnia scripta sint (Io. XX. 30 ; XXL 25) ; ea tamen quae pertinent ad institutionem et constitutionem Ecclesiae, de qua nunc agimus, quoad rem ipsam Evangeliiis scriptis ita comprehenduntur, ut non tam ad eorum completionem aut ampliacionem, quam ad securam et distinctam intelligentiam traditio catholica necessaria esse videatur. Apparitiones Domini per illos dies *collegio Apostolic*) licet non semper pleno factae in Evangeliiis describuntur quinque, prima ipso vespere diei resurrectionis, altera post dies octo, utraque Hierosolymis Luc. XXIV. 36-43; Io. XX. 19-29. cf. 1. Cor. XV. 5; tertia Io. XXI. et quarta Matth. XXVIII. 16-20. in Galilaea (1); quinta denique Hierosolymis, quando Dominus in coelum ascendit Marc. XVI. 1-4-19 ; Luc. XXIV. 44-51 ; Act. I. 4-9. cf. I. Cor. XV. 7. Ex hisce epiphaniis secunda in Evangeliiis refertur tantummodo, quatenus pertinebat ad veritatem resurrectionis demonstrandam, facta in gratiam Thomae, atque velut pars aut supplementum primae spectari potest ; in reliquis quatuor Christus « loquens de regno Dei, » perfecit eam, quam diximus, regni institutionem et constitutionem. Considerabimus ergo eas eo ipso ordine, quo factae sunt; neque enim alium accomodatorem ordinem expositionis reperire est praeter eum, quam sapientia incarnata in rebus ipsis et in doctrina rebus connexa disposuit.

ii.

ki:

(1) Hunc esse ordinem inter istas duas apparitiones, colligitur ex Io. XXL 40.

## THESIS IX.

### *De munere Apostolorum in prima Christi apparitione enuntiato et instituto.*

- Sicut Christus a Patre, ita Apostoli a Christo missi sunt Io. XX. 21; quapropter haec missio Apostolorum intelligenda est in complexu » continere munus et potestatem ad Ecclesiam nomine ac vice Christi visibiliter regendam, docendam, sanctificandam.» .9

Consideranda nobis est vis propria magnae Missionis Apostolorum primum generalius, quatenus Christus ipse eam declarat ex sua missione a Patre; deinde ex ipsa hac comparatione missionis principalis in Christo cum missione derivata in Apostolis intelligere conabimur specialius munera in hac missione inclusa et per eam in Apostolis instituta

I. Manifestum in primis est, verba Domini non theoreticam solum doctrinam vel promissionem continere, sed legiferam et efficacem institutionem; adeoque id quod significant. actu conferunt et efficiunt.

1. Propositiones Io. XX. 21-23. duae sunt, una praemissa instar *principii*, « sicut misit me Pater, et ego mitto vos; » altera per modum *consequentis*, quae in illo principio implicite contenta ex eo deducitur, et ponitur explicite: « accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. » Atqui propositio haec *consequens* evidenter practica est continens institutionem legiferam et conferens potestatem; ergo practica est etiam propositio praemissa, in qua illa ut in principio continetur, ex qua instar consequentis deducitur. Nimirum actu et ipso effectu confertur Apostolis *missio* a Christo, sicut ipse missus est a Patre.

2. Missio haec Apostolorum a Christo facta est ad similitudinem missionis Christi ipsius a Patre: « sicut misit me Pater, et ego mitto vos. » In missione, adeoque etiam in similitudine missionis hic expressa a Christo, tria con-



sideranda sunt, relatio et communicatio mittentis ad missum, est enim missio (ut ait s. Thomas 1. q. 43. a. 1.) «quaedam processio;» tum id quod communicatur, auctoritas scilicet et potestas missi derivata a mittente; finis denique ac terminus missionis seu opus, ad quod mittitur. Exprimit igitur Dominus in primis similitudinem in habitudine communicationis: sicut *Pater me*, ita *ego vos* mitto; a Patre in me, a me in vos missio et communicatio derivatur. «Hic verba mediatoris agnoscimus; *mediam* quippe se ostendit dicendo: *ille me, et ego vos*» August, in Io. tract. 121. Porro ex hac ipsa *mediatione*, quod a Patre Christus, vicissim a Christo Apostoli mittuntur, non quidem identitas propter diversitatem infinitam subiecti, sed similitudo necessario intelligitur in re ipsa missionis, *in potestate* inquam, quae communicatur mittendo, et *in opere* ad quod mittuntur. Nisi hoc ita esset, verbum *mittere* in priori inciso, *Pater mittit*, et in posteriori, *ego mitto*, significatione ex toto diversa seu *aequivoca* sumendum foret, quod iam per se absurdum est, et excluditur ipsa comparatione, qua diserte exprimitur similitudo seu analogia in ipsa *missione*, in opere (ut diximus) ad quod mittuntur, et hoc ipso etiam in potestate necessaria ad opus missionis: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* «Cum igitur iam omnia sublata sint impedimenta, inquit, et victoriam splendidam statuerim, et omnia sint restaurata (per mortem crucis); inde tandem ait; sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Hic eorum animos erigit, et fide eos dignissimos exhibet, *siquidem ipsius opus suscepturi'erant*; nec iam invocatio Patris est, *sed sua propria auctoritate dat eis potestatem*» (1) Chrys. in Io. liom. 86.

3°. Ex his ipsis constat, propositionem qua *missio* impertitur Apostolis, esse universalem, nec posse restringi ad illam particularem dumtaxat potestatem remittendi vel retinendi peccata, quae in consequenti enuntiatur et confertur. Neque enim dictum est, ego mitto vos, ut quorum

(1) Ἐνταυθα ἐπαφει αὐτῶν τὴν ψυχὴν καὶ δεικνυσι πολὺ τὸ αξιοπιστόν, «γε αελλοιεν αὐτοῦ τὸ ἔργον ἀναδεχέσθαι καὶ οὐχέ

τὸν πατέρα ἢ ἀλλ' αὐθεντία δίδωσι αὐτοὶ τὴν

Franzel in. *De Ecclesia, Christi*

remiseritis peccata, remittantur eis; sed longe alius est sermo Christi redemptoris et fundatoris Ecclesiae. Duae sunt in sermone partes distinctae, quarum unaquaeque sensum completum continens per se consistit, quod quidem Evangelista eo clarius ostendit unius sententiae ab altera divisione, « Dixit ergo eis iterum, pax vobis; sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis, accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. » In priori illa sententia potestas et opus missionis Apostolorum non alio modo determinatur nisi secundum missionem ipsius Christi a Patre. Atqui haec sane generalis est ad salutem generis humani, ergo etiam missio Apostolorum, quam Christus suae missioni respondere et similem esse dicit, debet intelligi generalis, quae potestatem particularem remissionis peccatorum in altera parte institutam comprehendit quidem implicitam, sed non hanc solam, nec ad hanc restricta est. Si cui sophisma obscuritatem iniiceret, quod ex nostro ratiocinio Apostoli etiam ad redemptionem mundi, ad meritum et largitionem gratiarum missi viderentur, patet responsio. Redemptio et merita Christi supponantur completa, et sunt fundamentum ipsius missionis Apostolorum, quae pertinet ad applicationem redemptionis ac meritorum Christi (vide superius doctrinam Chrysostomi), ad applicationem nempe meritorum et gratiarum ministerialem, adeoque modis ac mediis a Christo institutis et totam vim suam mutuantibus ab ipso Christo Redemptore; neque enim aequalis sed similis dicitur missio Apostolorum. Sed haec paulo post distinctius explicabuntur.

jqjj|q

4 . Subiectum missionis sunt omnes et soli illi, qui pertinebant et quatenus pertinebant ad collegium Apostolicum, et (quod de potestate perenniter in regno Christi exercenda ideoque ordinaria semper valet) ad legitimos eiusdem collegii successores. Ioannes distincte narrat (XX. 19. 24.) apparitionem factam esse, « ubi erant *discipuli congregati* » (ο. συντ, γαενοι), sed Thomas « *unus ex duodecim* » (ει εκ των δωδεκχ) non erat cum eis, unus scilicet ex collegio Apostolorum, quamvis tunc exciso iam proditore non duodecim sed undecim essent numero (th. VIII.) Lucas



(XXIV. 33.) nominat *a congregatos undecim* et eos. qui cum illis erant » (συνΟροίσμ-ενου του ένδεκα και του αύτοι). Quamvis alii velut concomitante! fuerint apparitioni praesentes, ipse tamen modus dicendi demonstrat, collegium Apostolorum directe spectari (οί ένδεκα και οί συν αύτοι) in epiphania; verba autem quibus missio, sicut ipse Christus missus est, enuntiatur, et potestas in regno Dei per missionem confertur, non posse pertinere ad alios quam ad « congregatos undecim, » constat ex ipso fine electionis Apostolorum et instituti collegii Apostolici, ut sit auctoritas missionis seu apostolatus a Christo derivata ex una parte, et obedientia fidei ex parte altera, de qua re in superiori thesi satis dictum est. Paulus Iesum appellat *u* Apostolum et Pontificem confessionis nostrae » (Heb. III. 1.), et quemadmodum penes Ioannem Christus missionem impertit sicut ipse missus est a Patre, ita Paulus declarat apostolatum seu missionum (άπο του-ην) eiusque potestatem acceptam per Iesum Christum: *u* per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius » (1) Rom. I. 5. Porro hanc missionem pertinere ad omnes, qui sunt et quatenus sunt in collegio Apostolico et ad eorum successionem in communi spectatam, ex eo etiam patet, quod verba Christi certe non minus pro Thoma tunc absente valent quam pro reliquis praesentibus, referuntur enim ad illos *undecim* (προ του ένδεκα). Explicat id lucide s. Cyrillus Alexandrinus, *u* Quomodo ergo Thomas, non immerito quaeret aliquis, si vere tunc aberat, Spiritus Sancti factus est particeps, cum discipulis Dominus apparuit, et insufflavit dicens: accipite Spiritum Sanctum? Respondemus, Spiritus Sancti virtutem in omnes, qui gratiam (Apostolatus) acceperunt, permanasse, et largientis scopum adimplevisse. Dedit autem Christus *non aliquibus seorsum, sed omnibus in communi (in uno toto spectatis} discipulis*. Quapropter eum (Spiritum) accipiunt, tametsi aliqui non aderant, dantis liberalitate non ad solos praesentes restricta, sed *in totum sanctorum Apostolorum*

*chorum* permeante » (1) Cyrill. Alex. in Io. 1. XII. T. IV. p. 1100. Eundem in sensum ratiocinatur Augustinus (ad Hesycli. ep. 199. n. 10.), qui in re alia demonstrans verba a Christo Apostolis dicta etiam ad Paulum pertinere, banc affert rationem: i. quamvis enim nondum inter eos erat, quando eis hoc dictum est, *ad eorum tamen collegium atque societatem etiam ipsum non ambigimus pertinere.'*

II. Quoniam *missio* Apostolis confertur a Christo, *sicut ipse missus est* a Patre, hoc ipso iubemur primum considerare proprias rationes huius missionis Christi a Patre, atque deinde in his constituere normam, ut missionem Apostolorum a Christo illi similem plenius intelligamus.

Γ. Cum *missio* sit *processio* a mittente ad aliquem *terminum*, in missione Christi utrumque considerandum est.

. a) *Missio* supponit et includit originem a Patre mittente (vide Tract, de Trinitate). - A me ipso non veni, sed est verus, qui misit me... ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit » Io. VII. 28. Quoniam vero haec *processio* est Filii a Patre per generationem, et proinde Filius consubstantialis est et unum cum Patre secundum naturam divinam; ideo omnia quae sunt Patris mittentis, sunt Filii missi sed ab illo huic communicata, *a* Nunc cognoverunt, quia omnia quae dedisti mihi, abs te sunt.... et cognoverunt vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti... et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt » ibid. XVII. 7-10. Ergo etiam *doctrina, opera, auctoritas, et potestas*, in misso sunt a mittente. « Mea doctrina non est mea, *sed eius qui misit me* » ibid. VII. 16. *a* qui verbum meum audit, *et credit ei, qui misit me*, habet vitam aeternam... *non possum ego a me facere quidquam; sicut audio, si iudico...* *Opera quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea.* ipsa opera testimonium perhibent de me, quia Pater misit me... *Et verbum eius non habetis in vobis manens, quia, quem misit ille, huic vos non creditis* » ibid. V. 24-38.

6) Ut terminus ad quem mittitur, spectanda sunt *munera* in missione Filii. Haec licet propria Filio secundum

1) Διδωζε os ó Χριστο; ού τιτιν άνα jxspο; ολο»; -Gt; μαθητή:.....  
τη; του «ζοοντο άπαντα διηχουση; το? των άγιων ' Αποστολω;  
7050V.



humanitatem, in qua formaliter missus intelligitur, habent tamen modum excellentiae incommunicabilis ex divinitate personae, quae in assumpta natura mittitur, et per hanc naturam hisce muneribus fungitur. Munera haec simulque excellentia eorundem in Filio misso universim sunt a) *potestas imperii*: « dedit ei potestatem indicium facere, quia Filius hominis est; » *u* dedit ei potestatem omnis carnis; » *u* data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; » *u* donavit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum; » β) *auctoritas magisterii*: « magister vester unus est Christus; » « docens eos, sicut potestatem habens; » « novissime locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum; » *u* unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit; « quod vidimus, testamur *n* (Io. III. 11.); « creditis in Deum, et in me credite; » « erunt omnes docibiles Dei; » γ) *sanctificatio sacerdotii*, in quo se ipsum obtulit hostiam, proprioque merito infinito et propria potestate est redemptor et sanctificator: « non semet ipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te; » « fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi; » « ingrediens mundum dicit, hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi... tunc dixi, ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam... in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel; *n a* qui per Spiritum Sanctum semet ipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis: » « una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos; » *c* et pro eis ego sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. » δ) Munera haec Filii missi a Patre simul sumpta comprehenduntur, et in sua excellentia intelliguntur, quatenus imperio, magisterio et sacerdotio suo constituit Ecclesiam *sibi* et Ecclesiam *suam*, *u* animam pono *pro ovibus meis, oves meae* vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, *et ego vitam aeternam do eis; n u* aedificabo *Ecclesiam meam; n u* dilexit Ecclesiam, et semet ipsum tradidit pro ea... ut exhiberet *ipse, sibi* gloriosam Ecclesiam; *n* « Ecclesiam Dei, quam (*sibi*)

*acquisirit* sanguine suo v (ην περιεπτονησατο δ'κ του ιδι > αιαατο ); ..*Christus caput est Ecclesiae, ipse salvator corporis eius* » (σωτηρ του σώματος ). ■\

c) Ex his etiam patet *finis* missionis Iesu Christi. *Finis proximus* et opus Filii Dei missi in mundum est redemptio, sanctificatio et salvatio in regno et per regnum Dei constituendum in terris. « Oportet me evangelizare regnum Dei, quia ad hoc missus sum » Luc. VI. 43. « Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam aeternam ; haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum... *opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam* » Io. XVII. 2. sqq.

Demum *finis ultimus* missionis est glorificatio Patris in Filio, et Filii a Patre, a Lt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem, qui misit illum» Io. V. 23. «Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.....ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam; et nunc clarifica me tu Pater apud te ipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te » ibid. XVII. 1. sqq.

2°. Iam vero huic praecellenti missioni Christi a Patre respondet, ex disertis verbis ipsius, missio Apostolorum a Christo, ut superius ostensum est, non quidem secundum aequalitatem in essentia, sed secundum similitudinem per participationem: « *sicut* misit me Pater, *et ego mitto vos.*»

a) In primis ergo missio Apostolorum necessario aliquam originem et processionem dicit a Christo mittente, verum pro differentia subiecti non per communicationem naturae sicut inter Patrem et filium, sed sicut inter supremum Dominum eiusque legatum per participationem potestatis, et communicationem donorum quae ad eius administrationem requiruntur. Eo fere modo quo Filius unigenitus est per generationem in unitate naturae, et tamen primogenitus inter multos fratres, qui filii sunt adoptionis « consortes divinae naturae, » et per donum gratiae supernaturaliter ei assimilati; «voluntarie enim (ζουληθει non naturaliter) nos genuit verbo veritatis. » |æ |

6) Hanc processionem Apostolorum a Christo, et assi-



milationem ad missionem Christi a Patre nunc consideramus in communicatione sacri imperii, magisterii, sacerdotii, quae vidimus in Filio misso esse originaliter et praecellenter, in missis Apostolis snnt derivata et ministerialiter. Ducem habemus, in re aliunde certa, s. Doctorem Ecclesiae Cyrillum. « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. His verbis I. N. Iesus Christus ordinavit orbis *duces* et *doctores*, et *divinorum mysteriorum suorum dispensatores* (1), quos etiam luminarium instar lucere iam et illuminare iubet non solum Iudaeorum regionem.... sed omnem potius quae sub sole est.... Columnae et firmamentum veritatis facti sunt beati discipuli, quos enim misisse se dicit, sicut Pater ipsum misit, simul quidem Apostolatus dignitatem ostendens et traditae eis potestatis incomparabilem gloriam, una vero, ut par erat, Apostolicorum munerum viam demonstrans. Nam si suos ipse discipulos ita mittendos esse censuit, sicut ipsum Pater misit, quomodo necesse non erat, ut qui similium imitatores esse deberent, dispicerent, ad quid perficiendum Pater Filium miserit?... Postquam magna apostolatus dignitate eos claros effecit, et sicut modo dixi, divinorum altarum ministros ac sacerdotes constituit (2), statim eos sanctificat manifesto sufflatu proprium suum spiritum eis largiens » Cyrill. Alex, in h. 1. T. IV. p. 1093-1095.

a) Quoniam missio est tamquam legatorum pro Christo in regno et ad regnum Dei, propterea sicut *potestas imperii* a Patre communicatur Filio secundum humanitatem.

(1) Κεχειρότονηζε μεν εν τουτοι ο κύριο ήμων, Ιησού ο Χριστο του τη οικουμένη ζαδηγητα τε ζαι διδα χαλου ζαι των θειων αυτου μυστηριων οιοχομου .

(2) Λαμπρού ά-οφηνα τω μεγαλω τη άπο τολη άξιωματι, ζα. των θειων θυσιαστήριων, ζαΟαπερ εφην άρτιω , οιοχομου τε ζαι ιερουργού αναδειξα .  
Si in sacerdotio spectatur sola potestas sacrificandi, cum ea in ultima coëna Apostolis iam collata, et pro eorum in sacerdotio successoribus instituta fuerit (Cone. Trid. sess. 22. cap. 1. can. 2.), verba generalia missionis, sicut ipse Christus missus est a Patre, non nisi *confirmationem* istius potestatis includere censi possunt; quatenus tamen sacerdotium latius sumitur pro potestate liturgica in ordinando externo cultu divino (cf. Cone. Trid. sess. 7. de Sacrament, can. 10. 13: sess. 22. cap. 5.), merito dicere potuit Cyrillus, institutionem sacerdotii in verbis *missionis Apostolorum* implicite contineri.

in ipsa missione, sed propter divinitatem personae in eo est *principalis* ut in fonte : ita Christus ipsa missione hanc suam potestatem communicat, verum ita, ut manens in ipso *principaliter* in Apostolos tamquam eius legatos derivetur participata et ministerialis. Christus suam propriam potestatem imperii in regno suo exercet et applicat per legatos Apostolos; Apostoli missi nullam habent potestatem nisi exercendam vice ac nomine Christi mittentis.

Sanctus et verus, qui accepit a Patre et habet elavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit (Apoc. III. 7. cf. II. 28.); is pro hoc suo regno David promisit Apostolis: «si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus : amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. » Nunc autem actu eos mittit pro regno suo super terram, sicut ipse missus est a Patre ; unde profecto missio haec ab eo, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit, continet illam promissam potestatem (et in potestate officium) quaecumque alligandi et solvendi in Ecclesia (pertinentia ad propriam rationem et finem Ecclesiae) super terram sententiis iudicialibus, quae ratae habeantur in coelo. Hinc luculentius patet, quomodo Dominus ex generali illa missione inferat ac determinet potestatem specialem indicii ad remittenda vel retinenda peccata ; vicissim vero haec illatio potestatis specialis indiciorum confirmat, quod diximus de comprehensione iurisdictionis (seu sacri imperii) generalis in missione Apostolorum a Christo analoga missioni Christi a Patre. Quando igitur Apostolus protestatur, exercitium suae iurisdictionis valere in nomine ac virtute Domini nostri Iesu Christi, hoc ipsum significat, virtutem scilicet esse participatam ex missione Christi et exercendam vice ac nomine Christi. « Indicavi ut praesens. ... in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu (1), *cum virtute Domini nostri Iesu tradere*

(1) Non ipsi congregati indicant, sed Paulus absens corpore praesens autem spiritu et efficacia virtutis sibi communicatae a Christo mittente indicat in ipsis et ille ipsis congregatis. Confer quae superius (th. VIII. η. II. 4.) diximus de indicio *Ecclesiae*.



huiusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit» 1. Cor. V. 4. *a* Si venero non parcam; an experimentum quaeritis eius, *gui in me loquitur Christus?* *n* 2. Corinth. XIII. 3.

3) Missio in *regno veritatis*, ad cuius testimonium Iesus venit in mundum (Io. XVIII. 37.), includit communicationem *magisterii* a Christo mittente in Apostolos missos, sicut doctrina in magisterio ipsius Christi est doctrina Patris mittentis. At personae Verbi secundum divinitatem communicatur sapientia generando, secundum humanitatem communicatur ipsa missione, quae est assumptio hypostatica humanae naturae; Apostolis vero Christus mittens communicat suam doctrinam verbo externo, multoque magis per Spiritum Sanctum illuminatione interna. Ex ipsa porro ratione *missionis* patet, istam communicationem doctrinae non esse personalem dumtaxat pro ipsis Apostolis, sed constituere formam internam publici muneris apostolatus ad docendas omnes gentes. Quare Apostolorum hoc magisterium sicut totum exercetur auctoritate et nomine Christi mittentis, ita Christus mittendo ipse docet per suos legatos, atque hac ratione manet *u* magister unus Christus, » et in Ecclesia « omnes sunt docibiles Dei. *n* Missus a Patre de se ait : *a* mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me; » missi a Christo protestantur: *u* pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo » 2. Cor. V. 20.

Eadem est ratio *signorum* missionis. Sicut in magisterio Filii missi a Patre includitur demonstratio et confirmatio auctoritatis divinae per opera divina; ita eadem demonstratio pertinet ad missionem Apostolorum. Ille ait: t opera quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea; ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me » Io. V. 36. Apostoli dicunt: « non audeo aliquid loqui eorum, quae per me non efficit Christus in obedientiam gentium (*εἰ ὑπακοήν ἔθνων*), verbo et factis, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti *n* Rom. XV. 18. Sed Christus ea facit ut Filius et virtus Patris, adeoque virtute sua: Apostoli operantur ut legati tantummodo, non sua sed mittentis virtute, *u* Nos

quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? in fide nominis eius hunc, quem vos vidistis et nostis confirmavit nomen eius *n* Act. III. 12. 16.

γ) Missio in *regno sanctificationis* et in ministerio novi testamenti sine dubio comprehendit *sacerdotium*; neque enim sanctificatio perficitur sine sacerdotio (Heb. IX. 22. 23.), et testamentum divinum inter homines essentialem cum sacerdotio connexionem habet (ibid. VII-12; VIII. 6.) Christus sacerdos magnus et conditor novi testamenti missus est a Patre, ut salvaret mundum redemptione aeterna per unum sacrificium cruentum; «una enim oblatione consummavit (τετελειωκεν) in sempiternum sanctificatos » (Heb. X-14.); pariterque ut hanc redemptionem semel completam (ἐφα-πα ) ipse sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech iugiter in effectum deduceret per suum perenne sacrificium incruentum et per sua sacramenta in Ecclesia suo sanguine sacrificii sibi acquisita, et visibilibus institutis ac invisibilibus donis Spiritus Sancti a se fundata.

Haec redemptionis applicatio et membrorum Ecclesiae sanctificatio commissa est Apostolis in sua missione tamquam ministris magni et aeterni sacerdotis, licet adhuc in confuso et modo ex aliis Christi mandatis distinctius determinato vel determinando. Si enim ipsorum missio nihil pertineret ad has praecipuas et intimas rationes missionis Christi a Patre, quomodo quaeso integra maneret significatio verbi et institutionis Christi Salvatoris : « *sicut misit me Pater, et ego mitto cos?* » *'fi'*

Missi itaque sunt, ut sacrificium redemptionis a magno sacerdote sine ministro in cruce oblatum, ministerio suo iugiter applicarent per sacrificium incruentum (explicite iam institutum ipsisque mandatum in ultima coena) et per sacramenta (a Christo instituta vel instituenda); verum per sacrificium et sacramenta non sua sed Christi, quoniam sicut ab ipso ex meritis sui sacrificii cruenti sunt instituta, ita ab ipso principaliter sacrificium incruentum offertur et sacramenta peraguntur ministerio legatorum suorum (Tract. de Sacram. in genere th. X.). Sunt missi ad sanctificandam Ecclesiam non suam sed Christi Pvedemptoris et fundatoris, idque potestate quae in Christo principalis ad ipsos per



missionem derivatur participata. Potestas ergo haec sacerdotii in eis est ministerialis, per quam magnus sacerdos suum aeternum sacerdotium iugiter in sua Ecclesia exsequitur. *a* Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » 1. Cor. IV. 1. « Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?.....Quid igitur est Apollo, quid vero Paulus? ministri eius cui credidistis» ibid. I. 13; III. 5. «Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum; et dedit nobis ministerium reconciliationis » 2. Cor. V. 18. 19.

c) Nunc facile apparet, quomodo sacrum imperium, magisterium, et sacerdotium ex ipsa ratione missionis sit totum ad laudem et gloriam mittentis. Quemadmodum Filius missus (in humanitate sua) clarificatio est Patris mittentis, isque de se ipso testatus est: « qui quaerit gloriam eius, qui misit illum, hic verax est» Io. VII. 17; ita de Apostolis ait: «verba quae dedisti mihi, dedi eis... et clarificatus sum in eis.... sicut tu me misisti in mundum, et ego eos misi in mundum. .. ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum, ut cognoscat mundus, quia tu me misisti» ibid. XVII. 8. sqq. Et Apostoli protestantur: «illuminatio gloriae Christi, qui est imago Dei; non enim nosmet ipsos praedicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Iesum » 2. Cor.

Est igitur missio Apostolorum ex ipsa missione Iesu Christi velut emanatio, qua iam glorificatus nec amplius visibili praesentia nobiscum versaturus eos sibi in regni sui super terram sacro imperio, magisterio, sacerdotio assumit ministros, sibi que substituit, ut ipsi pro ipso et ipse per ipsos ad regendam, docendum, et sanctificandam Ecclesiam eius sanguine acquisitam hisce muneribus fungantur quamdiu Ecclesia in terris est perstitura.

L  
(

## THESIS

### *De institutione regni Iesu Christi super terram secundum formam monarchiae in tertia apparitione.*

- Christus Iesus regnum suum in terris ita instituit, ut tum in pro-  
- xima praeparatione Matth. XVI. Luc. XXII. tum in respondente illi  
- executione Io. XXI. *unum* Simonem Petrum ex ceteris et super ceteros  
- Apostolos elegerit, quem potestate instruxit suprema et universali tum  
- super singulas partes et singula membra Ecclesiae tum super totum  
- corpus Ecclesiae; quae quidem potestas sit vicaria a Christo derivata,  
- immediata immediatione virtutis in totum et in partes, plena quoad  
- obiectum proprium regni coelorum in terris. Propterea haec ipsa po-  
\* testate constituitur principium formans et continens visibilem unita-  
- tem Ecclesiae ex ipsa institutione Christi fundatoris ac iure proinde  
- divino. \*

Postquam universim in prima apparitione Io. XX. 21. missio a Christo data est Apostolis secundum analogiam missionis Christi a Patre, atque ita in complexu potestas apostolica instituta in regno Dei super terram, Dominus in duabus epiphaniis subsequentibus, ut ab Evangelistis referuntur, distincte iam ordinem et modum potestatis in Ecclesia atque hoc ipso formam suae Ecclesiae visibilis determinat ac declarat.

Penes Evangelistas Matth. XXVIII. 7. 10; Marc. XVI. 7. discipuli, et apud Marcum quidem expresse Petrus, iubentur exspectare Domini manifestationes *in Galilaea: u* dicite discipulis eius et Petro, quia praecedet vos in Galilaeam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis *η* 1. c. ; ex qua monitione iam conici merito potest, has in Galilaea apparitiones pro Apostolis et nominatim pro Petro insigniores et momenti maximi futuras esse (1). Re ipsa, quoniam sco-

(1) Animadvertit hoc idem Gregorius Nyssenos (vel Hesychius Hierosolym.), quamvis de sola apparitione Matth. XXVIII. loquatur, α Mihi autem videtur magnam vim (πολλήν εἰσασίαν) habere, quod dictum est penes Matthaeum de discipulis, nempe ut abeant in *Galilaeam* et ibi me vi-



pus longe praecipuus harum manifestationum erat perficere institutiones et constitutionem regni Dei, videmus hoc regnum quoad fundamentalia principia plene constitutum in duabus hisce epiphaniis, quas in Galilaea factas referunt Evangelia Io. XXI. Matth. XXVIII. instituto uno supremo pastore super omnes oves Christi, et tradita collegio Apostolorum atque explicata potestate in omnes gentes.

Ioannes consulto adnotat, manifestationem istam a se c. XXI. narratam, fuisse *tertiam* inter eas, quae *discipulis* (τοῖς [Λαοῖς].) factae sunt. Ex hoc in primis intelligitur, Evangelistam habuisse specialem rationem apparitionum, quae fiebant *collegio Apostolorum*; si enim etiam aliae in Evangeliiis narratae computarentur omnes, haec non tertia fuisset sed septima. Praeterea discimus, connumerari apparitiones tamquam factas toti *collegio*, sive Apostoli omnes adessent, ut in secunda, sive aliqui abessent, ut in prima et hac tertia. Unde iterum tum collegium Apostolicum constitutum ut unum corpus, tum (quod inde consequitur) principium rapraesentationis demonstratur, quatenus nimirum non solum praesentes sed etiam absentes includuntur in iuribus collatis et officiis impositis, quod iam superius ex ss. Cyrillo et Augustino adnotavimus. Postremo ex hac numeratione Ioannis constat, manifestationem istam ad visibile caput tum Apostolis tum toti ovili Christi Iesu instituendum directam, priorem fuisse altera Matth. XXVIII. in qua posteriore proinde potestas et missio ad omnes gentes collegio Apostolico iam sub uno capite constituto et non nisi in unione et subordinatione sub eodem hoc capite impertita intelligi potest. Hunc eundem ordinem constanter in promissione quoque potestatis Matth. XVI. XVIII. ab Ecclesiae conditore observatum fuisse, animadversione sane dignissimum est. Unde etiam patet, in missione collegio Apostolico facta incluso Petro, de qua in thesi superiori egimus, constitutionem internam

debent. Cam enim inultae futurae essent apparitiones, ad unam tamquam eximiam prae ceteris respicit promissio, secundum quam appariturus eis erat in monte » [Galilaeae iuxta Mt. XXVIII. 16.] Gregor. Nyss. or. 2. de resurrect. Aligne T. XLVI. p. 65. Combifessii Anctuar. T. I. p. 770.

et subordinationem in ipso collegio a Salvatore ex promissione antecedenti (Matth. XVI.) et ex institutione mox secutura (Io. XXL) suppositam fuisse et reservatam\* ut eam in missione quam ibi solum generatim ex sua a Patre missione determinaverat, explicite enuntiare nihil opus fuerit.

His obiter praenotatis accedimus ad ipsam iam institutionem factam in hac tertia Christi manifestatione considerandam, quantum ad distinctiorem intelligentiam institutionis Ecclesiae postulatur; neque enim de Petri eiusque successorum principatu secundum totam suam amplitudinem nunc tractatum scribimus. Quoniam vero divinus fundator Ecclesiae rationes visibilis capitis a se in Petro instituti diserte declaravit non solum in ipsa institutione pro praesenti, de qua agimus, sed etiam explicatione realiter parallela sub alio tamen atque alio schemate in promissione pro futuro Matth. XVI. Luc. XXII. 31. 32., idcirco (ut iam superius praemonuimus) divina haec testimonia ad collustrationem pro nostro intellectu unius per alterum simul coniungamus necesse est.

Certe inter promissionem et ipsam institutionem rerum parallelismus manifestus est. Ubique eadem est persona testificans et instituens, Christus fundator Ecclesiae; eadem persona, ad quam unam prae aliis omnibus testimonium et institutio refertur, Simon Petrus; idem terminus personarum, prae quibus et super quas Petrus constituitur, nempe collegium Apostolorum et universa Christi Ecclesia sub aliis et aliis nominibus *u* Ecclesia mea, regnum caelorum; fratres tui, oves meae et agni mei; *n* idem obiectum reale, potestas scilicet eadem promissa ac instituta, sub diversa licet metaphora *petrae* Ecclesiae, *clavium regni, firmamenti fidei, pastoratus* ovilis Christi; idem prostremo utrobique finis in promissione et institutione; finis, inquam, est propria forma, indeficiens securitas, visibilis unitas Ecclesiae.

*a* Interrogabat *discipulos suos...* vos autem quem me esse dicitis: *Respondens Simon Petrus* dixit..... Respondens autem Iesus *dixit ei:* beatus es *Simon Bar Iona...* et ego dico tibi, *(pita ta es Petrus, et super hanc petram aedificabo* /neam... et tibi dabo *claves regni caelorum* *n* Matth. i. Simon, Simon ecce Satanas *expetivit vos...*



ego autem *rogavi pro te*, ut non deficiat fides tua aliquando conversus *confirma fratres tuos* n Luc, iam tertio manifestatus est Iesus *discipulis suis*, cum surrexisset a mortuis. Cum ergo prandissent, *dicit Simoni Petro* Iesus: Simon Ioannis (1): diligis me *plus his?..... Dicit ei: pasce agnos meos*», *pasce oves meas* » Ioan.

Iu considerationem veniunt haec quatuor, quae Christi fundatoris Ecclesiae promissione et institutione determinantur, *subiectum* potestatis, *obiectum terminans* sive exten-

eiusdem, postremo et ad praesentem nostrum scopum maxime *finis* potestatis, qui est forma unitatis visibilis et indefectibilis per hanc ipsam supremam potestatem constituta a Christo atque inserta Ecclesiae universali.

I. Subiectum quod adtinet, ex verbis disertis tam promissionis quam institutionis clarius est, quam ut ulteriorem demonstrationem admittat, esse unum Simonem filium Ioannis, cui promittuntur et conferuntur, quae tribus illis locis citatis continentur, eumque formaliter *Petrum* constituunt, nempe « *Petrum aedificandae Ecclesiae petram* dictum, *claves regni coelorum consecutum et solvendi et alligandi in coelis et in terris potestatem* n (Tertull. Praescript. c. 22.). Aequè clarum est, illum unum esse subiectum *prae ceteris Apostolis*, quoniam evidenter unus eligitur ex omnibus simul per modum unius corporis seu collegii spectatis, coram quibus et in quo collegium ipsi uni Simoni Petro munus ibi expressum promittitur et confertur. Nihilominus illustrationem aliquam merentur, tum quae in duplici loco Matth. et Ioan, de congrua dispositione subiecti promissionis et institutionis habentur, tum dicta quaedam ss. Patrum quae praepostero sensu accepta obscuritatem inducere possent.

1°. Tamquam dispositio congrua ad promissionem ab ipso Salvatore provocatur Petri prae omnibus Apostolis edita *professio fidei* in Christum Filium Dei vivi, utique *inclusa charitate. a Vos autem* (Apostoli omnes una cum Pe-

(1) Ioannes et Tona in N. T. idem nomen est, hoc ex illo contractum (vide P. Patritium in Evang. IX. c. δ.).

tro spectati) quem me esse dicitis?.'. Prae aliis omnibus  
 ¶ respondens Simon Petrus dixit (ex speciali revelatione  
 Patris qui est in coelis), tu es Christus Filius Dei vivi..!  
 Pari modo ad ipsam collationem potestatis promissae ante-  
 cedit trina sollemnis provocatio Petri prae ceteris Apostolis  
 ad *professionem charitatis* in Christum Filium Dei vivi,  
 sane velut fundamento *supposita fide*. «Simon Ioannis di-  
 ligis me plus his? Respondit ei, etiam Domine, tu scis,  
 quia amo te. *n* Fides primum praestruitur ad promissio-  
 nem, charitas deinde ad ipsam executionem : *u* fides et cha-  
 ritas initium vitae et finis, initium quidem fides, finis vero  
 charitas; duo haec in veritate coniuncta Dei sunt *n* *io/n*  
*u.εν π'.στ'.* , τέλο δε ζγαπη. τα δε δυο έν ενοτητ.- γενου,ίνχ  
 Θεου έστιν) s.-Ignatius M. ep. ad Ephes, η. 14. Huic ita-  
 que duplici professioni fidei in charitate et charitatis in  
 fide ab uno Petro inter omnes et prae omnibus Apostolis  
 proclamatae Dominus directe respondit verbis suae promissio-  
 nis et institutionis. » Tu es Christus Filius Dei vivi:  
 et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram  
 aedificabo Ecclesiam meam. - *a* Tu scis, quia amo te: pasce  
 agnos meos... oves meas, *n* Iam intelligis, quid valeat illa,  
 quae induci solet, difficultas, Petrum professionem edidisse  
 nomine omnium Apostolorum, et ideo illud quod a Christo  
 retribuitur professioni aequae ad omnes spectare, ut quemad-  
 modum pares erant professione, ita et pares constituentur  
 potestate. At haec nomine aliorum supposita professio, di-  
 serte excluditur in munere ipsa collatione penes Ioannem;  
 ibi enim de solius Petri dilectione, et de dilectione super  
 omnes alios Apostolos Dominus quaerit : *u* Simon Ioannis di-  
 ligis *me plus his?* *n* Hinc cum promissio certe respondeat  
 executioni, sicut solius Petri professioni amoris confertur,  
 etiam solius Petri professioni fidei munus promissum esse  
 necessario tenendum est. Quoad ipsam vero professionem  
 fidei penes Matth. Christus omnes quidem interrogaverat,  
 « *vos* quem me esse dicitis, *n* et post professionem editam  
*u* praecepit *discipulis suis*, ut nemini dicerent (pro eo tem-  
 pore), quia ipse est Christus; » attamen professio solius  
 erat Petri, neque sicut paucos ante menses Io. VI. 70. re-  
 spondit, ¶ *nos credidimus et cognovimus*, quia tu es Chri-



stus Filius Dei » (1); sed simpliciter de firmitate et fervore *suae*, non etiam aliorum, fidei testatus est: tu es Christus Filius Dei vivi; *n* imo Christus ipse peculiare hoc donum fidei ex revelatione Patris esse, pro solo Petro tunc declaravit, et propter illud ipsum prae ceteris Apostolis beatum praedicavit: *u beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est. n* Ceterum etiamsi, his omnibus insuper habitis, omnino eandem dispositionem fidei in omnibus Apostolis supponeremus, concedendo praeterea, Petrum non modo suam sed omnium fidem exprimere voluisse tamquam praecessorem eorum in confessione (2); absurde omnino ex supposita aequalitate fidei concluderetur aequalitas muneris. Promissio enim muneris non est promissio *mercedis debitae* omnibus, qui forent in eadem dispositione; sed professio fidei non potest concipi nisi ut dispositio *congrua*, cui gratuito et evidenter non in omnibus sed in solo Petro, cum clara distinctione ab omnibus aliis, repromittitur (ut donum gratis datum) munus petrae et fundamenti Ecclesiae totius.

Quamvis vero hanc professionem, qua unus Petrus ab aliis omnibus Apostolis discernitur, ipseque disponitur ad muneris promissionem et collationem, theologi ex quibusdam etiam Patrum sententiis merito inducere soleant ut argumentum evidens ad demonstrandum, ipsum Petrum esse muneris immediatum subiectum; sine dubio tamen divinus Salvator, in ipsa Ecclesiae fundatione exigens tam solemnem professionem, maius aliquid significare voluit, quo muneris a se in Petro instituendi finis, dignitas et proprietas manifestaretur. « Dominus interrogat (amas me plus his), non ut disceret, *sed ut doceret, quem elevandus in coelum amoris sui nobis velut vicarium relinquebat* » Ambros. in Luc. 1. Σ. n. 175. Fidei nimirum et charitatis professio

1) 'Ο Χριστο ὁ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος. Sed sunt codices bonae notae, qui pro his omnibus verbis habent tantum haec: ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ.

(2) « Beatus Petrus non carne et sanguine sed Patre revelante de coelo... solus *pro se et pro omnibus, et pro unitate unus* testimonium fidei perhibuit dicens: tu es Christus Filius Dei vivi » Hadrian. I. ep. ad Episc. Hisp. (Harduin. T. IV. p. 867.),

postulatur, quia munus ipsum constituitur fundamentum ad unitatem fidei et ad communionem charitatis in regno Iesu Christi. Nam in petra fundatur *u* sanctae Ecclesiae congregatio, *quae in unum connexum corpus atque compactum* (cf. Eph. IV. 16.) *unitate fidei et charitatis adsurgeret* » Ambros. de Offic. III. c. 3. n. 19. Explicite de ipsa Petri professione docemur, illum Spiritu Patris operante in corde credentis confessum esse Christum Filium Dei vivi, *u* ut *ad regimen totius Ecclesiae praeparatus* primum disceret, quod doceret, *et pro stabilitate fidei quam erat praedicaturus*, audiret: tu es Petras *n* etc. s. Leo serm. 60. al. 62. c. 2. « Ideo beatus Petrus, qui Christum *vera fide confessus, vero est amore secutus*, specialiter claves regni coelorum et principatum iudiciariae potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligent, quia quicumque *ab unitate fidei vel societate illius* quolibet modo se ipsos segregant, tales... nec ianuam possint coelestis regni intrare - Beda in Hatth. XVI. 19. Hoc ipsum de speciali Ecclesia Petri, utique propter Petrum, in quo sedente identificatur privilegium sedis in fide et charitate (de qua re postea dicemus), iam antiquissimi Patres dixerunt, in tradita fide *u* ad eam necesse esse omnem convenire Ecclesiam, *n* eandemque « praesidere charitati » (ζαοτ, ἰλινῆ -τη ἀγαπῆ) Ignat, ep. ad Rom. Iren. III. 3.

Probe enim distinguatur oportet *personalis dispositio* per professionem fidei et charitatis, atque eiusdem professionis exercitium, prout *in ipso munere* promisso et instituto continetur. Spectata nimirum fide et charitate, quatenus ad visibilem Ecclesiam refertur, atque adeo in visibili exercitio externo non *personalis dispositio sed proprietas muneris* est ex ipsa Christi institutione. Haec muneris proprietate declaratur, dum ita Ecclesia super petram aedificanda dicitur, ut ex hoc ipso effectus consequens sit quod *u portae inferi non praevallebunt adversus eam*; *n* pariter dum auctor fidei et consummator promittit Petro: « ego rogavi pro te, ut *non deficiat* fides tua, » ad eum nempe finem, qui subditur, «et tu aliquando conversus *confirma fratres tuos*; - et dum denique instituit Petrum ad «*pasce* oves suas, » quibus ovile *numquam dejecturum*



e (unum ovile et unus pastor) » constitui iam antea testata erat: «non rapiet eas quisquam de manu mea de manu Patris mei  $\eta$  (io. X. 16. 28. 29.).

2°. Ex dictis subiectum promissionum penes Matth. sicut institutionis penes Ioannem esse unum Petrum ita clarum est) ut nullo modo credi possit fuisse inter Patres, qui negarent verba promissionis pertinere ad eundem Simonem filium Iona, ex suo munere nominatum et constituendum *Petrum Ecclesiae lesa Christi*, si qui ergo aliud quandoque dixisse videntur, eos non in re ipsa sed ad peculiarem suum aliquem scopum in modo explicandi discrepasse, facile demonstrari potest.

Sunt Patres plurimi, qui dicunt Ecclesiam promitti aedificandam *saper fidem* aut *confessionem Petri* (vide Patres apud Ballerinium de Primatu c. 12.). Nimirum non fidem generatim aut abstracte spectatam sed *in concreto fidem Petri* eamque confessione et doctrina propositam dicunt constitui Ecclesiae fundamentum, quod perinde est ac dicere, Petrum sub formali ratione fidem profitentis et docentis constitui petram, super quam aedificetur Ecclesia, regnum veritatis, cuius forma intestina uniens ac vivificans est ipsa fides. Non homo, filius Iona, in suo ordine naturali, sed Petrus in supernatural! ordine fidei ponitur fundamentum Ecclesiae in primis fide aedificandae, ut ex soliditate ab aedificatore Christo impertita fundamento portae inferi non praevaleant adversus ipsam Ecclesiam, *„ Eides ergo est Ecclesiae fundamentum ; non enim de carne Petri sed defide dictum est, quia portae mortis ei non praevallebunt; sed confessio vicit infernum (confessio nempe Petri, propter quam dictum est ei, tu es Petrus, et portae inferi non praevallebunt)... nam cum Ecclesia multis tamquam bona navis saepe fluctibus tundatur, adversus omnes haereses debet valere Ecclesiae fundamentum „ Ambros. de Incarn. c. 5. Non abstracta confessio, tu es Christus Filius Dei vivi, est fundamentum valens *adversus omnes haereses*, sed confitens Petrus in hanc confessione factus petra Ecclesiae. « Petrus eum confessus erat Filium Dei, *et in illa confessione appellatus erat petra*, supra quam fabricaretur Ecclesia „ August, in Ps. 69. n. 4. « Qui ad horam*

negaverat, sanctus Petrus et *supremus Apostolorum princeps factus est nobis rere solida petra* fundans fidem Domini; in qua aedificata est Ecclesia per omnem modum (Petrus factus petra fundamentum fidei, in qua fide ita firmata aedificatur Ecclesia, h. e. aedificatur in petra fundamento fidei utique derivato et ministerial]). Primo quidem, quia *confessus est Christum Filium Dei vivi, et audivit, super hanc petram infallibilis fidei* aedificabo Ecclesiam meam r. (1) Epiphan. haeres. 59. n. 7. (T. I. p. 500. ed. Patav.). n Petram opinor denominative nihil aliud quam inconcussam et firmissimam *discipuli fidem* vocavit, supra quam Ecclesia Christi citra casus periculum fundata et firmata est, atque in perpetuum manens inexpugnabilis ipsis inferorum portis... *Petrus tam praecellentibus donis ornatur* (ut esset petra Ecclesiae, quod paulo ante dixit confessionis praemium ἀντεκτισιν), confessus ipsum esse Filium Dei (2) Cyril1. Al. de Trin. dial. IV. T. V. P. I. p. 507. u Cum ego sim inviolabilis petra... tamen *tu quoque petra es, quia mea virtute solidarior... super hanc fortitudinem* aeternum exstruam templum, et «Ecclesiae meae coelo inferenda sublimitas *in huius fidei firmitate* consurget w s. Leo serm.3. n. 2. in assumpt. sua.

Si quando a firmitate fidei et confessionis per quamdam consecutionem deductam ex verbis Christi quivis fidelis vocatur *petra*, non tamen dici potest petra, supra quam aedificatur Ecclesia, nisi transferendo nomen *Ecclesiae* ad aliam prorsus atque allegoricam significationem. Hoc quidem Origeni aliquando placuit (3); sed sane risu dignus foret, qui

(1) Ὁ ἀρνησάμενος τὸ ὄνομα τοῦ ἁγίου Πέτρου καὶ κορυφαιοτάτου τῶν Ἀποστόλων ὁ γενομένος ἄλλοθεν ἀληθῶς στερεὰ πέτρα θεμελιούσα τῆς πίστεως τοῦ κυρίου. ἐφ' ἧς ὡκοδομηθῆσεται ἡ ἐκκλησία κατὰ πάντα τρόπον ἢ πρῶτον / ἀενάως ὅτι ὡμολόγησε Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, καὶ ἤκουσεν, ὅτι ἀσφαλὴς ἡ πίστις ὡκοδομησῶσθε αὐτὴν τὴν ἐκκλησίαν.

ἢ ἄλλοθεν ἀληθῶς στερεὰ πέτρα θεμελιούσα τῆς πίστεως τοῦ κυρίου. ἐφ' ἧς ὡκοδομηθῆσεται ἡ ἐκκλησία κατὰ πάντα τρόπον ἢ πρῶτον / ἀενάως ὅτι ὡμολόγησε Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, καὶ ἤκουσεν, ὅτι ἀσφαλὴς ἡ πίστις ὡκοδομησῶσθε αὐτὴν τὴν ἐκκλησίαν. ἢ ἄλλοθεν ἀληθῶς στερεὰ πέτρα θεμελιούσα τῆς πίστεως τοῦ κυρίου. ἐφ' ἧς ὡκοδομηθῆσεται ἡ ἐκκλησία κατὰ πάντα τρόπον ἢ πρῶτον / ἀενάως ὅτι ὡμολόγησε Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, καὶ ἤκουσεν, ὅτι ἀσφαλὴς ἡ πίστις ὡκοδομησῶσθε αὐτὴν τὴν ἐκκλησίαν. ἢ ἄλλοθεν ἀληθῶς στερεὰ πέτρα θεμελιούσα τῆς πίστεως τοῦ κυρίου. ἐφ' ἧς ὡκοδομηθῆσεται ἡ ἐκκλησία κατὰ πάντα τρόπον ἢ πρῶτον / ἀενάως ὅτι ὡμολόγησε Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, καὶ ἤκουσεν, ὅτι ἀσφαλὴς ἡ πίστις ὡκοδομησῶσθε αὐτὴν τὴν ἐκκλησίαν.

(3) Tota commentatio Origenis in Matth. XVI. (tom. 12. n. 10. T. III. p. 523. ed. Delarue) excurrit in sententias singulis fidelibus aptas ad in-



inde contenderet, hunc sensum proprium illis Christi verbis subesse, vel saltem ab Origene suppositum fuisse.

3'. Ubi Patres de potestate clavium agunt, quae Petro promissa est, ut eam ostendant non ita personalem Petro fuisse, ut in ipso desierit, quod Montanistae et cum ipsis Tertullianus asserebant, sed in Ecclesia perennem potestatem solvendi ac ligandi intelligi debere, aliquando dicunt Petrum in promissione et receptione clavium *personam Ecclesiae* gessisse. Hac in doctrina tria continentur a) Ecclesia accepit quidem claves sed non nisi in Petro, quatenus nempe Petro promissae et collatae sunt ut *personam gerenti* omnium suorum successorum, adeoque subiectum potestatis est Petrus et sunt aequo modo singuli in tota serie successores eius, quamdiu perstabit Ecclesia seu regnum Dei in terris, β) Potestas tota promissa et collata est *pro Ecclesia*, idest in bonum Ecclesiae. Propterea Ecclesia accepit eam dupliciter; si spectetur integra, corpus cum capite suo visibili, Ecclesia ut *subiectum* eam accepit, sed in suo capite ut *in subiecto immediato*, quemadmodum homo est subiectum intellectus et voluntatis, licet hae facultates ut in subiecto immediato sint in anima. Si deinde Ecclesia

stitutionem morum. Unde per accommodationem sive extensionem quamdam *portas inferi* interpretatur peccata, *claves regni coelorum* virtutes, atque secundum eandem methodum *petram* dicit quemlibet fidelem, quatenus in fide et virtute perseverat; *ecclesia* vero ei est congregatio cogitationum, verborum et operum sanctorum. Hanc itaque *ecclesiam* unusquisque in simetipso habet aedificatam *in petra* firmae fidei et constantis virtutis. « Si etiam nos sicut Petrus confitentes, tu es Christus Filius Dei vivi, non carne et sanguine revelante sed lumine a Patre in coelis cordi nostro illucescente efficimur Petrus, nobis quoque dicetur a Verbo illud, tu es Petrus et quae sequuntur; petra enim est omnis discipulus Christi, de quo (Christo) bibebant bibentes de spiritali consequente eos petra (I. Cor. X. 4.); et super quamlibet huiusmodi petram aedificatur omnis ecclesiastica doctrina, et vitae ratio iuxta eam instituta; in unoquoque enim perfectorum habentium congregationem sermonum et operum et cogitationum quae complent beatitudinem, inest ecclesia a Deo aedificata » (εν έκαστω γαρ των τελειων ε'οντων το άθροισμα των συμπληρουντων την μακαριότητα λόγων και έργων και νοημάτων, έστιν ή ύ~ο του Θεου οιχοδομουμενη εκκλησία). Ei Origene his similia desumpsit Ambrosius in Luc. I. VI. n. 98. moralia scilicet praecepta accommodando, non theologiam doctrinam interpretando.

consideretur in distinctione a capite visibili ipsa *ut obiectum* pro quo collata est, accepit potestatem, cuius subiectum est ipsum visibile caput Ecclesiae. Sic Deus regnum sempiternum promisit ac contulit Davidi et populo Israel, sed aliter atque aliter. Denique γ) potestas in Petro instituta est plenitudo et archetypus, cuius participationes et derivationes sunt omnes potestates inferiores in Ecclesia ab eodem divino fundatore institutae. Secundum has ergo rationes cum Patres dixerunt, Petrum in accipienda potestate *personam Ecclesiae* gessisse, non modo non negarunt sed expressius explicaverunt, unum Petrum et in Petro singulos eius successores fuisse et esse subiectum promissae et commissae potestatis clavium.

Repraesentationem Ecclesiae in Petro ut in Supremo pastore vetus auctor quaestionum in Nov. et Vet. Testamentum (q. 75.) comparat cum ea, qua ipse Christus ut caput in vita adhuc mortali repraesentabat Apostolos, « Sicut in Salvatore erant omnes causa magisterii, ita et post Salvatorem in Petro omnes continentur; ipsum enim constituit esse caput eorum, ut esset pastor gregis Domini » (Aug. Opp. T. III. append, p. 61.) s. Leo Al. recitatis verbis, « tibi dabo claves regni coelorum » etc., explicat, quomodo institutio archetypa et exemplaris in uno Petro extendatur ad participationem potestatis ab illo uno etiam in aliis. « Transivit quidem etiam in alios Apostolos ius potestatis istius, et ad omnes Ecclesiae principes decreti huius constitutio comineavit; sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur; Petro enim ideo *loc-singulariter creditur*, quia *cunctis Ecclesiae rectoribus Petri forma praeponitur* » serm. 3. assumpt. suae, cf. ep. 10. c. 1. ad Episc. prov. Vienn.

Augustinus aliquando in verbis Christi de clavium potestate duplicem sensum supponit, ita ut sensu litterali pertineant utique ad Petrum et a apostolatus eius primatum, › extensione vero quadam et sensu quodammodo typico referantur etiam ad Ecclesiam seu ad universitatem fidelium, cuius ille propter ipsum apostolatus primatum fuerit archetypus. Ium vero significationem verborum seu rem verbis significatam intelligit aliam sensu litterali in « primo



Apostolo, » et aliam sensu illo extensivo in universitate fidelium. Sic tract. 124. in Ioann. considerat Petrum ut figuram Ecclesiae, in qua datur solutio peccatorum; Ioannem ut figuram beatae contemplationis. Petro promittuntur claves ad solvenda peccata, sed alio sensu pertinent etiam ad universitatem fidelium significatam in Petro, quatenus hi oratione et bonis operibus concurrunt ad solvenda peccata. At huiusmodi interpretandi rationem quis non videt esse affinem illi accommodationi, quam superius penes Origenem animadvertimus? « Quia in ipsa quoque via ambulantes non sunt sine peccatis, quae de liuis vitae infirmitate surrepant, dedit eleemosynarum remedia salutaria, quibus eorum adiuvaretur oratio, ubi eos dicere docuit: dimitte nobis debita nostra... Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita aerumnosa, cuius Ecclesiae Petrus Apostolus *propter apostolatus sui primatum* gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Christianus, *abundantiore gratia unus idemque primus Apostolus*, sed quando ei dictum est (utique in suo apostolatus primatu): tibi dabo claves regni coelorum... universam significabat Ecclesiam... Ecclesia ergo quae fundatur in Christo, claves ab eo regni coelorum accepit *in Petro*, idest ligandi solvendique peccata... *Omnibus igitur sanetis ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus propter huius vitae procellosissimae gubernaculum ad liganda et solvenda peccata claves regni coelorum primus Apostolorum Petrus accepit* iisdemque omnibus sanctis propter vitae illius sacratissimae quietissimum sinum super pectus Christi Joannes Evangelista discubuit. Quoniam nec iste solus sed universa Ecclesia (aliter tamen atque aliter) ligat solvitque peccata, nec ille in principio Verbum Deum apud Deum et cetera de divinitate... de fonte Dominici pectoris solus bibit, sed ipse Dominus ipsum Evangelium pro cuiusque capacitate omnibus suis bibendum toto terrarum orbe diffudit. » Simili fere interpretandi ratione, ut probet *a* in Petri persona significatos esse in Ecclesia bonos, sicut in Iudae persona in Ecclesia malos, » inducit claves, quibus in Ecclesia solvitur et ligatur: *u* si autem hoc fit in Ecclesia (licet modis di-

versis), Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit » (in Ioan, tract. 50.).

4". Postremo quod attinet ad verba illa Christi, *u* super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, » notum est, Augustinum (quem deinde nonnulli alii secuti sunt, ut Isidorus Hispal.; Origin. 1. VII. c. 9; auctor homil. in natali s. Petri putatus aliquando Eucherius Lugdun.; synodus Foroiul. sub Paulino Aquil.) frequentius ea retulisse ad ipsum Christum, acsi diceretur: super hanc petram, quam tua fide confessus es Filium Dei, aedificabo Ecclesiam meam. Quae quidem interpretatio, si praescinderetur a modo, quo Augustinus ei insistit, reduci forte posset ad illam, qua Patres plurimos vidimus docere Ecclesiam aedificatam *super fidem Petri*. Ita haec coniunxit Hadrianus I. (ep. ad Episc. Hisp. Harduin. T. IV. p. 867.). « Super hanc, inquit, petram quam confessus es, et a qua vocabuli sortitus es dignitatem, super hanc soliditatem fidei Ecclesiam meam aedificabo. »

Augustinus ad suam illam interpretationem suadendam argumento etiam uti solet philologico sane minime idoneo (1); verum ratio praecipua s. Doctoris certe erat, quod in iis locis *aedificationem. Ecclesiae* assumpsit et descripsit non secundum corpus visibile, sed secundum spiritum, agens nimirum de fide ex suo principe obiecto, de meritis redemptionis, de virtute sacramentorum et de gratia, quibus aedificatur in Christo ut in fundamento, praeter quod aliud nemo potest ponere. Propterea Petrus ipse cum tota Ecclesia, quam ille « apostolatus principatum tenens figurabat » aedificatur in petra Christo, *u* Quia tu dixisti mihi, tu es Christus Fi-

(1) Argumentum istud Augustino erat ex derivatione nominis, quasi *Petrus* esset forma adiectiva ex substantivo *petra*: non enim dictum est ei, tu es *p»tra* sed tu es *Petrus* - (Retract. 1. I. c. 21.). Unde Bellanninus (de Rom. Pontif. 1. I. c. 10.) ait, e Augustinum sola ignorantia linguae hebraeae esse deceptum. « Lingua quippe, qua et Christus loquebatur et Matthaeus Evangelium scripsit, sine dubio in utroque inciso, t tu es *Petrus*, et super hanc *petram* aedificabo, » unum idemque habebat vocabulum. Quae quidem eiusdem nominis repetitio ex ipso contextu colligitur, sicut etiam legitur in antiquissima versione syriaca: tu es et super hanc [©d-s aedificabo Ecclesiam meam.



lius Dei vivi, et ego dico tibi tu es Petrus. Hoc autem nomen ei, ut Petrus appellaretur, a Domino impositum est, et hoc, ut ea figura significaret Ecclesiam. Quia enim Christus petra, Petrus populus christianus. Petra enim principale nomen est; ideo Petrus a petra, non petra a Petro, quomodo non a Christiano Christus, sed a Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus; et super hanc petram, quam confessus es, quam cognovisti..... aedificabo Ecclesiam meam; id est, super me ipsum Eilium Dei vivi aedificabo Ecclesiam meam, super me aedificabo te, non me super te. Nam volentes homines aedificari super homines dicebant, ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ipse est Petrus; et alii qui volebant aedificari super Petrum sed super petram; ego autem sum Christi. Apostolus autem Paulus, ubi cognovit, se eligi et Christum contemni, divisus est, inquit, Christus? Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Quomodo non in Pauli, sic nec in Petri, sed in nomine Christi, ut Petrus aedificaretur super petram, non petra super Petrum. Idem ergo Petrus a petra cognominatus, beatus, Ecclesiae figuram portans, *apostolatus principatum tenens*.. In illo ergo uno Apostolo, id est Petro, *in ordine Apostolorum primo et praecipuo* figurabatur Ecclesia n Aug. serm. 76. n. 1. (al. de verbis Dom. serm. 13. cf. in Ioan, tract. 124.).

De huiusmodi Augustini ratiociniis haec tenemus, a) Augustinus aperte agnoscit in Petro *u* apostolatus principatum *†* tum hoc tum aliis locis pluribus, quare *theologice* profitetur veritatem ipsam de aedificatione visibilis Ecclesiae super Petrum ut fundamentum relativum ex derivatione a Christo fundamento absoluto. Imo etiam *hermeneutice* plus semel interpretatus est, et alibi concessit posse intelligi atque a fidelibus intellecta esse verba Christi Matth. XVI. ita, ut *Petrus sit petra*, supra quam Christus promisit aedificandam Ecclesiam. «Numerate sacerdotes vel ab ipsa *Petri sede*, et in ordine illo patrum quis cui successerit videte; *ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae* n Aug. Psalm, adversus partem Donati. Cf. ep. 53. n. 2. ad Generosum. « Petrus qui paulo

ante confessus erat Filium Dei, <sup>et in f</sup> illa confessione ~~ap-~~  
*pcllatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia*  
Id. in Ps. 69. n. 4. Nimirum contra Schisma Novatiani et  
Donati Patres Cyprianus, Pacianus, Optatus et post eos  
Augustinus appellabant ad petram, in qua visibilis unitas  
Ecclesiae fundata est. Neque hanc sententiam correctione  
indignam vel alteri de *Christo petra* posthabendam esse, in  
libris Retractationum umquam indicat, quod ipsum argu-  
mento est, rem ipsam Augustino semper fuisse *theologicè*  
ratam ac certam, eiusque dubia nonnisi ad hermeneuticam  
et modum interpretandi ob causas superius indicatas referri  
posse, *u* In libro (contra epistolam Donati nunc deperdito)  
dixi quodam loco de Apostolo Petro, quod *in illo tamquam*  
*in petra fundata est Ecclesia, qui sensus etiam cantatur*  
*ore multorum* in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo  
gallinaceo ait: hoc ipso *petra Ecclesiae* canente culpam  
diluit (1). Sed scio me postea saepissime sic exposuisse...  
ut super hanc intelligeretur, quem confessus est Petrus...  
ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiae fi-  
guraret, quae super hanc petram aedificatur, et accepit  
claves regni coelorum. Non enim dictum est illi, tu es *pe-*  
*tra*, sed tu es *Petrus*; petra autem erat Christus, quem  
confessus Simon, sicut eum tota confitetur Ecclesia, dictus  
est Petrus. *Harum autem duarum sententiarum quaesit*  
*probabilior, eligat lector* *n* Id. Retract. I. 21.

β) In illa interpretatione, qua Augustinus *petram re-*  
*fert* ad Christum, invertitur quidem verborum sensus *di-*  
*rectus* in *indirectum*; hoc tamen ipso veritas theologica  
servatur licet mutato ordine enuntiationis. Profecto enim  
Augustinus sensit, non solum inane nomen Petri, sed rem  
nomine significatam *a* Apostolorum primo et praecipuo » esse  
a Christo tributam. Atqui ex doctrina toties repetita Au-  
gustini nomen *Petri* ac proinde res seu proprietas nomine  
expressa est derivatio seu *proprietas derivata in Petrum*  
*ab Ecclesiae petra principali* Christo. Verba sunt Augu-  
stini. « Quia tu dixisti mihi, tu es Christus: et ego dico  
tibi, tu es Petrus, » *u* Petra enim principale nomen est,

( aniatui nunc adhuc ore omnium in *Lsiitdibw* die Dominica



ideo Petrus a petra. » Ergo in doctrina Augustini verbum Christi, « tu es *Petrus* et *super hanc petram* aedificabo Ecclesiam meam, » aequipollet huic sententiae : ego *per petram Ecclesiae ex propria virtute* et principalis, pro tua confessione dico tibi, tu es *petra Ecclesiae per participationem* a me derivatam : « Petrus a petra. » Hoc ipsum postea clarissime explicuit s. Leo M. ; qui verba Christi ita circumscribit. « Tu es Petrus, idest, cum *ego sim inviolabilis petra...* tamen tu quoque *petra es, quia mea virtute solidaris*, ut quae mihi *potestate sunt propria*, sint sibi mecum *participatione* (Petrus a petra) communia » s. Leo sem. IV. c. 2. Ita et alii Patres tum ante tum post Augustinum. « Petra est Christus.....etiam discipulo suo huius vocabuli gratiam non negavit, ut et *ipse sit Petrus, quod de petra habeat soliditatem constantiae et fidei firmitatem* » (in relatione nempe ad Ecclesiam super ipsum aedificandam) Ambros. in Lue. 1. VI. n. 97. « Cum audisset, *petra es*, praeconio nobilitatus est. Quamquam autem petra est, *non ut Christus petra, sed ut Petrus petra; Christus enim essentialiter petra inconcussa, Petrus vero per petram* (Χριστο γαρ ὄντω τετρά. ἀσαλευτο, Πέτρο δε δια την τετρῶν). Christus enim suas dignitates (ἀξιωρ.ατχ) largitur, nec exhauritur, sed quae tribuit, retinet. Lux est: vos estis lux mundi; sacerdos est: sacerdotes facit... petra est, petram facit » Hom. de Poenit. n. 4. ^inter Opp. s. Basilii T. II. p. 606.) « Sicut ipse lumen Apostolis donavit, ut lumen mundi appellarentur... ita et Simoni qui credebat *in petram Christum, Petri* largitus est nomen; ac secundum metaphoram petrae recte dicitur : aedificabo Ecclesiam meam super te » Hieronym. in Xlatth. 1. III. c. 16. (T.VII. p. 124.).

Quis ignoret hanc fortissimam petram, quae *ab illa principali petra communionem et virtutis sumpsit et nominis.* » De· vocat, gent. (inter Opp. s. Leonis T. II. p. 241.). « Quis enim nesciat, sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, *ut Petrus a petra vocaretur* » s. Gregor. M. 1. VII. ep. 40. ad Eulog. Alex.

Neque vero huic nostrae commentationi de vero sensu Augustini quidquam obest, quod s. Doctor subinde rationem

nominis *Petri* in eo collocare videtur, *u* ut ea figura significaret Ecclesiam; quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus. Duo enim, ut ex omnibus hactenus dictis patet, inter se connexa considerat in Petro. Quod primo Simon in se constitutus est *Petrus* h. e. in proprietate petrae Ecclesiae participata et derivata a petra principali Christo, ut hac proprietate participata formaret unitatem visibilem Ecclesiae seu populi Christiani; quod deinde Petrus ratione huius principatus figurabat seu *iuridice* repraesentabat Ecclesiam una secum aedificandam supra petram principalem Christum. Alio itaque modo Ecclesia in sua visibili unitate aedificatur in Petro, *u* qui petra appellatus est, in qua fabricaretur Ecclesia; » et alio modo Petrus ipse cum Ecclesia in omnibus suis donis visibilibus et invisibilibus aedificatur in petra principali Christo: *u* ut Petrus aedificaretur super petram, non petra supra Petrum; idem ergo Petrus a petra cognominatus, Ecclesiae figuram portans, apostolatus principatum tenens; in illo ergo uno Apostolo, in ordine Apostolorum primo et praecipuo figurabatur Ecclesia. »

Nemo itaque ss. Patrum negavit illud, quod in ipsis verbis evangelicis est manifestissimum, unum Petrum esse *subiectum immediatum* promissionum, quae Matth. XVI. ad fundandam Ecclesiam a Christo Salvatore factae sunt; sed in locis quae opponi solent, vel considerarunt firmitatem fidei et confessionem Petri, idque in relatione ad Ecclesiam, quae in Petro non secundum carnem et sanguinem spectato, sed formaliter ut fidem confidente ac docente aedificanda erat; vel spectarunt relationem et connexionem Petri cum Christo *petra principali*, atque ab huius petrae virtute propria ut a causa exemplari et efficiente docuerunt dependere omne illud, quo formatur *petra per participationem*. »

II. Obiectum potestatis uni Petro commissae quoad *extensionem*, sive *obiectum terminans*, ad quod ut sibi obnoxium ille refertur, est perspicue ipsa Ecclesia Christum in singulis suis partibus ac membris tum tota simul spectata ut unum corpus. Potest quidem tradi ἐν ἰπια, τῆ πο-  
testas in singulos constituentes unum corpus morale, quin



ideo necessario sit consequens eandem potestatem valere in omnes simul spectatos formaliter ut unum corpus ; sed esse aut concipi nequit potestas tradita in ipsum corpus morale spectatum in sua plenitudine totius, quin eadem comprehendat omnes et singulos, qui velut membra inhaerent vel qui obstringuntur illi toti corpori, in quod dicitur tradita esse potestas. Iam vero in promissione aequae ac in ipsa institutione potestatis Petro traditae obiectum terminans diserte a Christo domino declaratur *Ecclesia sua* spectata ut unum corpus. Ergo haec potestas ex Christi institutione tum totam Ecclesiam in sua unitate tum omnes et singulos ad Ecclesiam pertinentes vel Ecclesiae obstrictos comprehendit. Sane simul comparatis verbis promissionis et institutionis primum Christus designat ut obiectum expresso nomine *Ecclesiam suam*; tum eandem exhibet sub triplici schemate, quo etiam aliis locis Ecclesia significari solet, *domus* vel *civitatis Dei, regni coelorum, ovilis sui*; demum nominat unitatem *fratrum fraternitatem quae in mundo est* postea appellavit Apostolus 1. Pet. V. 9.). Primo modo *Ecclesia Christi* simpliciter dicta ac propterea tota Ecclesia in terris ab ipso Christo fundatore aedificatur in petra, quae est unus Petrus ; altero modo claves ad ligandum et solvendum omnia, quae pertinent ad regnum coelorum in terris, dantur eidem uni Petro, quae ergo potestas clavium obnoxium habet totum regnum coelorum in terris ; tertio modo uni Petro committitur potestas et munus pascendi agnos et oves Christi nempe totum Christi gregem seu ovile in integritate spectatum, *u Oves meas*, inquit; cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil ; et forte praesentes ceteri condiscipuli erant, cum committens uni, *unitatem omnibus commendaret in uno grege et uno pastore* » (Bernard, de Consid. II. 8.) Huic locutioni metaphoricae, *pasce oves meas*, saltem quoad *extensionem* de qua nunc agimus, patet respondere alteram propriam, *confirma fratres tuos*. Ita Chrysostomus (In Ioann, hom. 88. num. 1.) unam alteri aequipollentem habet : *u pasce oves meas.....* Eximius erat inter Apostolos, et os discipulorum ac caput istius chori.....negatione iam abolita *fratrum ei prae-*

*fecturam committit.....* dicit autem ei, si amas me, *fratribus* praeesto » (1).....

Ergo in primis *tota Ecclesia* spectata ut unum corpus (*civitas vel domus Dei, regnum coelorum, fraternitas in mundo, ovile Christi*) ex divini fundatoris institutione continetur *petra* tamquam fundamento, subest *caolbus* Petri, ut una *fraternitas in fide confirmanda* est a Petro, *ut unius grex Christi* (2) pascenda est a Petro. Hinc porro nullae sunt partes civitatis Dei in terris, nulla membra universalis Ecclesiae, quae non iure divino pendeant a *petra*, quia huic tamquam fundamento divinus aedificator totam Ecclesiam suam superstruxit; nemo pertinere potest ad regnum coelorum aut fraternitatem super terram, ad

(1) Βοσκέ τα πρόβατα μου...· εζχοιτο ήν των 'Αποστολών, και στόμα των μαθητών. ζαι ζομυφη του Χοσου.... ώ τη άονησεω έ εληλαμενη ευ/εφιζεττ. την ποοστασιαν των αοελφων..... λεγει ζε, ότι ει φιλει με. προϊστασο των αοελφων.

(2) Dum Christus appellavit \* agnos meos, oves meas, » designasse *integrum ovile* h. e. totam Ecclesiam, ex verbis ipsis manifestum est, et consentiunt Patres, qui vero insistant discrimini inter *agnos* et *oves* ad explicitant distinctionem graduum in Ecclesia, inter veteres non multi reperiuntur. Petrus post tertiam amoris confessionem (ait Ambrosius in Lue. l. X. n. 176.) - iam non *agnos*, ut primo, quodam lacte pascendos, nec *oviculas*, ut secundo, sed *oves* pascere iubetur, perfectiores ut perfectior gubernat. - iSecundo loco *oviculas in eas* et graece τα ποορατια μου etiam alibi quamvis rarius reperitur, imo et primo loco, ubi *ulgata agnos meos*, textus editus graecus τα πρόβατα μου habet, lectio non est constans). Euthyinius (in Io. h. l. Bibi. Max. T. XIX. p. 727.) eodem fere modo ut Ambrosius distinguit: - agni et oves dicuntur discipuli... agni quidem imperfectiores, oves autem perfectiores. » Expressius loquitur Bruno Astensis (comment, in h. l. et ex eo commentario in homil. vigil, s. Petri olim s. Enchérit» Lugd. vel Eusebio Gallicano tributa). « Prius agnos, deinde oves commisit ei. quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit; pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres; regit subditos et praelatos; omnium igitur pastor est. quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est, nihil inquam, quam quod suis pastoribus Christus commiserit. » Patres alii qui a quibusdam pro hac distinctione inducuntur, non agnos et oves distinguunt, sed simpliciter omnes oves atque integrum gregem Iesu Christi Petro commissum esse dicunt. Cyprianus (de unit. Eccl. p. 195. ed. Baluz.), Epiphanius (Anchorat. n. 9.), Chrysostomus (in Io. hom. 88. n. 1.), Leo (serm. 4. c. 4; serin. 63. c. 6.), Gregorius (l. V. ep. 20.), Bernardus (consider. l. II. c. 8.). ;jK»



ovile Christi, vel huic regno et ovili esse obnoxius, quin hoc ipso ex divina institutione subiectus sit clavibus ad ligandum et solvendum Petro datis, iuri et officio confirmandi in fide atque pascendi eidem commisso.

Speciatim igitur ipsi Apostoli sive singuli sive in collegio spectati vel non erant pars et membra illius, quam Dominus dicit *Ecclesiam suam*, civitatis Dei, regni coelorum, fraternitatis, gregis Christi; vel cum tota Ecclesia pendebant institutore Christo a *petra*, et suberant clavibus ac muneri pastoralis Petri. Quam ergo certum est, Apostolos Apostolorumque collegium fuisse partem longe praecipuam Ecclesiae a Christo aedificatae in *petra*, fuisse primitias inter oves Christi, quarum omnium ovium unus pastor Petrus prae omnibus Apostolis est constitutus, tam certum est, eos tum singulos tum omnes, tum in se tum eo magis in suis successoribus fuisse Petro eiusque successoribus subordinatos.

Apostolos ipsos quod spectat, dona *extraordinaria apostolatus* id est, non propaganda ad successores, cuiusmodi sunt revelatio veritatis, et missio gubernationis non restricta ad singulares Ecclesias sed extensa ad fundandas et regendas Ecclesias inter omnes gentes singulis impertita immediate a Christo et Spiritu Sancto, infallibilitas singulorum in fide contra errores, impeccabilitas in charitate, contra schismata, haec inquam dona apostolatus non tollebant ius divinitus institutum in visibili capite Petro, sed ob perfectionem membrorum *exercitium directicum et coactivum* iurium ex parte Petri minus necessarium et raro vel umquam in actum deducendum, ex parte Apostolorum agnitionem eorundem iurium indefectibilem reddebant; fere ad analogiam eius iuris (si non dedeceret comparatio), quod Filius hominis in se concesserat Virgini Matri et s. Iosepho « subditus illis, » Hinc Apostoli ex divino iure in Petro instituto et ex indefectibili agnitione iuris instituti et se ipsos et Ecclesias omnes a se fundandas et regendas ut membra ad unam universalem Ecclesiam sub uno visibili capite Petro uniebant et subordinabant, *u* ut in una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas (divisas) sibi quisque defenderent, ut iam schisma-

1- 1

0 M<sup>1</sup> if

M' b-

....

tiens et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret » s. Optat, cont. Parmen. 1. II. c. 2. At desinentibus iam illis donis apostolatus *extraordinariis* in successione apostolica, cuius gratia potissimum perenne ius et officium petrae Ecclesiae est institutum, ut portae inferi numquam praevaleant adversus eam, sicut ius ipsum et officium perstitit, ita exercitii applicatio, licet diversis temporibus non uno semper modo, facta est debita et necessaria.

III. Quando uni super omnes tum singulos tum in unitate spectatos declaratur commissus principatus, ex hac *extensione* poterit quidem deduci, sed nondum satis explicatum est, qualis sit *intensione* ea potestas, ex qua formam visibilem ipsius Ecclesiae pendere manifestum est. Hoc ergo, quantum ad praesentem locum pertinet, adhuc manet inquirendum. ■ j

1°. Potestas communicata Petro primum tamquam in fonte, originaliter et exemplariter est in ipso Christo. Ipse est ac manet *pastor bonus* ovium suarum secundum triplicem modum sacerdotii in sacrificio redemptionis et in sacramentis sanctificationis: *a* et animam meam pono pro ovibus meis... et ego vitam aeternam do eis; *n* magisterii in doctrina salutaris veritatis: *a* et vocem meam audient, et erit unum ovile et unus pastor; » imperii in lege sanctae conversationis (1): *u* et ego cognosco eas, et sequuntur me... et non rapiet eas quisquam de manu mea. » Ipse est positus in Sion civitate Dei *lapis summus angularis, pretiosus*, in quo omnes fideles, tamquam lapides vivi, una domus spiritualis superaedificantur, idemque lapis offensionis: *a* qui ceciderit super lapidem istum (factum in caput anguli totius Ecclesiae), confringetur, super quem vero ceciderit, conteret eum» (1. Pet. IT. 1-9; Matt. XXI. 42-44; Act; IV. 11. 12; Rom. IX. 32. 33; Eph. II. 20-22.). Ipse *a* sanctus et verus, *qui habet clarem David*, qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit» (Apoc. III. 7. cf. Is.

(1) Ἡ ἀγαθή ἐν Χρ-στῷ ἀναστροφή 1. Pet. III. 16. I £■'

(2) Potestas in veteri Ecclesia populi Israel penes Isaiam 1. c. exprimitur his verbis: - et «labo elavem domus David super humerum eius (cf. principatus super humerum eius ib. IX. 6.); et aperiet, et non erit



Consideranti patebit, has proprietates, quod Christus fundator et caput Ecclesiae dicitur *lapis angularis* totius domus spiritualis et *tenens elavem*, domus David ad claudendum et aperiendum absoluta potestate, quatenus referuntur ad Ecclesiam in terris, tandem resolvi in eas, quas diximus esse Christi *pastoris boni*, quamvis in triplici diverso schemate alia atque alia notio praedominetur. Lapis enim angularis, in quo tota Ecclesia domus spiritualis superaedificatur et quo hostiles impugnatores conteruntur, Christus intelligitur, quatenus ab ipso originem ducit, in ipso indefectibilem firmitatem et unitatem habet Ecclesia in fide et doctrina, in sanctitate et mediis sanctificationis, in disciplina conversationis et regimine. Clavis porro ad claudendum et aperiendum absoluta potestate in domo David novi Testamenti generatim quidem supremum regimen seu imperium exprimit, speciatim vero pro ipso fine ac indole huius domus David significat potestatem claudendi et aperiendi in doctrina salutari et omnibus institutis sanctificationis. Haec autem ipsa sunt, quae vidimus Christum sibi ut munia *pastoris boni* assumpsisse.

Christus Verbum incarnatum *pascit, sustentat, firmat et unit, claudit et aperit* dupliciter; primum quidem secundum divinitatem *opere invisibili* illuminationis, directionis seu motionis, sanctificationis per Spiritum Sanctum, quem ideo promisit et misit ut *alium paracletum*, et quem

qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat. » Sicut domus David in veteri Testamento erat figura domus David in Testamento novo, ita etiam potestas illa erat adumbratio potestatis in regno Dei, haecque principaliter existens in ipso Christo exprimitur in Apocalypsi I. c. nomine *elatis David*. Etiam in loco altero Apoc. I. 18. suprema potestas designatur nomine *clavium*: « et fui mortuus et ecce sum vivus in saecula saeculorum, et habeo claves mortis et inferni » (του ἄδου). Devicit nimirum mortem in se ipso et pro nobis, et exspoliavit potestates infernales, quae habebant mortis imperium. Ponit « omnes inimicos sub pedibus eius, novissima autem destruetur mors n. 1. Cor. XV. 26. // Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolus » Heb. II, 14. cf. Horn. VI. 9; 1. Cor. XV. 54. 55; 2. Tim. I. 10; Apoc. XX. 14.

De Eliacim et aequipollenter loacim cui Is. XXII. 20. 22. datur clavis domus David confer ludith IV. XV. 9. (Welte Introd. in 11. deuterocan. V. T. cap. IV. §. 26.).

hoc sensu Tertullianus (Praescript. c. 28.) *u* Christi vicarium, » Irenaeus (III. 24.) « communicationem Christi dixerunt; tum vero secundum humanitatem Christus perenniter manet pastor bonus, petra, confirmator fratrum, clavim David tenens *u* in domo sua *n* (Heb. III. 6.) *opere visibili* per visibilem vicarium ministrum.

Ad hunc enim finem ut eadem munia, quae originaliter et exemplariter semper ei manent propria, iugiter perseverent et manifestentur in forma etiam visibili pro exigentia visibilis Ecclesiae, participationem *petrae, clavium regni coelorum, confirmatoris fratrum* promisit, eandemque omnem suae potestatis communicationem comprehendit et complevit per institutionem *pastoratus omnium ovium suarum* in uno Petro, *u* Verbum caro factum fuerat, et habitabat iam in nobis, ut reparando humano generi totum se Christus impenderet; nihil indispositum sapientia, nihil erat arduum potestati; famulabantur elementa, spiritus angelici serviebant... et tamen de toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiae patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, *omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.....* Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis qui facio utraque unum, ego fundamentum praeter quod nemo aliud potest ponere, *tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut (piae mihi potestate sunt propria, sint tibi merum participatione communia* *r* s. Leo serm. 3. c. 2. Firmitas haec petrae per Christum petram absque metaphora declaratur in promissione altera Luc. XXII. 31. 32 : *a* ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: *n* subditur deinde finis, ad quem haec indeficiens firmitas constituta est, functio nempe petrae, clavium, pastoratus erga fratres: et tu aliquando conversus *confirma fratres tuos* (1). *u* Denique

(1) στηριον του; αο-λφου; σου. Interna confirmatio per gratiam solius Dei est pertinens ad elementa Ecclesiae invisibilia τω δυναρ^νω ύαα; <πιΓ ριξαϊ κατα το εϋγγλ'ον Rom. XVI. 25; sed externa cokfirmatio? per-



Petrus Ecclesiae praeponitur, postquam tentatus a diabolo est; ideoque ante significat Dominus, quid sit illud, quod postea eum pastorem elegit Dominici gregis; nam huic dixit; tu autem conversus confirma fratres tuos » Ambros. in Ps. 43. n. 40. (cf. Quaest. in N. T. q. 75. inter Opp. August. T. III. append, p. 61.). Verumtamen quod in schemate petrae, clavium, pastoratus generalius dicitur, hic directe de functione divinitus iniuncti *magisterii* ad confirmationem fidei et doctrinae enuntiatur. « Specialis a Domino Petri cura suscipitur et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit: *in Petro ergo omnium fortitudo munitur*) et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, *ut firmitas quae per Christum Petro tribuitur* (in suo munere perenni), *per Petrum Apostolis conferatur* n (representantibus totam suam successionem) s. Leo serm. 4. cap. 3.

1 « )  
|

2°. Cum ex omnibus, quae diximus de congruentia et connexionione diversarum formularum, quibus potestas Petri in Evangeliiis describitur, et magis etiam ex eo, quod promissis omnibus Filii Dei, qui est a Amen, testis fidelis et verus n (Apoc. III. 14; 2. Cor. I. 19. 20.), necessario respondet complementum, abunde constet, omnia et singula quae de *petra*, de *clavibus regni coelorum*, de *confirmatione firatrum* promiserat, a divino fundatore plene comprehendi in ipsa iam institutione: u pasce agnos meos, pasce oves meas; » nunc reliquum est, ut verba ipsa institutionis distinctius consideremus.

t j

t?

4

...

a) Christus (ut iam praestruximus) *pastor bonus* erga oves suas et *pastor unus* erga unum ovile suum non modo *invisibiliter* ipse secundum divinitatem et per Spiritum Sanctum pascit Ecclesiam, sed voluit etiam hoc suum munus pascendi in Ecclesia visibili perpetuo exercere *visibiliter* per potestatem a se derivatam et institutam in Petro: u pasce oves meas. » Ergo hoc officium pastoris *ovium Chri-*

tinens al elementa Ecclesiae visibilia commissa est Petro erga totam fraternitatem ?eu Ecclesiam, quae inclusa hac confirmatione et per eam est a firmamentum εδοαιωρ-α veritatis » 1. Tim. III. 15.

*sti* accipit Petrus potestate *picaria* exercendum pro Christo pastore *suarum ocium*.

b) Quoniam ex superius demonstratis unus prae omnibus accipit munus pascendi erga omnes et super omnes oves Christi atque in totum ovile, ut unum est; ideoque tam singuli in toto quam totum in singulis seu tota unitas ei ut pastori subduntur: propterea haec Petri potestas soli Christo principi pastorum, prae quo ipse manet utique ovis pascenda, nulli vero ex ovibus nec toti ovili subiecta esse potest. Est ergo illa in toto ovili et in totum ovile visibilis potestas *suprema*.

e) Haec potestas pascendi est quidem «suprema, sed non sola» (s. Bernard. Consid. III. c.4. n. 17.), nec ullo modo excludit potestates in aliis pastoribus sive singulis sive in unitate totius a Christo instituendas (ut in alia thesi mox videbimus), quae tamen tum in singulis tum in toto corpore pastorum, quatenus hoc distinguitur a suo visibili capite et pastore supremo, necessario subordinantur isti uni supremo pastori. Quoniam vero hic supremus pastortus a Christo institutus est ut in omnes simul spectatas ita in singulas oves suas, idcirco pascendi potestates subordinatae licet *gradu et amplitudine* ex Christi institutione mediae inter supremum pastorem et gregem pascendum, non sunt tamen mediae *mediatione virtutis* hoc sensu, quasi illa potestas suprema non nisi per has inferiores in universum gregem pertingeret et exerceri posset, atque oves sive omnes sive singulae dumtaxat per has medias illi subiectae essent. - Pasce (tu quem interrogavi, amas me plus his? tu ergo tua potestate non per aliam dumtaxat) agnos meos, oves meas. » Ita Bernardus cum aliis (superius in nota citatis) ex his verbis ratiocinatur, « Habent Episcopi sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, *uni unus*; nec modo *ocium* sed et *pastorum* tu *unus omnium pastor*. Unde id probem, quaeris? ex verbo Domini... pasce oves meas » Consid. 1. II. c. 8. Ergo potestas pascendi in Petro sicut suprema et universalis ita institutore Christo est *immediata* super omnes et singulas oves Christi. 3

d) Ex his ipsis intelligitur esse potestas *ordinaria*



sensu iuridico (1), idque non solum quod non ex alterius hominis delegatione exercetur, sed tenetur vi muneris divinitus instituti, vice ac nomine Christi exercenda; verum etiam eo sensu, quod non solum ex adiunctis extraordinariis et in subsidium inferiorum potestatum, si forte deficiant; sed servatis normis divinis semper valide, et quoties bonum ovium postulet, officio debito sese exserit.

e) Amplitudo huius potestatis prae suis obiectis realibus seu intensive spectata determinatur ex eo ipso, quod est *suprema* potestas *vicaria* visibiliter pascendi oves Christi, communicata ab ipso, qui est et iugiter manet pastor bonus et pastor unus ovium suarum. Pascit autem Christus oves suas, ut superius vidimus, tum invisibiliter tum visibiliter doctrina veritatis in fide, lege conversationis in spe, donis sanctificationis in charitate. Sed nunc, saltem secundum oeconomiam ordinariam, hunc pastorum ipse princeps pastorum *visibiliter* in visibili Ecclesia *totum et unice* exercet per potestates vicarias ac ministeriales a se institutas. Unde possunt quidem esse in Ecclesia potestates inferiores sicut extensive quoad terminum personarum, ita intensive quoad obiecta realia restrictae intra certos limites modo ampliores modo angustiores; verum *universalis, suprema et immediata* potestas vicaria Christi ad pascendum totum eius ovile nec esse nec concipi potest, quin ea comprehendat omnia, quibus Christus oves suas in Ecclesia visibili visibiliter pascit. Ergo vicaria potestas in Petro secundum triplex obiectum pastoratus Iesu Christi, in doctrina, lege, mediis sanctificationis comprehendit potestatem supremi magisterii ad pascendum totum ovile doctrina

(1) *Ordinaria* potestas in lure dicitur, quae inhaeret ipsi perpetuo muneri legitime instituto, eaque opponitur potestati *delegatae*. Porro etiam distinguitur potestas *ordinarie* exercenda, et quae non valet nisi exercenda *extraordinarie* in specialibus adiunctis (uti est Archiepiscoporum erga dioeceses suffraganeas ordinaria quidem sed exercenda *extraordinarie*). Alio modo in theologia sermo est de *ordinaria* et *extraordinaria* potestate Apostolorum: prior intelligitur a Christo instituta perpetua ac proinde ad successores propaganda, altera solis Apostolis personaliter collate cum ipsis desiit, vel saltem non fixam et certa lege determinatam habet in Ecclesia successionem.

salutis, supremi regiminis ad gubernandum totum ovile (1) supremi sacerdotii seu potestatem liturgicam ad custodiendam et regendam sanctam administrationem misteriorum salutis in sacrificio et sacramentis ac cultu divino pro toto ovili (2). Est ergo potestas in Petro instituta etiam universalis obiecto reali, et in hoc suo obiecto non limitata per alias potestates interiores, sed *per se valida* easque sibi subiectas habens, seu est potestas *plena*, a Haec est enim potestatis plenitudo *omnia posse in aedificationem* (Robert. Lincolnens. anno 1253. apud Matthaeum Paris.).

l') Hinc eadem pastoralis potestas est et nomine a Scripturis derivato dicitur *episcopalis* (Act. XX. 28; 1. Pet. V. 2. textu graeco), sicut Christus ipse  $\sigma\upsilon\nu\omega\nu\nu^{\omega}$  dicitur

(1) Haec significatio *regiminis* in verbo *pascere*  $\kappa\omicron\iota\phi\iota\alpha\tau\epsilon\iota\nu$ ,  $\beta\omicron\sigma\zeta\iota\tau\iota\nu$ , ubi çietaphorice adhibetur, potissimum urgeri solet. Sane de regendis populis saepissime usurpatur tum apud scriptores profanos tum in libris sacris (2. Reg. V. 2; VII. 7: 1. Parai. XI. 2; XVII. G: Ierem. XXIII. 2. etc.). Vulgatus interpres aliquan.lo simplicité.- vertit *regere*, ubi hebraice est  $\text{׀ללזל}$  graece  $\text{zotuaivr.v}$  Ps. XXII. 1; XXVII. 9; LXXIX. 2<sup>^</sup> Matth. II. 6; Act. XX. 28; Apoc. II. 27. Advertendum vero est. potestatem regiminis coincidere quidem cum pastoratu, si illa accipiatur sensu generico, sed sensu specifico *potestas regiminis* pars tantummolo est non totum *potestatis pastoralis*. Sic *pascere* significat totam benevolam providentiam Dei erga dilectos suos Gen. XLVIII. 15; Is. XL. 11; Mich. V. 4; VII. 14; in Psalmis 11. ce.; aliquando expresse refertur ad doctrinam: • et dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina » Ier. III. 15: cf. XVII. 16; Eccl. XII. 11. Vulgatus Prov. X. 21. vertit *erudire*. - Evangelizare enim pascere est » Bernard. Consid. IV. c. 3. Potest itaque pastoratus lo. XXL dici *regimen*, dummodo hoc nomen accipiatur generali significatione complectens ea omnia, quae pertinent ad homines sub formali ratione ovium Christi visibili ministerio pascentes, haec vero, si instituaturs analysis, intelliguntur, quae diximus in textu magisterium, sacrum imperium, sacerdotium. I

(2) Potestas *sacerdotii* ad validum exercitium rituum consecrantium et sanctificantium, quae dicitur potestas *ordinis*, praecisione facta a magisterio et iurisdictione, gradus quidem habet velut específicos (in episcopatu, presbyteratu, diaconatu), sed in suis quibusque gradibus est indivisibilis non admittens maius aut minus, adeoque singulis rite consecratis inest tota ac propterea aequalis (cf. th. V.). At in singulis aequalis non est potestas, quatenus refertur ad regendos et *licite* administrandos ritus divini cultus, quod quidem regimen liturgicum non ad *ordinis* sed ad *iurisdictionis* et plerumque simul etiam ad *magisterii* potestatem pertinet.



ovium suarum *pastor et episcopus*, 1. Pet. IT. 25. Perinde ergo est dicere in Petro institutam *potestatem pascendi oves Christi* ac dicere supremam, universalem, immediatam, ac plenam potestatem *episcopalem*; et quemadmodum Christus potestate sibi propria et principali, ita Petrus potestate derivata et vicaria constitutus est *pastor et episcopus* totius visibilis Ecclesiae. Vide Concil. Vatican, sess. IV. cap. 3.

IV. Omnia quae hactenus dicta sunt, simul spectata demonstrant id, quod a nobis potissimum quaeritur, quomodo scilicet supremus pastoratus Petro communicatus a Christo principe pastorum constituat centrum et principium uniens, atque ita determinet formam visibilem totius visibilis Ecclesiae.

Γ. Dominus ipse diserte declaravit, <sup>r</sup> Ecclesiam <sup>r</sup> omnium gentium unum fore ovile eo, quod unus totius ovilis pastor sit futurus, *a* Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili (Israelis), at illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet *unum ovile et unus pastor* <sup>v</sup> (uix -Οψ.νη, ει ~οψ.ην) Io. X. 16. Est quidem Christus ipse unus pastor et suo pastoratu effector tum visibilis tum invisibilis unitatis: *a* ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum *n* (ibid. XVII. 23.); sed sicut omnia munia visibilia in Ecclesia ita et pastoratum suum unum et unificantem, ut fiat et maneat unum ovile et unus pastor, nunc cum iam non est in mundo (ib. XVII. 11-13.), visibiliter non exercet nisi per potestates vicarias a se institutas ut elementa visibilitatis et principia unitatis Ecclesiae suae.

Est itaque Ecclesia unum corpus compactum et connexum in suo capite et ex suo capite Christo, at connexio subministratur per multiplices iuncturas visibiles (de quo inferius data opera dicemus): *u* ipse enim dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem (ζκταρτισρ.ον) sanctorum in opus ministerii, ad aedificationem corporis Christi» (Eph. IV. 11-16; 1. Cor. XII. 12-28.). Hinc quoniam in toto organico partes singulae velut combibunt et praeseferunt naturam totius, in primis

Ecclesiae particulares ut membra Ecclesiae universalis habent. singulae in se unitatem per suum pastorem particularem : «pascite (*μῦν ἰνὸς ὑμῖν ἐστὶν ὁ ἄρθεος τοῦ Θεοῦ* providentesn (*ἐξισχοποῦντε;*) 1. Pet. V. 2. Singuli itaque pascunt singulos greges, in quibus sunt positi, et qui in ipsis sunt, eisque dant formam gregis et unitatem seu consummationem (*ζαταρτισαον* intimam coniunctionem) propriam partibus ac membris totius corporis. Hoc autem ipso quod membra sunt totius, ipsi pastores omnes inter se unum constituent uecesse est; non enim singuli seiuncti seiunctas formant Ecclesias; sed sicut singuli efformant unitatem partium, ita omnes simul cohaerentes tamquam corpus unum pastorum redigunt omnes partes in unam Ecclesiam universalem; atque ita spectati in unitate pastores et doctores dati sunt ad aedificationem totius corporis Christi ; et hoc positi a Spiritu Sancto regere totam Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (Act. XX. 28.). « Illi sunt *Ecclesia, plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens*; unde scire debes, *Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo*, et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse; et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando *Ecclesia, quae catholico, et una est*, scissa non sit neque divisa, sed sit utique connexa et *cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata* » Cyprian, ep. 69. ad Florent. Pupian. p. 123. « Ubi comparuerit Episcopus ; ibi et multitudo sit ; cjuemadmodum ubi fuerit Christus Iesus (in toto episcopatu, et in singulis Episcopis, quatenus cum toto uniuntur), ibi catholica est Ecclesia » Ignat. 31. ep. Smyrn. c. 8.

Multi igitur pastores singuli sunt forma unitatis in suis quique Ecclesiis particularibus h. e. partibus totius; omnes simul glutinum ad efformandam visibilem unitatem totius Ecclesiae catholicae non sunt, nisi quatenus ipsi inter se habent unitatem *visibilem*, unumque corpus constituunt. Iam vero ad hanc pastorum inter se et gregum omnium partialium *visibilem* cohaesionem. qua constituent *unam catholicam Ecclesiam*, opus est tamquam forma et glutino visibili unitatis catholicae uno supremo pastore totius Ec-



clesiae, seu ut Cyprianus aliique Patres loquuntur, una cathedra. « Deus unus est et Christus unus, et una Ecclesia et cathedra una supra petram Domini voce fundata » Cypr. ep. 40. p. 53. Re ipsa in suprema potestate unius Petri hoc principium unitatis a Christo constitui esse, ex superius demonstratis iam constat. Nam verbis promissionis in una petra declaratur aedificanda *Ecclesia Christi* simpliciter dicta, quae proinde universalis omnium gentium et hoc ipso *una* intelligitur. Quare sicut omnes fideles ita in primis omnes pastores tamquam iuncturae partiales uniuntur et continentur in unitate Ecclesiae catholicae (1) per illud unum fundamentum, cui Christus suam ipsius proprietatem *petrae* in ordine ad totam visibilem Ecclesiam communicat. Quod ipsum unitatis principium exhibetur tum suprema potestate clavium in totum regnum coelorum super terram, tum indefectibilitate fidei qua unus constituitur confirmator fratrum suorum, h. e. totius fraternitatis quae in mundo est (1. Pet. V. 9.). Haec vero omnia, quae continentur in promissionibus, complentur (ut superius ostensum est) quamvis sub alia verborum forma in ipsa institutione. Omnes enim oves Christi, quo nomine sane etiam illi veniunt, qui in ordine ad alias oves sunt pastores, ad unitatem gregis Christi subordinantur uni supremo et universali pastori.

Summa omnium haec est. Sicut singuli greges particulares habent suum vinculum uniens in suo quique pastore; ita hos greges omnes cum suis pastoribus particularibus in unum gregem et unum ovile coniungit instituta in Petro suprema et universalis potestas pastoralis secundum triplicem suam functionem magisterii, regiminis, sacerdotii: « pasce oves meas; » pastor originalis unus Christus cuius sunt oves propriae, pastor unus institutus a Christo Petrus

(1) Apud « Pastorem Hennaen » (Vision. III. n. 2. 5.) Ecclesia aedificatur turris ex diversissimis lapidibus, qui « coiiungebantur alter ad alterum, ita ut commissurae eorum non apparerent; et in hunc modum apparebat structura turris tamquam ex uno lapide aedificata. » Inter hos erant praecellentes et lapides illi quadrati et albi convenientes in commissuris suis; ii sunt Apostoli et Episcopi et doctores et ministri, qui ingressi sunt in clementia Dei. et episcopatum gesserunt, et docuerunt, et ministraverunt sancte et moleste electis Dei. »

cui eadem omnes oves sunt commissae; nemo in uno ovili Christi, nemo ovis pascitur a Christo, qui non sit pascendus a Petro. Haec igitur universalis et suprema soli Christo subordinata potestas in Petro ex Christi institutione est « glutinum » et visibile principium, quo formatur et continetur sicut omnium gregum ita et pastorum unum corpus et grex unus. Habes hoc idem praeclare expressum citatis supra (η. III. c.) verbis Bernardi.

2°. Hoc sane modo visibilis forma unitatis Ecclesiae ex ipsis verbis Christi institutoris in tota antiquitate Christiana intellecta est. Sed quia de Patrum doctrina nobis dicendum erit, ubi de perennitate potestatis Petri agemus, hic paucioribus nobis contentis esse licet.

Integra explicatio principii unitatis, quam dedimus, prostat in loco celebri Cypriani (de unitat. Eccles, p. 194. 195.) (1). Declarat ibi Cyprianus non solum alicuius particularis sed universalis Ecclesiae unitatem (2), quae manente unitate corporis « per orbem totum radios suos porrigit, et ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit. » In ea sola, inquit, veram fidem Christianam et salutem reperiri, quaerendum ergo esse, quomodo haec Ecclesia et unica et in se una constituta sit, ac ipsa sua unitate dignoscatur ab omnibus sectis tamquam ramis fractis ac rivis praecisis a fonte. Ad hanc et genuinitatem et unitatem Ecclesiae atque in ea ad totam fidei doctrinam cognoscendam « probatio est facilis compendio veritatis » (3). Compendium

(1) Textum Cypriani describo, ut eum secundum lectionem iam saeculo VI. a Pelagio II. (ep. ad Epp. Istriae) citatam et secundum editiones catholicas post Aldinara restituit Maranus curator editionis parata? a Baluzio, qui plura incisa, sicut etiam in sua editione Fellus Anglicanus, resecuerat. Ceterum illa incisa, quae in aliis etiam locis epistolarum Cypriani repetuntur, sensum clariorem quidem reddunt, nullatenus tamen immutant.

(2) De particularis Ecclesiae unitate dumtaxat Cyprianum agere, post Anglieanum Dodwellum (Dissert. Cyprianic. VII. n. 7.8.) a Marano confutatum (Praefat. in Opp. Cypriani p. VII.) contendit neoprotestantium pseudo-episcopus Reinkens (in libello de doctrina Cypriani), cuius mirae absurditatis strophas refellit cl. Bernardus Inngmann (Dissert, in hist, eccles. T. I. dissert. IV. n. 40. sqq.).

(3) Ad idem hoc compendium veritatis provocant Irenaeus et alii Patres, de quibus postea dicturi sumus.



vero istud facilis probationis Cyprianus in eo collocat, quod Christus tum promissione Mattii. XVI. tum institutione Io. XXI. suam Ecclesiam totam fundavit in uno Petro tamquam in exordio et fundamento, ex quo dimanat et efficitur unitas tum omnium pastorum velut unius corporis, *episcopatus unus*, tum totius Ecclesiae in universam terram extensae, *una mater fecunditatis successibus copiosa*. Sicut ergo illis verbis Christi, quibus ad Apostolos omnes indiscriminatim directis apostolatum constituit, par omnibus potestas collata est, ita verbis pertinentibus ad unum Petrum ut exordium et fundamentum continens unitatem episcopatus et Ecclesiae, haec specialis potestas efformans et conservans visibilem unitatem instituta est non communis ceteris sed propria uni Petro. Hunc esse genuinum sensum verborum Cypriani, ex ipsa eorum lectione luculentum erit, dummodo non ad alienum et contextui repugnantem significationem detorqueantur. Ea ex recensione Marani ita habent.

« Hoc (quod haereses et schismata sub ipso christiani nominis titulo scindunt unitatem) eo fit, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput (origo et fontale principium unitatis) quaeritur, nec magistri coelestis doctrina servatur. Quae (hic enumerata, originem, caput, doctrinam coelestis magistri) si quis consideret et examinet, tractatu longo et argumentis opus non est. *Probatio est ad fidem facilis compendio coritatis*. Loquitur Dominus ad Petrum: ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus... et tibi dabo claves regni coelorum... Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: pasce oves meas. *Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas*. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem (apostolatus) tribuat et dicat: sicut misit me Pater, et ego mitto vos... *tamen ut unitatem manifestaret* (efficeret manifestam et visibilem), *unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit* (non symbolum adumbrans unitatem velut theoretice exhibuit, sed actu suae auctoritatis disposuit seu instituit originem i. e. fontem et efficacem principium unitatis). Hoc erant utique et ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio

M

tu ■

praediti et honoris et potestatis (apostolatus), *sed wcr-  
dium ab unitate proficiscitur* (non exordium solum ten-  
poris in conferenda potestate, sed exordium permanens et  
efficax ad continendam unitatem Apostolorum et success-  
rum et totius Ecclesiae, ut Cyprianus statim explicat),  
*et primatus Petro datur, ut una. Christi Ecclesia et  
thetra una monstretur.* Et pastores sunt omnes, *et gfy  
unus ostenditur* (ostenditur efficienter per illud exordia  
unitatis), qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione  
pascatur, *ut Ecclesia Christi una monstretur...* qui Ec-  
clesiae renititur et resistit, *qui cathedram Petri, super  
quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse  
confidit?...* Quam unitatem firmiter tenere et vindicare  
debemus, maxime Episcopi qui in Ecclesia praesidemus, *m  
episcopatum quoque ipsum unum atque indicisum profy-  
mus... Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum  
pars tenetur* (1). Ecclesia quoque una est, quae in multi-

(1) Episcopatum *unum* considerat Cyprianus concrete in omnibus Epi-  
s opis simul sumptis, est ergo unitas moralis per consensionem et o»  
nexion^m omnium Episcoporum, ut alibi (ep. 52. ad Antonian, p. 73.]  
dicitur - episcopatus unus episcoporum multorum concordii numerositate  
diffusus. ? Principium autem visibile huius unitatis in toto cootena  
demonstrat a Christo institutum esse in Petro, super quem unum aedi-  
cavit Ecclesiam. Hoc posito quaeritur, quo sensu dicatur pars huius nnizs  
episcopatus a singulis teneri *in solidum* ? Hoc certe non potest intellip  
ea significatione, qua plures dicuntur teneri *in solidum*, quatenus si-  
guli non solum ad partem quique snam sed ad totum solvendum vel pra-  
standum obligantur. Quod enim singuli Episcopi ita teneant *in solid*<sup>TM</sup>  
episcopatum omnibus communem et per se absonum est et principiis Cy-  
priani et ipsi phrasi repugnans; tum scilicet non *pars* tantum sed totus  
episcopatus a singulis teneretur, et dicendum fuisset: episcopatus qeū  
est. qui a singulis tenetur in solidum. Alius est ergo sensus Cypriani.  
SoZidum idem significat ac *integrum*; sive de integritate totius agatur,  
sive de integritate partis, uti Tullius de publicatione et divisione bono-  
rum (or. pro Itab. Posth.) dixit: \* ita bona veneant, ut *in solidum* i»|u  
*cuique* solvatur, r Dupliciter ergo dici possunt singuli Episcopi parttu  
episcopatus tenere *in solidum*, a) Singuli, salva utique unitate et subor-  
dinatione sub unitatis principio quae in toto contextu urgetur, tenes\*  
partem *ex integro* h. e. non per modum partis, ad cuius possessionem e\*  
administrationem omnes quoque alii episcopi ius habeant, sed per molux  
*totius partiahs.* -quod ab uno tenetur et regitur. Ecclesiae enim partiale  
seu (ut nunc loquimur) dioeceses tum partes sunt Ecclesiae universalis



tudinem latius incremento fecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen (mox dicit *solis corpus*) unum; et rami arboris multi, sed *robur unum, tenaci radice fundatum*; et cum *de fonte uno* rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, *unitas tamen servatur in origine*. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fractus germinare non potest; a fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit (per particulares Ecclesias), unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec *unitas corporis separatur*; ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit, *unum tamen caput est et origo una, et una mater fecunditatis successibus copiosa, n*

R

Agnoscit igitur Cyprianus duplicem seriem textuum biblicorum, in quarum una pertinente ad omnes Apostolos par omnibus tribuitur honor et potestas apostolatus; altera pertinet ad unum Petrum, ubi Christus super illum unum aedificat Ecclesiam suam et ei dat primatum, idque in hunc finem, ut sua auctoritate disponat in Petro originem et exordium, caput, tenacem radicem ad continendam unitatem tum collegii Apostolici in sua successione perenni seu totius

I tnm singulae in se aliquod totum constituunt (vide supra hoc num. IV. 1.);  
i aude recte dicuntur Episcopi et partem totius et hanc partem *in solidum*  
tenere, sicut alio loco (ep. 55. ad Cornei, p. 86.) s. martyr ait: e sin-  
gulis pastoribus portio gregis est a scripta, quam regat unusquisque et  
guteruet rationem sui actus Domino redditurus. » At l) quia Cyprianus  
in universo tum remoto tum proximo contextu principaliter insistit, epi-  
swpatum unum atque indivisum esse debere, videtur istud *solidum* idem  
esse ac *unitas totius*, totus nempe episcopatus concordii numerositate in  
unitatem conionctus. Apud Pacianum (ep. 1. ad Sympron.) *solidare* si-  
gnificat coniungere partes in unum totum: «sacerdotes, inquit, per totum  
orbem cum Cypriano *par, una solidavit*; « ipsum igitur totum recte dice-  
tur *wlHum*, in quod partes omnes *solidantur*. Tum vero sensus exstat  
ontextui sane aptissimus: episcopatus unus est, cuius a singulis quidem  
pars tenetur, sed non nisi *in solidum* h. e. ita ut partes singulae ordi-  
nentur ad unum *solidum* seu ad unitatem totius, nec possint esse partes  
catholici episcopatus et verae Ecclesiae, nisi quatenus solidentur et unian-  
tur ad totum.

I



episcopatus tum Ecclesiae universae, ut radii una origine in solis corpore, rivi uno capite in fonte rami uno robore in radice rediguntur ad unitatem.

Haec ratio unitatis ita haesit in mente Cypriani, ut vix umquam commemoret aut unitatem episcopatus et Ecclesiae universalis aut ex altera parte Petrum et cathedram Petri, quin simul praedicet istud principium unitatis constitutus in Petro eiusque cathedra perenni, et effectum unitatis perpetuae in episcopatu et Ecclesia. « Dominus noster *Episcopi honorem et Ecclesiae suae rationem disponens* in Evangelic loquitur Petro: ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super istam petram aedificabo Ecclesiam meam... *inde* per temporum et successionem vices *Episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit*, ut Ecclesia super Episcopos constituitur. et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur » ep. 27. ad lapsos p. 37. « Petro primum Dominus, super quem aedificavit Ecclesiam, *et unde unitatis originem instituit et ostendit*, istam potestatem dedit, ut id solveretur in coelis, quod ille solvisset in terris... *Ecclesia quae una est, et super unum, qui et claves eius accepit, Domini voce fundata est* » epist. 73. ad Iubai. p. 131. 132. « Deus unus est, et Christus unus, *et una Ecclesia et cathedra una super petram Domini voce fundata* » ep. 40. ad pleb. p. 53. « Baptisma unum, et Spiritus Sanctus unus, *et una Ecclesia a Christo Domino super Petrum origine unitatis et ratione fundata* » ep. 70. adlan. p.125. (1) cf. ep. 69. ad Florent, p. 123; de habit, virg. p.176.

(1) Defendit quidem ibi Cyprianus suum errorem de baptismo haereticorum; sed omnino verum manet, extra unitatem, quae fundatur et constituitur in Petro, veram Ecclesiam nullam esse posse. Error est in W, quod putat verum baptisma esse non posse, ubi vera Ecclesia non est. Ita etiam Firmilianus (ep. 48. inter Cyprianicas p. 148.) cum aliis Patribus recte - fundamentum unius Ecclesiae quae semel a Christo super petram solidata est; sed praepostere argumentatur eum, qui apud synagogas haereticorum verum baptisma esse concedit, hoc ipso illas agnoscere ut veras Ecclesias. Conqueritur de Stephano Pontifice, - quod qui sic de episcopatus sui loco gloriatur et successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt, multas alias petras inducit; et Ecclesiarum multarum nova aedificia constituat, dum esse illic baptisai sua auctoritate defendit. Turneminus, Molkenbunz Alber, eruditissima

Cypriano consentiunt, et si quid in eo esset obscurius, verbis clarissimis collustrant hanc a Christo in Petro institutam rationem unitatis Ecclesiae Patres alii. « Ad Petrum locutus est Dominus, *ad unum ideo ut unitatem fundaret ex uno* » Pacian. ep. 3. ad Sympron. « Negare non potes (Donatista Parmenianus), scire te in urbe Roma Petro primum cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephias appellatus est, *in qua una cathedra unitas ab omnibus serraretur*, ne ceteri Apostoli singulas (divulsas ab unitate totius, seu *a solido*) sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret », Optat. 1. II. c. 2. cont. Parmen. « Est lectio de persona beatissimi Petri, ex qua *forma unitatis retinendae vel faciendae* descripta recitatur... *Bono unitatis beatus Petrus...* et praeferrari Apostolis omnibus meruit, *et claves regni coelorum communicandas ceteris solus accepit...* stant tot innocentes, *et peccator accipit claves* (1), *ut unitatis negotium formaretur* » ibid. 1. VII. c. 3. - Dicit Petro, *in quo uno format Ecclesiam*: Petre amas me? pasce oves meas » August, serm. 137. c. 3. Hanc formam unitatis et formationem Ecclesiae in uno Petro aliis verbis expressit Ambrosius: « Ipse est Petrus, cui dixit: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. *Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia* » in Ps. 40. n. 30.

Quod Cyprianus dicit, a Petro super quem aedificata est Ecclesia, decurrere Episcoporum ordinationem et Eccle-

Archiepis opus Tizzani contendunt epistolas Firmiliani et Cypriani huc spectantes omnes esse supposititias, de quorum rationibus indicium penes alios esto. Nobis tamen venia sit eas, praesertim Cyprianicas, habere ut omnino genuinas, ne huiusmodi scepticisme critico nimis multa antiquitatis monumenta in suspicionem vocare cogamur. Nescio, an causae veritatis serviant, qui hac methodo difficultates ab adversariis ingestas de fide Cypriani, de epistolis Honorii, imo (si superis placet) de symbolo constantinopolitano radicatus excindi posse censent.

(1) Petro claves regni coelorum promissae sunt diu antequam Christum negasset; verum Optatus non promissionem considerat sed collationem clavium, quae post negationem Petri et post Christi mortem et resurrectionem facta est aliis verbis: pasce oves meas; in quibus omnes praecedentes promissiones completas esse supra (η. II.) demonstravimus.



siae rationem et explicatius Optatus, Petrum solum bono unitatis accepisse claves ceteris comunicandas; hoc ipsum alii Patres repetunt. « Per sanctum Apostolum Petrum et apostolatus et episcopatus in Christo cepit exordium » Sircius ep. 4. ad Episcopos Afric. Innoc. I. ep. 2. ad Victric. a Ab Apostolo (Petro) ipse principatus et tota auctoritas nominis huius emersit » Innoc. I. ep. 24. ad Cone. Carthag. ep. 25. ad Cone. 3ilev. « Huius muneris sacramentum ita Dominus ad officium omnium Apostolorum pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocarit, et ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in corpus omne manare » s. Leo M. ep. 10. ad Episcopos prov. Vienn. a Magnum et mirabile huic viro (Petro) consortium potentiae suae tribuit divina dignatio; et si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus numquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit » id. serm. 3. in assumpt. sua.

Postremo dignitatem apostolatus omnibus communem, quam Cyprianus simul cum potestate in uno Petro ad formandam unitatem praedicat, non minus confitentur Patres alii in illis ipsis locis, quibus primatum in Petro ut fundamentum unitatis studiosius demonstrant, « Connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit, et haec connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed praecipue exigit concordiam sacerdotum. Quibus etsi dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis; quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praemineret » s. Leo M. ep. 12. c. 11. ad Anast. Thessal. Citatis primum verbis promissionis et institutionis Matth. XVI. Luc. XXII. Io. XXI. s. Gelasius I. hanc infert conclusionem. « Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? Numquidnam reliqui sancti et beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut capite constituto schismatis tolleretur occasio (1), et una

(1) Verba desumpsit Pontifex ex s. Hieronymi l. I. n. 26. contra Iovinian. ubi haec ipsa instituitur comparatio inter aequalitatem apostolatus et Petri praelationem; sicut et alibi saepius Gelasius solet respicere Hieronym.

monstraretur compago corporis Christi (c  
(piae ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret, et una esset Ecclesia, cui fideliter crederetur... Duodecim certe erant Apostoli paribus meritis pariipue dignitate suffulti; cumque omnes aequaliter spiritali luce fulgerent, unum tamen principem esse ex illis voluit Christus *n* Gelas, ep. 8. seu Tractat, contra schisma Acacian. (Harduin. T. II. p. 893. sqq.).

3°. Omnia quae in thesi demonstravimus, ad hanc summam revocantur. Divinus Salvator in praeparatione fundandae Ecclesiae suae disertis promissionibus praemonstravit, in ipsa fundatione claris verbis promissiones complementibus instituit hanc et non aliam visibilem Ecclesiae formam, ut ea tota tum in omnibus suis partibus ac membris tum quatenus unum corpus constituit, subesset gubernanda et pasceda alicui supremae intensione, universali extensione, immediatae, ordinariae atque ex his ipsis plenae potestati, haecque in uno resideret, quem ipsemet ex omnibus et super omnes Apostolos ea potestate instruxit, non sane ut illi sua sive extraordinaria sive ordinaria potestate et dignitate apostolatus privarentur, sed ut huic capiti supremo subordinati cum illo et inter se unirentur. In uno enim Petro tamquam petra aedificatur Ecclesia Christi simpliciter dicta. adeoque universalis et tota Ecclesia in terris tamquam una «domus spiritalis; » illi uni datur potestas clavium suprema, ut ligando atque solvendo administraretur ab ipso regnum coelorum visibile tamquam una « gens sancta et regale sacerdotium; » ille denique unus instituitur, qui pascat oves et agnos forma etiam visibili « fiat unus pastor et unum ovile, *n* Hic ergo supremus et universalis pastortus unius in ipsa fundatione et ab ipso divino fundatore insertus est Ecclesiae ad formandam et continendam visibilem eius unitatem in omnibus suis constituentibus elementis, ut sit *a* unum corpus et unus spiritus » sub unius capitis supremo regimine, « una fides » ac fidei doctrina sub eiusdem capitis supremo magisterio, « unum baptisma » et sacramentorum sacrique cultus administratio legitima sub eiusdem summo sacerdotio; haec enim sunt, quibus Ecclesia perenniter aedificatur et oves Christi pascuntur. Alunera

v

5



autem ista omnia tamquam participationes derivantur in caput visibile vicaria potestate institutioni sibi substitutum ab ipso Iesu Christo, qui heri et hodie ipse et in saecula manet *u* lapis angularis. *n* tenens « clavim domus David, » auctor et consummator fidei, » *u* magnus sacerdos et mediator novi Testamenti, » « caput corporis sui, Ecclesiae. » I

Quam certo igitur constat, Ecclesiam esse institutam a Christo, tam certum est, formam visibilem eiusdem non humanae dispositioni relictam sed a divino fundatore ipso fuisse determinatam, hancque esse formam *monarchicam*; coincidunt enim et in unum concurrunt institutio visibilis Ecclesiae et determinatio eius formae. Quatenus vero cum monarchia non commixta sed coniuncta sit aristocratia, inferius considerabimus. Interea ex demonstratis iam patet, formam de qua diximus, cum sit divini et incommutabilis iuris hocque ipso *Ecclesiae Iesu Christi* essentialis, necessario etiam esse perennem et tamdiu propagandam ac conservandam, quamdiu ipsa Ecclesia persistit omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Nihilominus haec perennis propagatio et propagationis modus specialem adhuc requirit considerationem. %, H

## THESIS XL

### *De monarchiae ecclesiasticae propagatione seu de perenni in primatu Petri successione.*

1°. Christus Deus ipse sicut primatum in Petro, ita non minus di-  
vino iure instituit hunc primatum perennem in sua visibili Ecclesia,  
ut perpetua serie singulos antecessores singuli successores excipiant,  
quae institutio perennitatis et successionis in evangeliiis descripta fide  
divina credenda est. 2°. Postquam Petrus in sua persona gerens pri-  
matum a Christo sibi commissum fundavit et sibi assumpsit episcopa-  
tum seu sedem Romanam, hancque morieas reliquit vacuum cum exi-  
gentia successionis tam in primatu quam in episcopatu Romano, modus  
ipse successionis in primatu determinatus est, ut successio legitima in  
episcopatu Romano sit successio in primatu super universam Ecclesiam;  
ita enim ius divinum successionis determinatum semper et ubique in-  
tellexit universa Ecclesia, quemadmodum demonstrat Conciliorum, Ro-  
manorum Pontificum ceterorumque Patrum consentiens doctrina, quae  
ipsum evidens et perpetuum factum unionis primatus cum sede Romana  
Petri declarat. »

T. Institutio visibilis petrae Ecclesiae, confirmatoris fra-  
trum, pastoris ovium Christi in singulari persona Simonis  
Petri, ut in superiori thesi demonstrata est, continet etiam  
institutionem perennis successionis in eodem munere eadem-  
que potestate creata a Christo Deo in Petro ut in exordio  
et velut primo membro totius seriei perpetuae successorum.  
*a Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam  
meam, et portae inferi non praevallebunt adversus eam;  
et tibi dabo claves regni coelorum, et quodeumque ligaveris  
super terram, erit ligatum et in coelis, et quodeumque  
solaveris super terram, erit solutum et in coelis.* Rogavi  
pro te. *ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus  
confirma fratres tuos. Pasce oves meas, n*

d) Obiectum quod potestati et actibus Petri assignatur  
ac subditur, ut supra ostensum est, unum idemque exprimi-  
tur quatuor modis aequipollentibus. Fratres enim omnes si-  
mul qui sint confirmandi, « fraternitas quae in mundo est, n



oves Christi pascendae simul spectatae, « unus grex et unus pastor » rem eandem significant ac Ecclesia Christi aedificata in petra, et regnum coelorum in quo omnia ad illud pertinentia ligentur et solvantur clavibus Petro datis. Iam vero haec Ecclesia Christi (regnum coelorum in terris, fraternitas una, grex unus Christi principis pastorum) ex promissione et institutione ipsius perstabit usque ad consummationem saeculi, quod inferius adhuc demonstrandum hic merito praesumimus, et ceterum in hac ipsa declaratione petrae promittitur, quoniam huius positi fundamenti Ecclesiae finis ac munus esse dicitur, ut portae inferi numquam praevaleant adversus eam. Igitur cum Ecclesia sua perenniter conservanda Christus coniungit atque in ea instituit ut causam ministerialem et instrumentaliter efficientem conservationis perennis munus ac potestatem Petri, tamquam visibilis petrae, administratoris clavium, confirmatoris fratrum, pastoris ovium. Ergo sicut perennitas Ecclesiae ita non minus perennitas muneris ac potestatis Petri a Christo promissa est et instituta, finaliter quidem haec propterea illam, efficienter vero haec quodammodo prior illa.

b) Consideremus actus huius muneris et potestatis in Petro institutae. Ecclesia Christi aedificata in petra non sane intelligitur sensu materiali, sed sensu theologico domus spiritualis n fidelium nempe qui ab Apostolis dicuntur « vocati in societatem Filii Dei Iesu Christi, » et u societatem habere ad invicem » 1. Cor. I. 9; 1. Io. 1. 3. 7. Proinde etiam petra sensu homogeneo huic domui spirituali intelligitur is, qui potestate supernaturali et actibus huius potestatis istam societatem fidelium sustentat contra portas inferi, regit, ac continet in unitate, cuiusmodi actus a Christo ipso designantur *ligare et solvere* quaecumque ad regnum Dei pertinent, *confirmare* in fide, *pascere* sensu superius explicato. Atqui hi actus erga Ecclesiam iniunguntur a Christo non solum ut praeteriti, qui aliquando exerciti a Petro iam deinceps desierint, sed imo non possunt intelligi nisi qui ab homine ea potestate eoque munere instructo exercentur per omne aevum, quo perstat Ecclesia ad quam referuntur ut ad suum obiectum. Ergo Petrus, ut a Christo ea potestate et eo munere erga Ec-

clesiam instructus est, perenniter vivens suis actibus sustentat ut visibilis petra unus unam Ecclesiam, eam administrat ligando et solvendo suprema clavium potestate, confirmat in fide, pascit docendo, regendo, sanctificando normis ac modis a Christo institutis. Atqui perennitas haec non est in persona **Petri**, cui praedictum est in ipsa muneris institutione, qua morte clarificaturus esset Deum (Io. XXI. 19.); ergo in **Petro**, cui singulariter prae omnibus aliis Apostolis et in expressa distinctione ab omnibus aliis *uni-* commissum est munus illud supremum in Ecclesia et super Ecclesiam, instituta est perennitas ita, ut in eadem potestate et in iisdem officiis perpetua successione semper singuli successores excipiant singulos antecessores inde a **Petro** velut prima radice totius seriei, quamdiu aedificata in hac petra, cuius vis et ratio eadem manet ex ipsa institutione in singulis successoribus, Ecclesia perstabit firmata a Christo per ipsam petram, ut portae inferi non praevaleant adversus eam. Cum itaque potestas, quae in **Petro** instituta est propaganda ad successores, aequae pro his singulis sit instituta, eadeinque perenniter derivetur a Christo capite Ecclesiae et principe pastorum eius nomine in eius Ecclesia exercenda; singuli aequae ac **Petrus** sunt et dicuntur *Vicarii Christi* in regno Christi in terris. Nihilominus quia, ut vidimus, in ipsa institutione, potestatis nomine **Petri**, ut in prima radice totius seriei, comprehendantur omnes eius successores, et quia propterea **Petrus** non utique in sua persona sed in sua potestate recte dici potest et a Patribus dicitur « ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivere » (Philippus legatus in Cone. Ephesino), a cuius nempe in sua sede vivit potestas et excellit auctoritas, » ut ait s. Leo (serm. 2. c. 3.): hanc successionem in eadem potestate Patres significant, quando successores **Petri** appellant *Vicarios Petri* vel etiam *Vicarios apostolicae sedis* (s. Gelas, ep. 4. ad Anast. imperat.). *Vicarii Christi* sunt, quia *vices gerunt* Christi in potestate ei originaliter propria et eius nomine exercenda; *Vicarii beati Petri* sunt, quatenus eius *vices excipiunt* succedendo in eadem potestate a Christo instituta; et sensu eodem *Vicarii apostolicae sedis*, quatenus in potestate quam Apostolus gloriosa sanguinis effusione

v

K »!

pvit



decoratus *in sua hac sede* propagandam reliquit <sup>eiusdem</sup> *Apostoli cice succedunt.* -^^38

II. Perennis haec successio in Petri primatu, quam ipsis verbis promissionis et institutionis contineri ostendimus, semper in antiquitatis Christianae fide et professione celebrata est; imo quod hic potissimum spectamus, ipse *inodus successionis* tum communi omnium aetatum professione tum rebus gestis certus et indefectibilis agnitus est. Sicut enim potestas in Petro instituta, ut eam in superiori thesi descripsimus, semper credita et praedicata est vigere in singulis Petri successoribus, ita successio Petri numquam alia audita est vel agnita, nisi successio *in sede Romana* Petri, quam ipse sibi ut episcopatum peculiarem adoptatam martyrio consecravit, sicque facto suo iam incommutabili sedem seu episcopatum Ecclesiae particularis evexit ad sedem et episcopatum *u* potentioris principalitatis, *n* ut loquitur Irenaeus, ita ut in huius Romanae sedis heredibus Petrus semper vivens, ratione nempe plenae potestatis in eo institutae, a Conciliis, ab ipsis Romanis Pontificibus et a ceteris Patribus agnitus sit et praedicatus.

1°. Ad professionem erectionis sedis Romanae per Petrum, ac proinde muneris ac potestatis Petri in successore huius sedis Apostolicae Patres Concilii Sardicensis dicunt, se *a* sancti Petri Apostoli memoriam honorare » in Iulio Romano Episcopo (can. 3.); quod explicant in synodica epistola ad ipsum Iulium: *a* hoc enim optimum et valde congruentissimum videbitur, *si ad caput id est ad Petri Apostoli sedem* de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes *n* (Constant, ep. 3. inter epp. Iulii) (1). In Concilio Ephesino Philippus legatus sedis Apostolicae ad solemnem definitionem et condemnationem Nestorii firmandam declaravit tamquam omnium saeculorum notoriam professionem, universas in Petro institutas praerogativas vigere easdem in eius Romanae sedis successoribus, *u* Sancta membra (Patres Concilii oecumenici) sancto capiti (Coelestino) vos adiunxistis (in damnando haeretico); non enim

(1) Suspiciones a Protestantibus quibusdam ingestae de interpolatione huius loci, inanes habendae sunt. A

ignorat vestra beatitudo, *totius fidei vel etiam Apostolorum caput esse beatum Apostolum Petrum...* Nulli dubium imo omnibus saeculis notum est, *quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique columna, et Ecclesiae catholicae fundamentum.....* ad hoc usque tempus et semper (tempore hucusque elapso et omni tempore futuro) *in suis successoribus vicit et indicium exercet.* Huius itaque secundum ordinem (perpetua nempe serie a Christo ordinata) successor et locum tenens (ἡ ζῆτα τάξις ὁ διάδοχος κῆρ τοποτηρητής) (1) sanctus beatissimusque Papa noster Coelestinus Episcopus nos ipsius praesentiam supplentes ad hanc sanctam synodum misit » (Hard. T. I. p. 1471. 1478.). In Concilio Chalcedonensi post lectam epistolam Leonis Romani Pontificis Patres acclamando professi sunt: «anathema ei qui "non ita credit; *Petrus per Leonem ita locutus est* » (Hard. II. p. 306.). Eadem est professio Patrum Concilii VI. de Romano Pontifice Agathone. « *Summus nobiscum Apostolorum princeps concertabat; illius enim imitorem et sedis successorem habuimus fautorem. . . atramentum videbatur (epistola utraque ad Cone, et ad Imperat.), et per Agathonem Petrus loquebatur* » (Hard. III. p. 1422. cf. p. 1159. 1287.). Legatis Apostolicis ad Concilium VII. Hadrianus I. duas dedit epistolas unam ad imperatorem Constantinum eiusque matrem Irenem, alteram ad Tarasium episcopum CP. Utraque lecta in Concilio « sancta synodus dixit: tota sacratissima synodus ita credit, ita sapit, ita dogmatizat.?? Tum ad explicitam interpellationem factam a duobus legatis Pontificis, an admittant litteras sanctissimi Papae senioris Romae, «sancta synodus dixit: sequimur, et suscipimus, et admittimus. ?? Tarasius deinde suis litteris ad Pontificem professus est, ipsum iisdem epistolis « velut oculum totum corpus ad rectitudinis et veritatis semitam direxisse, sicque catholicam Ecclesiam unitatem recepisse. ?? Iam vero in utraque epistola Pontifex studiose declarat perennem totius potestatis Petri a Christo institutae successionem in sede Romana. « Ipse princeps Apostolorum beatus Petrus qui Apo-

F  
J  
I

fit.

1

F Γ

; H

(1) Recole quae diximus de appellatione *Vicarius s. Petri.*



stolicae sedi p̄mnus praesedit, *sui apostolatus principatum ac past̄rali curae successoribus suis, qui in élus sacratissima sede perenniter sessuri sunt, dereliquit,*' quibus et auctoritatis potestatem, *quemadmodum a Salratore nostro Domino Deo ei concessa est, et ipse quoque suis contulit, a' tradidit dirinn iussu successoribus Pontificibus* (1) (Hard. IV. p. 82. 94. 102. 510.). In Concilio VIII. Patres professionem fidei a Romano Pontifice Hadriano II. propositam (ex formula iam pridem contra Acacianum schisma ab Hormisda Pontifice praescripta) ediderunt, qua declaratum est. dicta Petro aeque pertinere ad Petri Apostolicam sedem. Nam ideo, inquit. - *in sede Apostolico* immaculatam semper catholicam reservatam esse religionem et sanctam celebratam doctrinam, » ac proinde oportere « *in una communione esse, quam sedes Apostolico praedicat,* \* .. quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: tu es Petrus et super hanc petram, aedificabo Ecclesiam meam - Hard. V. p- 773. 774.) (2) cf. Cone. Vatie, sess. 4. c. 4. ¶

2°. Eodem modo Romani Pontifices non solum non contradicentibus sed ultro consentientibus Episcopis et Ecclesiis quibus scribebant, totam potestatem a Christo in Petro

s  
λ

¶) Textus latinus originalis est, versio vero graeca. ut nunc eam habemus, hoc loco non solum falsis sed etiam absurdis sententiis est deturpata, nec crederi potest in Concilio coram legatis Pontificiis ita eam recitatam fuisse \*. Ceterum quod hic in epistola ad imperatores dicitur, quoad sensum eodem modo tum in textu latino tum in consona versione graeca dilucidatur in epistola altera ad Theodosium. Ibi praemissis verbis Christi, tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, subditur: οὐ (του Πέτρου) ὁ θρόνος; τ. ιζ' ζην ὡς πρῶτων οἰαλαρα ζ. ν. π. ζ. ζακτ, πάντων των ἐξζλη. «7 του Ὄζου ὑπαρ/σρ ὕθεν ο αὐτό ρ,αζχρ.ο Πέτρο ὁ ζποστολο τω του ζτιου προσταγαατ. ποιαινων την εκκλησιαν ούθεν παρ ~Tf

2) Auctori huius Concilii integra nō habemus nisi in versione latina Anastasii Bibliothecarii, qui tempore Constantini missus a Ludovico II. imperatore. Constantinopoli praesens plurimum invitatos legatos Pontifici et acta ipsa auctoritate nominatim hanc fidei professionem ad omnibus Episcopis subscriptam Romam pertulit, (Graeca exstant, non sunt nisi compendiosa excerpti - ex Actis sanctae oecumenicae synodi oecumēnae - (Hard. V. p. 1025.

institutam sibi aequae ac Petro ipsi collatam esse, idque ab universa Ecclesia semper agnitum et agnoscendum esse vindicabant non alia ratione, nisi quia ipsi sunt Petri successores in Sede Romana seu in hac Ecclesia particulari a Petro sibi singulariter assumpta. S. Siricius se muneris ac potestatis Petri heredem atque idcirco velut unam cum eo personam profitetur. « Portamus onera omnium (in universa Ecclesia) qui gravantur, quin imo *haec portat in nobis beatus Apostolus Petrus*, qui nos in omnibus, ut confidimus, *administrattonis suae protegit ac tuetur heredes* » (ep. 1. ad Himer. Tarracon. n. 1.). Hinc violare « regulam » a Petri herede praescriptam idem est ac « *ab apostolicae petrae, supra quam Christus universalem construxit Ecclesiam*, soliditate divelli » (ibid. n. 3.). Ita suprema potestas beati Petri, sedis Apostolicae, et cuiusque pro tempore Romani Pontificis semper in unum idemque reducitur in epistolis ad Ecclesias occidentis et orientis. Consulantur Innocentius I. (ep. 29. n. 1. ad Cone. Carthag.), Zosimus (ep. 2. n. 1 ; ep. 12. n. 1. ad Aurei, et Eppos Afric.), Bonifacius I. (epp. 4. 5. 13. 14. 15. ad Ruf. Thessalon.), Coelestinus I. (ep. 3. ad Eppos Illyriae; ep. 25. n. 9. ad plebem Constantin.), Xystus III. (ep. 6. n. 5. ad Ioan. Antiochen.). « In requirendis Dei rebus ait Innocentius, antiquae traditionis exempla servantes, ad nostrum approbastis referendum esse indicium, scientes *quid sedi Apostolicae, cum omnes hoc loco positi* (in serie Pontificum) *ipsum sequi desideremus Apostolum, debeat*, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas huius nominis emersit. *Quem sequentes tam mala damnare novimus quam probare laudanda*, » Etenim Patres antiqui « non humana sed *divina decrevere sententia*, ut quidquid quamvis de disiunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius sedis notitiam perveniret, ut tota huius auctoritate, iusta quae fuerit pronuntiatio, firmaretur, indeque sumerent ceterae Ecclesiae. » Haec ab Innocentio dicta in condemnatione haeresis Pelagianae, iisdem paene verbis repererunt postea Episcopi Africani postulantes damnationem monotheletismi in epistola ad Theodorum Pontificem, quae lecta et approbata est in Concilio Lateranensi sub Mar-



tino I. (Hard. T. III. p. 734.). Quod Innocentius plenam et universam auctoritatem (ut quidquid do disiunctis remotisque provinciis ageretur, huius sedis tota auctoritate firmaretur) in malis damnandis et probandis bonis sibi asseruit, quia Sedes Romana est Sedes Apostolica (Apostoli nempe Petri), in qua omnes sequi desiderant Apostolum; id Africani ex sua parte ita exprimunt: Apostolicae sedi - *in honore beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quae omnino et sollicite debent, maxime vero iusteqnè ab ipso praesulum examinari cortice Apostolico, cuius vetusta sollicitudo est tam mala damnare quam probare laudanda...* ut huius auctoritate, insta quae fuerit pronuntiatio, firmaretur, *indeque sumerent ceterae Ecclesiae celui de natali suo fonte praedicationis exordium, et per diversas mundi regiones puritatis incorruptae maneant fidei sacramenta salutis* n (mysteria ac dogmata fidei salutaris). Quando hic et alibi saepe » Patrum decreta » inducuntur, patet haec declarantia (per clavim magisterii et doctrinae) potestatem in Petro divinitus institutam, non decreta constituentia (per clavim dumtaxat iurisdictionis proprie dictae et ecclesiasticae legislationis) debere intelligi, sicut Innocentius de tota Petri in Romano Pontifice potestate dixit « Patres non humana sed divina decrevisse sententia. n Hoc ipsum sicut et potestatis Petri in universam Ecclesiam hereditatem ratione successionis in particulari sede episcopatus Romani docuerunt luculenter ceteri, quos citavimus. « Tantam huic Apostolo, scribit Zosimus, canonica antiquitas per sententias omnium voluit (declarando nempe) esse potentiam, *ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut et ligata solveret et soluta vinciret; par potestatis data conditio in eos, qui sedis hereditatem ipso annuente meruissent; habet enim ipse cum omnium Ecclesiarum tum huius maxime, ubi sederat curam* (1); nec

(A) Curam habet in coelo modo, quo beatis comprehensoribus pro diverso gradu id competit (vide Tract, de Deo th. XVII. η. II. 4°.), sed in terris curam habet Petrus, quatenus singuli successores non quidem persona sed potestate sunt Petrus.

*patitur aliquid privilegii* (Ecclesia ubi sederat) *aliqua titubare aura sententiae* (i. e. vocari in dubium), *cui ipsa sui nominis firma et nullis hebetata motibus constituit fundamenta* (1) et quae sine suo periculo temere nullus incessat. *Cum ergo tantae auctoritatis Petrus caput sit*, et sequentia omnium maiorum studia firmaverint (post Christi Dei promissionem et institutionem maiorum studia traditione theoreticâ et practice firmaverunt), *ut iam humanis quam divinis legibus et disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia, cuius (Petri) locum nos regere, ipsius quoque potestatem nominis obtinere* (Apostolicum successorem in potestate Petri), non latet vos; .... tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus, quod non ad vestram (Episcoporum Africae) notitiam nostris ultro litteris referremus. » Bonifacius I. (ep. 4.) iura potestatis, ait, a Petro dominica voce acceptae constituere *sedem Romanam, quia est sedes Petri, a fundamentum ac petram spiritualem Ecclesiae.* » Nam (ex ep. 14.) *u institutio universalis nascentis Ecclesiae de beati Petri sumpsit honore principium, in quo (Petro) regimen eius et fundamentum consistit...* Nicaenae synodi non aliud praecepta testantur, adeo ut non aliquid super eum (Petrum, qui tunc erat et singulis quibusque aetatibus est Pontifex Romanus) ausa sit constituere, cum videret nihil super meritum suum (super id quod a Christo obtinere meruit) posse conferri, *omnia denique huic rtoerat Domini sermone concessa. Hanc ergo (Ecclesiam Romanam) Ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum certum est esse membrorum*, a qua se quisquis abscidit, fit christianae religionis extorris, cum in eadem non coeperit esse compage » (2). Ita etiam ex ep. Io. « *manet*

(1) Ecclesiae videlicet Romanae Petrus *sui nominis fundamenta* constituit nullis hebetanda motibus, quia, posito facto adoptionis huius sedis usque ad exitum ex hac vita, iam est et manet *Ecclesia Apostolica Petri*, qui in se et in suis successoribus potestate et firmitate accepta a Christo est petra, supra quam aedificavit Ecclesiam suam.

(2) Eodem sensu Cyprianus loquens de Schismatico Novatiano: scias nos primo loco nec curiosos esse? debere quid ille doceat, cum foris doceat; quisquis ille est et qualiscumque est, *christianus non est qui !?* « *Christi Ecclesia non est* \* Cyprian. ep. 52. ad Anton, p. 73.



(Bouifacii et quovis antecedente aut subséquente tempore) *beatum Apostolum Petrum per sententiam dominicam universalis Ecclesiae ab hoc sollicitudo susc'pta; quippe quam Erangelio teste in se norerit esse fundatam;* nec umquam eius honor vacuus potest esse curarum, cum certum sit, summam rerum ex eius deliberatione (Petri nempe non in coelo sed in terris deliberantis et indicantis) pendere. Quae res *animum meum* usque ad orientis loca extendunt. » Demonstrat deinde, *u* maximas orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione maiore, sedem semper consuluisse Romanam, » idque probat inductis exemplis Alexandrinae, Antiochenaе, Constantinopolitanae Ecclesiae, et omnium universim orientalium. His omnibus antecessoribus suis consentiens Coelestinus I. (ep. 3.) *u* nos praecipue circa omnes cura constringimur, inquit, *quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in sancto Petro Apostolo, eum clares aperiendi claudendique daret, induisit.* » Hinc suam adversus Xestorium sententiam, sicut Concilia profiteri vidimus, beatissimum Petrum semper in suis successoribus vivere et indicium exercere et concertare et loqui, Coelestinus (ep. 25.) simpliciter tribuit beato Petro. «Nec tamen *beatus Petrus Apostolus* deserjiit tam graviter laborantes clerum et populum Constantinopolitanum); nam cum separari tale ulcus de ecclesiastico corpore horrens omnibus putredo suaserit, cum ferro *obtultimus* lomentum (Coelestinus veniam promittens resipiscenti), sed ille abusus *nostro studio...* medicinam respuens elegit abscindi. » In eadem causa, postquam Joannes Antiochenus fautor Xestorii tandem cum suis orientalibus Episcopis consentit in damnationem haeresiarchae, Xystus III. successor Coelestini scripsit ad Ioannem gratulando reditum ad unitatem Ecclesiae: *a* expertus es praesentis negotii eventu, *quid sit sentire nobiscum, Beatus Petrus Apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit..* Non parum nobis oneris non parum laboris incumbit, ut Ecclesiae Domini macula desit et ruga, *n*

S. Leo eo modo, quo hactenus vidimus penes Pontifices antecessores, ubique haec duo distinguit, primum quidem merita et intercessionem beati Petri apud Deum, quae ipsi

in coelo sunt propria et personalia tum vero potestatem, munus et officium gubernandi Ecclesiam universalem, quae sicut ipsi fuerant collata a Christo, ita manent semper eadem in Petri sede et Petri herede, hoc est singulis Romana in sede successoribus, *u Nec abest ab hoc coetu beatissimi Apostoli Petri pia dignatio et fida dilectio... probans ordinatissimam totius Ecclesiae caritatem, quae in Petri sede Petrum suscipit, et a tanti amore pastoris nec in persona tam imparis tepescit heredis* „ (serm. 2. c. 2.). *u Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseoerans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit...* Si quid itaque a nobis recte agitur recteque discernitur, si quid a misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius est operum atque meritorum, *cuius in sede sua civit potestas, excellit auctoritas... in persona humilitatis meae ille intelligatur, ille honoretur,* in quo et omnium pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, *et cuius dignitas etiam in indigno herede non deficit* » (serm. 3. c. 3. 4.). *u Ad beati Apostoli Petri sedem ex toto orbe concurritur, et illa universalis Ecclesiae eidem a Domino commendata dilectio (Io. XXI. 15-17.) etiam ex nostra dispensatione deposcitur...* Subiungit autem *se non solum apostolica sed etiam episcopalis beatissimi dignitas Petri, qui sedi suae praeesse non desinit, et indeficiens obtinet cum aeterno sacerdote consortium; soliditas enim illa quam de petra Christo etiam ipse petra factus accepit, in suos quoque se transfudit heredes* » (serm. 5. c. 2. 4. cf. serm. 82. c. 1; ep. 6. c. 2 ; ep. 10. c. 1. 2.). Videlicet episcopalis dignitas in sede particularis Ecclesiae Romanae iam coniuncta est cum dignitate apostolica a Christo collata Petro super Ecclesiam universalem, haecque dignitas utrumque *indeficiens* Petri est participatio seu consortium, cum aeterno sacerdote Christo. Quomodo vero apostolatus cum episcopatu Petri iam defuncti possit esse et sit indeficiens in Ecclesia, sanctus Pontifex dat rationem ; *soliditas enim* petrae, hoc est tota praerogativa, qua Petrus petra factus est a Christo petra, transit in singulos Petri heredes.

Eandem doctrinam vindicavit Gelasius I. fortissimus



fidei et unitatis catholicae defensor adversus Anastasium imperatorem et Episcopos Constantinopolitanos in schismate Acaciano et haeresi monotheletica. *a* Qua enim ratione vel consequentia aliis sedibus deferendum est, si *primae beatissimi Petri sedi* antiqua et vetusta reverentia non defertur, per quam omnium sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata (quod postea dixit s. Gregorius: meus honor est, fratrum meorum solidus vigor), trecentorumque decem et octo Patrum (Nicaenorum) (1) invicto et singulari indicio vetustissimus indicatus (al. vindicatus) est honor? utpote qui Domini recordabantur sententiam: *tues Petrus.... rogavi pro te..... pasce oves meas* (Matth. XVI. Luc. XXII. Io. XXI.)... ut una monstraretur compago corporis Christi, *quae ad unum caput gloriosissima dilectionis societate* concurreret;... maiores nostri reverendi illi Ecclesiarum magistri (Patres Nicaeni vel Sardicenses) *ad illam sedem quam princeps Apostolorum sederat Petrus*, sui sacerdotii sumpta principia (cf. Patres citatos in thesi antecedenti η. IV. 2.) repleti Christi caritate mittebant, suae inde soliditatis gravissima firmitatis roboramenta poscentes. « Post alia ita concludit: « Unum principem esse ex illis (Apostolis) voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in praecipuam urbem vel primam primum et praecipuum dirigeret Petrum: ibique... sanguinis gloriosa effusione decoratus *externo hospicio conquiescit, praestans sedi quam ipse benedixit, ut a portis inferi numquam pro Domini missione vincatur, omniumque sit fluctuantium* (ad fidei firmitatem et communionis unitatem) *tutissimus portus.* » (ep. 8. seu Tract, contra schisma Acac.). «Si cunctis generali-

(1) Appellatur vel ad sextum canonem Nicaenum, ut a Paschasino legato recitatus est in Concilio Chalcedonensi (Hard. II. p. G38.) et in aliquot antiquis versionibus habetur, at [ue etiam inductus videtur ab imperatore Valentiniano III. 'inter Opp. s. Leonis T. I. p. 642.), vel intelliguntur canones Sardicenses, qui in codicibus occidentalibus et etiam non raro in orientalibus una serie conscripti erant cum Nicaenis. Vide Ballerin. Opp. s. Leonis T. III. p. 52. not. 32. Ibid, de antiquis canon, collect. P. II. C. 1. §. 3. p. LVII. sqq. cf. Hefelle Hist. Concil. Tom. I. p. 384-387; T. II. p. 522.

ter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit corda submitti, quanto potius *sedis illius praesuli* consensus est adhibendus, *quem cunctis sacerdotibus divina summitas voluit praeeminere, et subsequeris Ecclesiae generalis iugiter pietas celebravit* l Ubi pietas tua (imperatoris) evidenter advertit, numquam quolibet penitus humano consilio elevare se quemquam posse *illius privilegio vel confessioni* (Petri nempe supremae potestati vel fidei doctrinae permanenti in successoribus singulis), *quem Christi vox praetulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est et habet primatem* » (ep. 4. ad Anastas. August.). Sedes Romana est ea, *u* quae et unamquamque synodorum sua auctoritate confirmat et continuata moderatione custodit *pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper et tenet* (ep. 7. ad Eppos Dardan.) Harduin. T. II. p. 893. 907. 919; In Concilio Romano anni 496. sub Gelasio repetitur, quod iam ab aliis Patribus de Romanae Ecclesiae primatu vidimus declaratum. « Quamvis universae per orbem catholicae Ecclesiae unus thalamus Christi sit; *sancta tamen Romana catholica et apostolica Ecclesia nullis synoditis constitutis ceteris Ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri priniatum obtinuit: tu es Petrus, inquit, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* » Hard. T. II. p. 938.

S. Gregorius M. ut nunc alios praetereamus, potestatem et curam pastorem, quam multipliciter exercuit in universas Ecclesias, non aliunde derivat, nisi quia sedes Romana quam ipse tenet, est sedes Petri, sedes Apostolica. lubens fieri Concilium in Numidia ad discutiendam causam Maximiani Episcopi, generalibus insidiis hostis antiqui contra *u* ovium dominicarum pastores » suam opponens generalem curam Ecclesiarum, « sed nos, inquit, qui licet immeriti *sedem Apostolicam vice Petri Apostolorum principis suscepimus gubernandam, ipso pontificatus officio cogimur generali hosti, quibus valemus, nisibus obviare* » l. II. ep. 48. ad Columb. Ita etiam Ioannein Episcopum Syracusanum, qui aliquid de causa primatis in provincia Bizacena Africae ad Pontificem retulerat, laudat quod « amo-



reni suum *erga beatum Petrum Apstolum* non cessat ostendere. \* De illo vero Bizaceno primate ait: « quod se dicit *sedi Apostolicae* subiici si qua culpa in Episcopis invenitur, *nescio quis ei Episcopus subiectus non sit; dm* vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis aequales sunt n 1. IX. ep. 59. ad Ioan. Syrae, c Illud autem admonemus, ut *Apostolicae sedis* reverentia nullius praesumptione turbetur; tunc enim status *membrorum* integer manet, si *caput fidei* nulla pulset iniuria » 1. XIII. ep. 37. ad Ioann. Ep. Panormitan. Agens de confirmanda electione et permittenda consecratione Episcopi Mediolanensis ait: quanto *Apostolica sedes, Deo auctore, eundis praelata constat E.cl'siis*, tanto inter multiplices curas et illa nos valde sollicitat, ubi ad consecrandum antistitem nostrum exspectatur arbitrium: n delegatum vero suum Ioannem subdiaconum in hac re iubet ita agere, « quatenus et *Apostolica sedes proprium rigorem retineat*, et a se *concessa* aliis sua iura non minuat n 1. III. ep. 30. ad Ioan, subdiac. Auctoritatem, qua decessor Pelagius II. et ipse Gregorius usurpationem Ioannis Ieiunatoris Constantinopolitani sese oecumenicum patriarcham iactantis acerrime oppugnaverunt (1), deducit ex s. Petro, « Ioannes in Constantinopolitana urbe synodum fecit, in qua se universalem appellare conatus est; quod mox idem decessor meus (Pelagius) ut agnovit, directis litteris *ex auctoritate sancti Petri Apostoli* eiusdem synodi acta cassavit » 1. V. ep. 43. ad Eulog. Alexandr. et Anastas. Antiochen. patriarchas.

Vidit Gregorius et satis declaravit, illius praedicationis. qua patriarcha aut Episcopus *unicersalis* dicatur, duplicem posse esse sensum, priorem quidem, ut non nisi suprema potestas in universam Ecclesiam exprimatur. Hoc sensu sicut Petro ita eius successoribus iisque solis ista appellatio competit, eisque etiam in Concilio Chalcedonensi et ab aliis Patribus non sane immerito sed omni iure tributa

(1) Iain pridem quidem anno 536. in litteris citationis ad Anthimum Menas CP. reperitur inscriptus s o.c.nmenicus patriarcha; » se l Ioannes titulum usurpatum sibi velut debitum def rri et perennem reddere studuit (Hard. I. p. 1254.).

est (1); illi tamen ea uti noluerunt propter sensum alterum, qui ei subiici posset, quasi nempe unus sit in Ecclesia Episcopus, et alii nulli essent suarum plebium Episcopi, sed Vicarii dumtaxat illius Episcopi universalis. Hoc igitur altero sensu nec Petrus universalis Apostolus, quasi alii veri Apostoli non essent, nec Petri successores universales Episcopi dici possunt, ne aliis omnibus nomen et potestas Episcoporum derogeretur. In Constantinopolitano vero vel quovis alio Episcopo nomen et res nomine significata utroque sensu est *a* contra evangelicam sententiam, *contra beatum quoque Petrum Apostolum* (cuius nempe iura super universam Ecclesiam violantur), et contra omnes Ecclesias (quae singulae suos habent Episcopos), contraque statuta canonum *n* (quae sedem Alexandrinam secundam, Antiochenam tertiam post Romanam declarant) l. V. ep. 21. ad Constantiam Augustam. Unde ibidem subiungit: «hac in causa nequaquam me pietas vestra despiciat, quia etsi peccata Gregorii tanta sunt, ut pati talia debeat, *Petri Jamen Apostoli peccata nulla sunt, ut oestris temporibus pati ista mereatur...* et propter peccata nostra, *ejui ei* (Petro) *indigne sercimus, eius apud vos honor nullatenus minuitur.* *n* Porro si quis in synodo non sibi caverit ab ista appellatione Episcopo Constantinopolitano tribuenda, *a a beati Petri Apostolorum principis pace se noverit segregatum* » l. IX. ep. 68. ad Euseb. Thessalonic.

Quod vero de re et nomine *unicersalis* in Romano Pontifice diximus, verbis Gregorii ita declaratum habemus: « Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica

(1) Vide apud Hard. I. p. 322-326. 331. 335. Praesidens Concilio legatus Apostolicus Paschasinus (ibi p. 466.) subscripsit: « Vicarius Domini mei beatissimi atque Apostolici universalis Ecclesiae Papae urbis Romae Leonis, » seu quod perinde est in versione graeca τη οικουαενιζη εκζηησα ασκοπου; diversum tamen est nomen *Episcopi Ecclesiae unicersalis*, et *Episcopi universalis*. Potestas Petri et successorum eius super universam Ecclesiam pastoralis sen episcopalis est (pasce oves meas), est ergo Episcopus Ecclesiae catholicae seu Ecclesiae universalis, quod nequaquam significat ipsum esse particularem Episcopum singularum Ecclesiarum, nec harum proprios Episcopos particulares excludit. Vide Cone. Vatican. Constitui. *Pastor aeternus* cap. 3.



sancto et omnium Apostolorum Petro principi Apostolo totius Ecclesiae cura commissa est. » Inductis textibus Io. XXI, Luc. XXII. Matt. XVI. prosequitur: «Ecce claves regni coelestis accepit, potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiae et principatus committitur, et tamen *unirersalis Apostclus* non vocatur... *Certe pro beati Ptri Apostolorum principis honore per venerandam Chalcedonensem synodum Romano Pontifici oblatum est* (1); sed nullus eorum umquam hoc singularitatis nomine uti consensit (quamdiu nempe suspicio *singularitatis* i. e. unicum in Ecclesia Episcopum significari, subesse poterat), ne dum privatum aliquid daretur uni (Episcopatus privatus i. e. *uni proprius* in significatione singularitatis), honore debito sacerdotes privarentur universi... Ego cunctorum sacerdotum servus sum, in quantum ipsi sacerdotaliter vivunt; nam qui contra omnipotentem Dominum per inanis gloriae tumorem atque contra statuta Patrum suam cervicem erigit, in omnipotenti Domino confido, quia meam sibi nec cum gladiis flectit » 1. V. ep. 20. ad Maurit. Augustum. Fere eadem repetit 1. V. ep. 43. ad patriarchas Alexandrinum et Antiochenum: « per sanctam Chalcedonensem synodum *Ponti'fi:i sedis Apostolicae, cui Deo disponente deserrio*, hoc universitatis nomen oblatum est... sed absit hoc, absit a Christiani mente id sibi velle quempiam accipere. unde fratrum suorum honorem imminuere quantulumcumque ex parte videatur. » Interea mentibus ita iam inhaeserat haec successoris Petri appellatio, ut Eulogias Alexandrinus in una eademque epistola ad Gregorium, in qua promisit « iam se quibusdam (Ioanni CP.) non scribere superba vocabula, quae ex vanitatis radice prodierunt, ipsum tamen Gregorium praedicarit & universalem Papam. » Qua de re conqueritur sanctus Pontifex respondens Eulogio. - Ego nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est

(1) In Actione III. oblata sunt et a Synodo acceptati libelli accusationis contra Dioscorum, in quorum tribus inscriptio erat: :ω οίζουα=v:ζω  
 αρχιεπισχοπω ζα: πάτο· αο/η τη αζγαλη αγία ζαι οίζου-  
 ütvtxr, συνοδοί ζ. λζ in uno: τω οίζουα α-γαλτ 'Ρωατ<  
 κ. λ. Hard. II. 1). 321. 355. 332. 336, |

honor universalis Ecclesiae, meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque debitus honor non negatur (1). Si enim *universalem* me Papam (2) vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse (nempe Episcopum), quod me fatetur *unirersum* (unicum in Ecclesia Episcopum).... Et quidem in sancta Chalcedonensi synodo atque post a subsequentibus Patribus hoc decessoribus meis oblatum (sensu alio genuino) vestra sanctitas novit, sed tamen nullus eorum uti hoc vocabulo voluit, ut dum in hoc mundo honorem sacerdotum diligenter omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum *n* 1. VIII. ep. 30. ad Eulog.

Commemorabo adhuc amicissimam Gregorii epistolam ad Eulogium Alexandrinum Episcopum, in qua, ut saepe solet, cum doctrina dogmatis de tota Petri potestate semper vigente in eius sede Romana, coniungit professionem profundae humilitatis et intimae charitatis atque unionis specialis, intuitu Petri Apostoli, cum sede Alexandrina et Antiochena. Tres, inquit, sunt sedes unius Petri, sed modo sane diverso; Romana in qua quievit, sublimata est proprie in sedem Petri ita, ut ipse cum potestate in se divinitus instituta perenniter in ea sedeat in singulis suis successoribus; Alexandrina est Petri per suum discipulum Marcum in ea Episcopum institutum ab ipso Petro; Antiochena denique Petri est, quia eam instituit et in ea quamvis discessurus aliquamdiu sedit, sed in eo discessu discipulum (Evodium), sicut Alexandrine Marcum, relinquens Episcopum ei nec communicavit nec potuit communicare a Christo adeoque divino iure in sua persona singulariter institutam potestatem supremam super Ecclesiam universalem. Sicut ergo tres sedes diversa ratione sunt unius Petri, ita etiam tres una sedes profecto non sunt nisi unitate morali, qua-

(1) Verba haec citavit Concilium Vaticanum in Constit. *Pastor aeternus* cap. 3.

(2) Nomen, *Papae* (Patris) quamvis inde ab exeunti saeculo V. coeperit ut proprium Romano Episcopo reservari, hic tamen, ut ab aliis scriptoribus saepissime, a Gregorio *appellative*, adhibetur ut commune Episcopis.



tenus ex rationibus memoratis, intuitu Petri, discipulae erga magistram specialibus vinculis obedientiae et charitatis obligantur, ut alibi Gregorius Eulogio scribit: - est aliquid quod nos erga Alexandrinam Ecclesiam quadam peculiaritate constringit, et in eius amore proniores existere speciali quodammodo lege compellit; nam sicut omnibus liquet, quod beatus Evangelista Marcus a sancto Petro Apostolo magistro suo Alexandriam sit translatus, sic huius nos magistri et discipuli unitate constringimur, ut et ego sedi discipuli praesidere videar propter magistrum, et vos sedi magistri propter discipulum (eo scilicet discrimine, quod est inter magistrum qui docet et regit, atque inter discipulum qui discit et obedit). Ad hanc autem unitatem cordium etiam vestrae sanctitatis meritis ligamur, *quos auctoris sui salutariter sequi instituta cognoscimus, et semper ad magistri sui gremium, unde illic praedicatio salutis exorta est, tota se conferre devotione sentimus* » 1. VI. ep. 60. Verba Gregorii in illa epistola, de qua dicere coepimus, haec sunt. e Suavissima mihi sanctitas vestra multa in epistolis suis *de sancti Petri Apostolorum principis cathedra locuta est, dicens quod ipse in ea nunc usque in suis successoribus sedeat*. Et quidem ego... cuncta quae dicta sunt, in eo libenter accepi..... Quis enim nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur? cui veritatis voce dicitur: tibi dabo claves regni coelorum (inducit textus Matth. XVI, Luc. XXII. Io. XXI.). Itaque cum multi sint Apostoli, *pro ipso tamen principatu sola Apostolorum principis sedes in auctoritate convaluit*, quae in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit sedem, in qua etiam quiescere et praesentem vitam finire dignatus est; ipse decoravit sedem, in quam Evangelistam discipulum misit; ipse firmavit sedem, in qua septem annis, quamvis discessurus sedit. Cum ergo unius atque una sit sedes, cui ex auctoritate divina tres nunc Episcopi praesident, quidquid ego de vobis boni audio hoc mihi imputo; si quid de me boni creditis, hoc vestris meritis imputate, quia in illo unum sumus, qui ait: ut omnes unum sint, sicut tu Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi

in nobis unum sint n 1. VII. ep. 40. ad Eulog. (1). (Vide de *Episcopi universalis* praedicatione et de unitate inter tres sedes animadversiones eruditas Hincmari Rhemensis opuscul. adversus Hincmar. Laudunens. cc. 16. 17. Migne T. CXXVI. p. 334-337; 345-350.).

3°. Post luculentam doctrinam ipsorum Evangeliorum de suprema potestate in Petro instituta perenniter propaganda per singulos eius successores, et post multiplicem Conciliorum et Pontificum, qui ab universa Ecclesia agnoscebantur Petri in eadem potestate heredes, declarationem de eadem propagatione ac successione simul cum ipso modo successionis per Episcopatum Romanum, quem Petrus sibi peculiariter assumptum moriens vacuum reliquerat, nihil opus est testes alios inducere eiusdem rei, utpote facti in tota Ecclesia semper notorii, publici, perpetui.

Veritatem Ecclesiae Iesu Christi, fundamentum eius unitatis in fide et communione demonstrant ex Petri principatu in Romana Ecclesia, quacum propter illum a Christo

(1) Haec dicta quidem sunt de intima trium sedium unione charitatis; sed sublimatio illa sedis Alexandrinae et Antiochenae earumque cum Romana unitas charitatis per Petrum simul et maxime demonstrat, privilegia patriarchalia non ab amplitudine civitatis, ut ambitio Byzantina somniavit qua schisma Photianum praeparatum est, sed solummodo a concessione Petri et sedis Romanae Petri derivari, eaque nulla esse posse nisi in unione et subordinatione sub eadem Petri sede. Pridem Innocentius I. de praerogativa amplioris dignitatis et iurisdictionis in sede Antiochena scripserat: *a* animadvertimus, non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi Apostoli sedes esse monstretur..... quaeque urbis Romae sedi non pederet, nisi quod *illa in transitu* meruit, *ista susceptum apud se consummatumque gauderet* » Innocent. ep. 19. n. 1. ad Alexand. Antioch., cf. Gelas, ep. 7. ad Dardan. (Hard. T. II. p. 912.). Porro ex ipsa hac origine privilegiorum patet, posse quidem ex plenitudine potestatis a sede Petri conferri aliis sedibus e. g. Constantinopolitanae privilegia paria vel maiora ac sint illa salis Alexandrinae vel Antiochenae; sed non possunt conferri *ex eadem ratione*. Hoc docuit s. Leo M. retundens ambitionem Anatolii Constantinopolitani, qui suam sedem per Concilium Chalcedonense Alexandrinae et Antiochenae praeferendam affectaverat, *u* Alia ratio est rerum saecularium, alia divinarum; nec praeter illam petram quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio.....Non dedignetur regiam civitatem, *quam npostolicam non potest facere sedem n* s. Leo ep. 104. c. 3. ad Martian. August.



institutum principatum omnes qui sunt ubique, in una tradita fide, et in communione cum agnitione principatus eiusdem convenire necesse sit; totum vero hoc ius et officium principatus agnoscunt proprium successoribus Petri in ipsa Romana Ecclesia, quos singulos vel explicitè enumerant usque ad sua tempora vel universim et implicite comprehendunt. Irenaeus, quae sit una vera fides ab Apostolis tradita in omnibus Ecclesiis; et quomodo hae omnes una sint Ecclesia Iesu Christi, demonstrat ex sola Ecclesia Romana, quia *potentior principalitas* a fundatoribus Apostolis Petro et Paulo (1) posita in hac Ecclesia necessarium reddit omnibus Ecclesiis ad eam convenire fide et communione. Fidei vero integritas in Romana Ecclesia pro omnibus Ecclesiis inde ab Apostolis fundatoribus tradita est et conservatur *per successionem Episcoporum singulorum*, adeoque sicut in his singulis a primo Episcopo et fundatore Petro propagatur episcopatus, ita in hoc episcopatu Romanae Eccle-

(1) Quia Irenaeus pro scopo suo praecipue traditionem fidei prae oculis habet, et Paulus cum Petro martyrio consociatus erat; ideo praedicationem Pauli coniungit cum fundatione Petri. Ceterum diu, antequam Paulus Romam advenisset, ibi iam constitutam Ecclesiam tioruisse, cuius fides annuntiabatur in universo mundo, ipse nos docet (Rom. I. 8-13.). Petrus iam anno 42. aerae vulgaris Romam perveniens Ecclesiae a se constitutae episcopatum susceperat, cum Paulus non ante annum 53. Romanis scriberet et anno demum 55. primum in urbem perductus sit. Patres omnes Petri non vero Pauli in episcopatu successores celebrant Episcopos Romanos. Petri scilicet ordinaria potestas super universam Ecclesiam simul cum episcopatu Romano ad eos tamquam heredes transit, non Pauli apostolica potestas extraordinaria in omnes Ecclesias, quae tamen et ipsa non minus quam ceterorum Apostolorum subordinata manebat potestati Petri. Eodem modo potest, et ne erroris illum accusemus, debet explicari Epiphanius, qui (haeres. XXVII. n. 6.) scribit, « Romae primos Petrum et Paulum Apostolos ipsos et Episcopos fuisse », (=7 Ἦωρ,η γαρ γεγονασι πο/οτο: Πέτρο; και Παύλο οι αποστολοι αυτοί και επισκοπο.). Successores deinde enumerat usque ad Anicetum, inter quos nominatim Clementem a *Petro episcopum consecratum fuisse* ferunt (ὕπο Πέτρον λαβανει την Ἰ^\*θεσιαν τη επισκοπή). Sicut Irenaeus Romanae Ecclesiae successionem enumeravit ad demonstrandam veritatem et severitatem traditionis in universa Ecclesia, ita Epiphanius concludit, ista omnia de Episcoporum Romanorum successione se tam sollicite prosecutum fuisse, « quia per hanc perpetuo manifesta veritas demonstratur η (ο:α γα

siae pro eis singulis includitur *potential' illa principalitas*, qua sola conservatur fidei et traditionis integritas *pro omnibus Ecclesiis*, quia non nisi propter illam principalitatem necesse est omnibus ad Romanam Ecclesiam convenire et uniri fide ac communione. « Quoniam valde longum est in lioc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae (αρχαιότατη non tempore sed auctoritate) et omnibus cognitae a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem *per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos* indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo. . . praeterquam oportet colligunt (suas sive haereticas sive schismaticas synagogas instituunt). *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*, hoc est eos, qui sunt undique, fideles, *in qua* (per quam seu cuius ope) *semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio*. Fundantes igitur et instruentes (οιζοδορησαντε ) beati Apostoli Ecclesiam Lino *episcopatum administrandae Ecclesiae* tradiderunt (την τη επισκοπή λειτουργίαν ἐνεχειρισαν). . . Succedit autem ei Anacletus (enumeratis ex ordine singulis concludit) : Nunc duodecimo loco *episcopatum ab Apostolis habet* (τον τη επισκοπή ἀπο των Αποστολών κατεχει κληρον) Eleutherius. *Hac ordinatione* (τάξει) *et successione* ea quae est ab Apostolis, traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate » Iren. 1. III. c. 3.

Eodem « compendio veritatis » superius vidimus (th. X. n.IV.2.) Cyprianum fidei et Ecclesiae unitatem demonstrare adversus omnes haereses : « probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum : ego dico tibi, quia tu es Petrus..... et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et cathedra una (super totam Ecclesiam) monstretur, » Vide reliqua ibi a nobis citata. In simili descriptione successorum Petri Optatus Milevitanus cathedram Petri velut primam dotem Ecclesiae ponit, « Igi-



tur negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus..... in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur. « Hoc vero centrum totius unitatis catholicae ait. semper manere et ab omnibus agnosci, perenni successione Episcoporum Romanorum, ipsam eandem cathedram Petri. « Ergo *cathedram unicam*, quae est prima de dotibus, *sedit prior Petrus*, cui successit Linus, Lino Clemens (numerat sequentes)... Damaso Siricius, hodie qui noster est socius (nempe socius in ordine episcopali non in potestate cathedrae, in qua una unus neminem habere potest socium), cum quo nobiscum totus orbis commercio formatum in una communionis societate concordat, » Quisque videt ab Optato doctrinam eandem ac ab Irenaeo verbis sin minus iisdem certe simillimis expressam. Tum contra Donatistas concludit, quod aequae contra alios omnes sive haereticos sive schismaticos valet, quia ii omnes cum una cathedra Romana Petri in una communionis societate non concordant. - Vestrae cathedrae vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare... Si Victori (quem primum ex suis Donatistae nomine Episcopi ex Africa Romanam miserant) diceretur, ubi sederit? nec ante se aliquem illic fuisse monstraret, nec cathedram aliquam nisi pestilentiae ostenderet; pestilentiae enim morbus extinctos homines ad inferos mittit, qui inferi portas suas habere nescuntur, contra quas portas elaves salutare accepisse legimus *Petrum principem scilicet nostrum*, cui a Christo dictum est: tibi dabo claves regni coelorum, et portae inferi non vincent eas. Unde est ergo, quod claves regni coelorum vobis usurpare contenditis, qui contra *cathedram Petri* (contra successores in cathedra Petri, quibuscum in una communionis societate non concordabant, sibi in urbe Roma contra cathedram Petri constituentes cathedram pestilentiae, velut centrum suae sectae, sine antecessoribus pertinentibus usque ad Petrum) vestris praesumptionibus et audaciis sacrilegio militatis? r Optat. 1. II. n. 2-5.

Eadem ratione argumentatur Augustinus, u Si ordo episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius et vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui

totius Ecclesiae figuram gerenti Dominus ait: super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferorum non vincunt eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens. . . Sinicio Anastasias. . . In illum autem ordinem Episcoporum, *qui ducitur a Petro usque ad Anastasium, qui nunc eamdem cathedram sedet*, etiamsi quisquam, traditor (librorum sacrorum, cuius criminis calumniam contra Caecilianum Episcopum Carthaginensem suo schismati praetexebant) per illa tempora subrepsisset, nihil praeiudicaret Ecclesiae et innocentibus Christianis, quibus Dominus providens ait de praepositis malis; quae dicunt, facite; quae antea faciunt, tacere nolite, dicunt enim et non faciunt. Ut certa sit spes fidelis, quae non in homine, sed in Domino collocata, numquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur *n* August, ep. 53. n.2. 3. Nempe in cathedra Petri aliud est infallibilitas magisterii et auctoritas sacri imperii, quam Dominus perennem contulit Petro Ecclesiae figuram gerenti; atque aliud sanctitas morum, ad quam tribuit gratiam sed non promisit impeccabilitatem. Eodem sensu perpetuam successionem *in cathedra sive sede Petri* cum potestate pascendi omnes oves Christi alibi Augustinus demonstrat esse munimentum adversus tempestatem haeresis et sacrilegi schismatis. « Numerate sacerdotes vel *ab ipsa Petri sede*, et in ordine illo Patrum, quis cui successerint, videte; *ipsa est petra quam non vincunt superbae inferorum portae* » Id. psalm. cont. Donat. « In catholicae Ecclesiae gremio. . . me tenet *ab ipsa sede Petri Apostoli*, cui pascendas oves post resurrectionem Dominus commendavit, *usque ad praesentem episcopatum* (urbis Romae nempe h. e. in sede Petri) successio sacerdotum *n* Id. cont. epist. fundamenti c. 4.

Eadem obvia est apud alios Patres coniunctio ecclesiae seu cathedrae *Romanae* cum successione in potestate seu in sede Petri; ipsa enim sedes Romana et nulla umquam alia agnoscitur et celebratur esse sedes Petri cum omnibus praerogativis in Petro institutis. Cyprianus *u* factus est, inquit, Cornelius Episcopus... cum Fabiani locus, id est, *cum locus Petii et gradus cathedrae sacerdotalis* vacaret *n* ep. 52. p. 68. ad Anton. Inde praedicat Romanam Ecclesiam *u* catholicae Ecclesiae radicem et matricem *u* ep. 42. et 45. ad Cor-

! i \*  
1 « 4.  
| u ;



nel. ; « *Petri cathedram atque Ecclesiam principalem*, unde unitas sacerdotalis exorta est » Id. ep. 55. p. 86. ad eundem. Firmilianus, quamvis errore de baptismo penes haereticos in transversum actus et contra Pontificem exacerbatus, fatetur tamen eandem coniunctionem : - Stephanas per *successionem cathedram Petri se habere* praedicat, atque de episcopatus sui loco gloriatur, et se *successionem Petri tenere* contendit, super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt » Firmilian. ep. 75. p. 148. inter Cyprianicas. Ad tuendum Damasum Romanum Pontificem contra Ursinum (Ursicinum) antipapam Episcopi Concilii Aquileiense scribunt imperatoribus: « Totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem ne turbari sineret, obsecranda erat clementia vestra; inde enim in omnes venerandae communionis iura dimanant » (inter epp. s. Ambros. ep. 11. n. 4. T. II. p. 811.). Unde idem Ambrosius laudat fratrem Satyrum, quod baptizandus ab ignoto Episcopo ante omnia quaesierit : « *si cum Episcopis catholicis hoc est cum Romana Ecclesia conveniret* »? Id. de excessu fratris T. II. p. 1127. In eadem causa antipapae Ursini imperatoribus scribunt Episcopi Concilii Romani anni 378 : Damasus : « etsi aequalis est munere (episcopali seu ordinis potestate), *praerogativa tamen Apostolicae (Petri Apostoli) sedis excellit* » (Hard. I. p. 841) Hieronymus Damasum Pontificem Romanum et cathedram Petri et petram Ecclesiae velut unum atque idem habuit, ubi de magisterio doctrinae (an una vel tres dicendae sint hypostases divinae) et de communione catholica agebatur, « *Beatitudini tuae id est cathedrae Petri consocior super diam petram aedificatam Ecclesiam scio*; quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est..... quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est » Hieron. ad Damas, ep. 14. cf. ep. 16. Ita etiam s. Chry<sup>l</sup>ologus Leonem Pontificem praedicat ut Petrum viventem et praesidentem in propria sede, et ideo monet Eutycheu haeresiarcham, ut eius se subiiciat sententiae: « *quoniam beatus Petrus qui in propria sede civit et praesidet*, praestat quaerentibus fidei veritatem » (inter epp. s. Leonis ep. 25. c. 2.). Episcopi provinciae Are-

latensis ad eundem s. Leonem scribunt: *u Per beatissimum Petrum Apostolorum principem sacrosancta Ecclesia Romana tenet supra omnes totius mundi Ecclesias principatum n* (inter epp. s. Leonis ep. 65. c. 2.).

III. Omnia in hac thesi demonstrata ad hoc reducuntur compendium.

Christus Deus ipse verbis et factis in Evangelio consignatis instituit in Petro supremam et universalem potestatem petrae et capitis Ecclesiae perpetuo duraturam, adeo-  
ptie eam instituit in singulos successores et heredes Petri propagandam. Verba enim promissionis et institutionis, *ssuper hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; tibi dabo claves regni coelorum; confirma fratres tuos; pasce oves meas n* dicta quidem sunt Simoni, sed quatenus factus est *Petrus* semper victurus ratione muneris ac perennis officii et potestatis iisdem verbis institutae, atque idcirco in tota sua significatione et efficacia aequae pertinent ad singulos Petri successores perpetua serie sese invicem excepturos.

Successio itaque perpetua in potestate suprema non minus quam ipsa potestas verbis evangelicis enuntiata et instituta est; sed modus successionis verbis ipsis *in individuo* non significatur; continetur tamen in ipsa natura muneris visibilis in visibili Ecclesia per successionem permansuri, modum successionis debere esse visibilem, hoc est omnibus facile cognoscibilem et manifestum, atque eatenus modus successionis *in genere* ipsa divina institutione determinatus esse dici potest. At non genera indeterminata sed determinata individua concrete existunt in rerum natura; adeoque ex ipsa institutione primatus et perpetuae in eo successionis pertinebat ad Christi institutoris divinam supernaturalem providentiam erga suam Ecclesiam aedificatam in petra, ut modus ipse successionis, qua haec petra perenniter perdurat manifestus et certus atque ideo non fluctuans sed constans in individuo determinaretur. Iam vero ex testibus superius citatis constat, hunc unum et nullum umquam aliam modum successionis in Ecclesia semper, ubique et ab omnibus agnitum et praedicatum fuisse:

a) Quod Episcopus Romanus succedit in omnia iura sacri magisterii et imperii, quae a **Christo in Petro instituta**



sunt perennia et propaganda in singulos successores Petri; unde *quoad haec tura et officia* singuli Romani Episcopi sunt *una persona moralis cum Petro*. *u* In Iulio Petri Apostoli memoria honoratur, ut ad caput id est ad Petri Apostoli sedem Domini referant sacerdotes; » *u* omnium onera portat in Siricio beatus Apostolus Petrus; » « Innocentius, Theodorus sunt praesulum vertex in honore beatissimi Petri; - - quae est auctoritas Petri, par potestatis conditio est in Zosimo; » .. manet universalis Ecclesiae sollicitudo beatum Petrum in Bonifacio; » *u* beatissimus Petrus vivit et indicium exercet in Coelestino; » *a* Coelestino necessitatem de omnibus tractandi Christus in sancto Petro Apostolo induisit; *n* *u* Petrus locutus est per Leonem, Agathonem; - « Petrus universalis Ecclesiae gubernacula non reliquit in Leone; *n* *u* principatum Domini voce perceptum beatus Petrus tenuit semper, et tenet in Gelasio. »

*b)* Haec successio in totam potestatem Petri divinitas institutam asseritur et creditur ex eo ipso et ex eo solum, quod quis legitime succedit in hoc episcopatu particulari, quem Petrus Apostolorum princeps sibi Episcopo assumpsit. Videlicet Petrus insignitus a Christo Deo potestate *primatiali apostolica et ordinaria* (hoc est suprema, universali, perenniter permansura in legitimis successoribus) sibi assumens episcopatum Romanum sive sedem Romanam, hoc ipso suo facto effecit eam sedem Apostolicam primatiam seu Petrinam, quam moriens vacuam reliquit non solum *negative* quod iam nullus in ea sederet, sed *cum iure et exigentia positiva*, ut alius et alius iuxta divinam ordinationem perpetuo succedat in eadem illa *ordinaria Petrina potestate*. Unde non est duplex successio, una in episcopatu Romano instituto a Petro, altera in primatu instituto a Christo; sed posito facto Petri, qui moriens totam suam potestatem tum primatiam tum in ea inclusam episcopalem Urbis reliquit in sua sede Apostolica Romana vacua, hoc est exigente successorem primatus et inclusi episcopatus Urbis, iam successio una est non separata sed distincta secundum duplicem rationem. De hac re inferius adhuc dicemus. Doctrinam habes in superioribus ex universali Patrum professione satis confirmatam, *a* Cum vacat Fabiani

locus, vacat *Zoetz* *Petri*, et in locum *Petri* succedit *Cornelius*; « «*Petri* administrationis *heres* *Siricius*; » «noverunt *Africani* quid *sedi apostolicae* *debeatur*, in. quo loco est positus *Innocentius*; » a *Petri* *successor* et *locum tenens* beatissimus papa noster *Coelestinus*; » u per potestatis (quae *Petro* a *Christo* collata in *Evangelio* docetur) data conditio in eos, qui. *sedis hereditatem* *meruissent*, habet enim ipse tum omnium *Ecclesiarum* tum *huius (Romanae)* *maxime curam*, *ubi sederat*, *cui ipsa sui nominis constituit fundamenta*; » « subiungit autem se *non solum apostolica* (primatus super universalem *Ecclesiam*) sed etiam *episcopalis* (*Ecclesiae* et *sedis Romanae*) *dignitas Petri*, *qui seculi suae praeesse non desinit*, soliditas enim illa quam de *petra* *Christo* etiam ipse *petra* factus accepit, *in suos quoque se transfudit heredes*; » u ordinatissima totius *Ecclesiae* *caritas* (ut *communione* omnes unum sint visibiliter in *capite* visibili, invisibiliter in *capite* invisibili *Christo*) *in Petri sede Petrum suscipit*, et a tanti amore *pastoris* (de amore agitur formaliter ut *iure* et *officio* *pastoris* a *Christo* est instructus) *nec in persona tam imparis tepescit heredis*; » «*primae* *beatissimi Petri* *sede* *antiqua* et *vetusta* *defertur reverentia... quae (sedes) per Domini sententiam* (in *Evangeliiis*) *in beato Petro principatum percepit*, ut unum *caput*, una *compago* *corporis* *Christi*, una esset *Ecclesia*; » a quem unum ex *Apostolis* *principem* esse voluit *Christus*, *Petrum* dispensatione mirabili in *dominam* *gentium* *Romam* direxit, *ibique* *sanguinis* *gloriosa* *effusione* *decoratus aeterno hospicio conquiescit*, *praestans sedi quam ipse benedixit*, *ut a portis inferi numquam pro Domini missione* (in *misso* *Petro* *sedes* *habet* *missionem* et *promissionem* ab ipso *Domino*) *vincatur*, *omniumque sitfluctuantium tutissimus portus* » a cum multi sint *Apostoli*, *pro ipso tamen principatu sola Apostolorum principis sedes in auctoritate convaluit* » (quae ergo *sedes Apostolica* est non solum *historice* ut *aliorum Apostolorum* e. g. *Iacobi*, quod *primus* *eius* *Episcopus* fuerit *Apostolus*, qui *praerogativas extraordinarias* *apostolatus* non potuit relinquere *suae sedi*; sed est *sedes Apostolica primatialis*, quia *primatus* seu *principatus* seu *potentior principalitas* in *Petro* erat *munus ordi-*



*narium* Aequè validum pro successoribus). Summa omnium est id, quod Hadrianus I. doctrinam complectens Evangeliorum, Conciliorum et Patrum antecedentium scripsit ad Concilium VII. et « tota sacratissima synodus ita credens, ita sapiens, ita dogmatizans » suscepit : « ipse princeps Apostolorum beatus Petrus qui Apostolicae sedi primus praesedit, *sui apostolatus principatum ac pastoralis curae successoribus suis, qui in eius sacratissima sede perenniter sessuri sunt, dereliquit, quibus et auctoritatis potestatem, quemadmodum a Salvatore nostro Domino Deo ei concessa est, et ipse quoque suis contulit ac tradidit divino iussu successoribus Pontificibus* » (1).

c) Propter hanc unionem successionis in plenitudine potestatis divinitus in Petro institutae cum successione in particulari Ecclesia seu sede Romana, *ipsius Ecclesiae Romanae primatus* super Ecclesiam universalem a Patribus celebratur. Cum enim Petrus sibi reservans episcopatum particularis Ecclesiae Romanae eum vehit inclusum teneret in suo divino primatu super universalem Ecclesiam, ratione et non nisi ratione huius inclusionis episcopatus Romani in divino primatu universali verissime dicitur ipsa Ecclesia Romana tenere primatum super universalem Ecclesiam. Hanc ergo unionem episcopatus Romani cum primatu et nihil aliud docent Patres, quando celebrant Ecclesiae Romanae prima-

flj Res haec adeo limpida semper fuit, ut quamvis disceptatum aliquando sit de suprema potestate Petri a Christo instituta, quatenam illa sit, imo ea ab haereticis et schismaticis ex parte fuerit negata (nam aliquam supremam potestatem perenniter in Ecclesia permansuram qui simpliciter negaverint, penes sectas antiquas *christiani nominis* non invenies; haec absurditas in detorquendis claris testimoniis scripturarum recentioribus haereticis reservata est); nemini tamen umquam sive catholico sive haeretico aut schismatico in mentem venerit, dici aut esse posse alium successorem in ius et munus Petri, quin non sit successor eiusdem in sede Apostolica Romana. Photinus non primatus divinitus instituti ab Ecclesia Romana ad Constantinopolitanam translationem asseruit, ut Febronius putabat; sed ubi suae ambitionis intererat, negato vero primatu et pervertens intra Patriarchalia, inter Patriarchas Pontifici Romano primatum honoris dumtaxat, vel etiam sibi parem cum illo dignitatem vindicare conatus est, eo quoque Constantinopolis imperialis iam civitas esset et nova Roma.

tum super Ecclesiam universalem. Supposita vero per factum Petri tali unione, profecto qui succedit Petro in Ecclesia Romana tenente primatum, eo ipso succedit in primatu, et vicissim nemo potest Petro succedere in primatu, quin eo ipso succedat in episcopatu Romano qui iam includitur in primatu.

Quia Ecclesia Romana fundata ab Apostolis Petro et Paulo habet Episcopos perpetua serie successores Petri, propterea in ea est potentior principalitas: *a* ad hanc Ecclesiam propter potentiores principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam (in fide et communione) hoc est eos, qui sunt undique fideles; » *a* est Petri cathedra atque Ecclesia principalis, unde unitas sacerdotalis exorta est; *n* catholicae Ecclesiae radix et matrix; » «Romana Ecclesia, unde in omnes venerandae communionis iura dimanant, » - Petrus habet cum omnium Ecclesiarum tum huius maxime, ubi sederat, curam, cui ipsa sui nominis firma et nullis hebetata motibus constituit fundamenta, ut tam humanis quam divinis legibus et disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia; *n* *a* Ecclesiam Romanam Ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum certum est esse membrorum; » *u* per beatissimum Petrum sacrosancta Romana Ecclesia tenet super omnes totius mundi Ecclesias principatum; *u* Romana catholica et Apostolica Ecclesia nullis synodice constitutis ceteris Ecclesiis praelata est; sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit, *n*

Maneat igitur, quod in thesi ex doctrina totius antiquitatis christianae demonstrandum suscepimus, successionem perpetuam in primatu quam Christus ipse instituit, semper in Ecclesia fuisse intellectam et praedicatam ita, ut sedes Romana Petri iam sit sedes Apostolica primatialis super universam Ecclesiam, ac propterea legitima successio in hoc episcopatu Romano in hac sede Petri sit successio in divinitus instituto primatu Petri.



## THESIS XII.

### *Ulterior explicatio doctrinae de unione primatus cum Sede Romana.*

- 1°. Eadem veritas unionis primatus super universam Ecclesiam eoa<sup>1</sup>  
Sede Apostolica Romana ex Conciliorum definitionibus et fidei professio-  
nibus demonstratur. 2°. Ex praemissa doctrina consequitur modum unk-  
» nis eum esse, ut distinctione rationis successio in sede Romana sit vi-  
» sibile signum successionis in primatu: realiter vero una sedes Romani  
- evecata sit ad dignitatem et potestatem sedis primatialis super univer-  
3 sani Ecclesiam. Porro 3°. consequitur veritas theologica, primatun  
\* numquam, ne suprema quidem ipsius successoris Petri potestate, a sede  
- Romana separandum et alio transferendum esse; 4°. per aliam vero  
- quamvis potestatem sive ecclesiasticam sive profanam fieri posse hoios-  
- modi translationem, doctrina est damnata, et connexa :um enoribas  
» contra ipsam divinam constitutionem Ecclesiae. » . 'waB

I. Vidimus hactenus doctrinam in Ecclesia semper et ubique assertam et praedicatam de unione primatus Petri et de eius perenni hereditate in sede Romana Petri; ad clariorem vero at pressioem demonstrationem, simulque ad certioem deductionem solutionis, qua quaestio altera de separabilitate primatus a particulari Ecclesia et sede Romana eliquetur, nunc ipsas formales definitiones et professiones fidei considerabimus, quatenus in eis unio primatus cum Ecclesia Romana et perennis Episcoporum Romanorum successio non minus in primatu Petri quam in episcopatu contineatur.

a) Definitio concilii Florentini ita habet. « Item diffinimus, *sanctam Apostolicam sedem et Romanum Pontificem* in universum orbem tenere primatum, et *ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum* et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere, *et ipsi in beato Petro* pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in

gestis yemenicoruni (oecumenicorum) Conciliorum et in sacris Canonibus continetur » (1).

Definitum igitur est, non solum generatim Romani Pontificis ius primatus in universum orbem, sed speciatim ius et modus successionis. Is qui succedit in sancta Apostolica sede Petri, et ideo est Pontifex Romanus seu Petri successor in episcopatu Romano, eo ipso non solum Petri ut Episcopi sed simul Petri ut principis Apostolorum successor est, ac propterea verus Christi Vicarius totiusque Ecclesiae caput; nam ipsi Episcopo Romano, hoc est singulis quicumque illi sint legitimi Episcopi Romani, in beato Petro, qui prima velut radix totam seriem successorum repraesentabat, seriem inquam saltem pro praesenti ordine compositam omnibus et solis successoribus in sede Apostolica Romana, a D. N. Iesu Christo plena potestas tradita est pacisci, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam.

Explicita est definitio Concilii Vaticani, *u Sanctus beatissimusque Petrus... ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, Episcopis sanctae Romanae sedis ab ipso fundatae eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et indicium exercet. Unde quicumque in hac ca-*

(1) Textus hic latinus originalis est, cui subscripsit Pontifex e Ego Engenius Catholicae Ecclesiae Episcopus ita diffiniens subscripsi » cum Patribus latinis, sicut textui graeco pariter originali subscripserunt cum imperatore Palaeologo Patres graeci. In ultimo inciso huius textus originalis graeci videtur mihi notatu dignissima lectio in una particula varians ab eo, qui exstat in editionibus Conciliorum. Ia his editionibus legitur, ζαθ ον τροπον και εν το- πρακτικοί; των οιζουαενιζων συνοδών ζαι εν το-; ιεροι ζανοσι διαλα|χβανετα-. At in originali particula εν secundo loco nullatenus repetitur: καθ' όν τροπον και εν τοι πρακτικο-. των οικουμενικών συνοδών ζα- το- ιεροι κανοσι διαλαμβάνεται. Ergo sub priori illo et unico vi comprehenduntur *duo membra* per particulam και coninncta το- πρακτικοί; ζα- το- ιεροι κανοσι; unde praescindendo etiam a textu originali latino, illud και... και non potest verti, u quemadmodum *tum* in gestis «m in sacris canonibus continetur, » sed necessario significat, a quemadmodum *etiam* (praeter cetera documenta et secundum hanc nostram definitionem) in gestis *et* sacris canonibus continetur. n Quam manifesto autem id. quod in Florentino definitur, contineatur in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus, patet vel ex iis paucis, quae in superioribus duabus thesibus inducta sunt, et quae nominatim Graecis probabantur ex Concilio oecumenico Lugdunensi' II. mox citanda.



*thcdra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet,, Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione sen iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem, anathema sit » (Const. Pastor aeternus*

6) Haec unitas successionis in episcopatu particularis Ecclesiae Romanae Petri et in plena potestate Petri super universalem Ecclesiam non minus expresse declaratur, dum ipsa Ecclesia Romana definitur recepisse et obtinere primatum super catholicam Ecclesiam per suum nempe Episcopum, qui est Petri principis Apostolorum successor.

Ita habet professio fidei a Clemente IV. et Gregorio X. praescripta et in Concilio Lugdunensi II. a Graecis edita ad unionem cum Ecclesia catholica, *« Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quam se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sire vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. »* In Concilio Constantiensi a Martino V. damnata est propositio XLI. Wicleffiana: *« non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias. »* In forma a Pio IV. praescripta ad orthodoxae fidei professionem faciendam iuxta Concilii Tridentini dispositionem, et iisdem verbis in altera Sede Graecis praescripta ab omnibus Catholicis spondetur: *« sanctam catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanocpie Pontifici beati Petri Apostolorum principis successor ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro. »* In Concilio denique Vaticano (Constit. Pastor aeternus cap. 3.) definitur: *« docemus et declaramus, Ecclesiam Romanam disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum (1), et hanc*

(1; Idem dogma verbis iisdem iam enuntiatum est in Cone. Lateran. IV. cap. 5. - Sacra universali synodo approbante sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, *3uae* *tuptr omnes alias ordinariae p<\*33&*

*Romani Pontificis iurisdictionis potestatem*, quae vere episcopalis est, immediatam esse, erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes.....obstringuntur, »

Ex his definitionibus et professionibus fidei ipsa *Romana Ecclesia* obtinet primatum, potestatis principatum super omnes alias Ecclesias, super universam Ecclesiam, est mater et magistra omnium Ecclesiarum ; sed hoc totum habet in suo Episcopo, quia hic est successor Petri principis Apostolorum, id est successor in ipso principatu. Unde vides, in definitione Vaticana Ecclesiae Romanae ordinariae potestatis principatum non alium dici quam Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, et in professione Lugdunensi ac Tridentina Romanae Ecclesiae summum et plenum primatum, materitatem ac magisterium omnium Ecclesiarum in eo fundari, quod Romanus Pontifex est beati Petri Apostolorum principis successor et ideo Iesu Christi Vicarius. Subiectum supremae potestatis solus est Episcopus Romanae Ecclesiae, qui succedens Petro principi Apostolorum in huius Ecclesiae episcopatu, eo ipso succedit eidem in principatu super universam Ecclesiam. Propter hanc unitatem successionis secundum duas rationes distinctas, « ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe, cuius Romanus Pontifex est successor. excepisse veraciter et humiliter recognoscit, » per ipsum nempe suum Pontificem, Apostolorum principis successorem, recepit primatum non solum ratione *finali*, qua primatus

*obinet principatum*, utpote, *mater universorum Christifidelium et magistra*; Coustantinopolitana (cuius Patriarchatum temporis erat ritus latini) primum. Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant « (Hard. T. VII. p. 23.). Quod Romana Ecclesia est *later* universorum Christi fidelium et *magistra* (suprema *regendi et docendi* potestate), vides in Florentina definitione dictum de proprio potestatis subiecto: ipsum Pontificem Romanum omnium Christianorum *patrem et doctorem* existere. Et quod dicitur ordinariae potestatis principatus *super omnes atque Ecclesias* utpote matris universorum Christi fidelium et magistrae, totum comprehenditur in professione Tridentina: *omnium Ecclesiarum* matrem et magistrain agnoscu.



est institutus in bonum sicut totius ita et Romanae Ecclesiae, sed quodammodo *fornialiter*, quatenus primatus est unitus eum episcopatu Romano, atque ita successio in primatu est inserta per continuam seriem suorum Episcoporum ipsi Romanae Ecclesiae. « Scire debes Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo » (Cyprian, ep. 69. ad Flor. Pupian. p. 123.).

II. Ex omnibus in hac et antecedentibus duabus thesibus demonstratis deducitur, quomodo unio primatus cum episcopatu sive sede sive Ecclesia Romana intelligi debeat.

a) Sicut Ecclesia [Iesu Christi est instituta] visibilis, atque adeo certis ac constantibus signis seu notis facile cognoscibilis inter omnes falsi nominis societates Christianas ut una et vera Ecclesia Christi; ita omnia etiam elementa quae pertinent ad visibilitatem Ecclesiae eamque visibilem constituunt sane visibilia sint oportet. Inter haec autem elementa primum locum occupat ipsum visibile caput, visibile fundamentum a Christo institutum, Petrus de petra in perenni successione; ergo in ipsa institutione perenniter et continua successione permansuri visibilis Capitis Ecclesiae continetur, successionem ipsam debere esse visibilem, hoc est certo, constanti et manifesto signo facile cognoscibilem. Atqui inde a glorioso exitu Petri per omnes aetates Ecclesiae semper et ab omnibus ut certum, constans et manifestum signum successionis in primatu Petri habita et credita est successio in sede Romana Petri, quam ipse moriens vacantem, ut aiebat s. Cyprianus, hoc est singulis ex ordine successoribus in omnibus suis iuribus tenendam reliquit. Ergo sicut ad perennem successionem visibilis episcopatus et sacerdotii valet antecedenti institutione divina visibile sacramentum, ita ad perennem successionem in visibili primatu valet divina ratihabitione saltem consequente post factum Petri signum visibile successionis in *Romana* Petri sede. - Beatus Petrus qui *Apostolicae sedi primus praesedit*, sui apostolatus principatum *successoribus suis, qui in eius sacratissima sede perenniter sessuri sunt*, dereliquit, quibus et auctoritatis potestatem, quemadmodum a Salvatore nostro Domino Deo ei concessa est, et ipse quoque *SUIS constituit ac tradidit dicino iussu successoribus Pontificibus,* ~

In hac explicatione ex omnibus supra citatis ecclesiasticis documentis deducta consentientes habemus insignes theologos, a Sicut ex ratione, institutione, et fine Ecclesiae necessarium esse ostendimus, illam in individuo et in particulari esse visibilem, ait Suarez, *ita ex institutione et fine muneris Vicarii Christi necessarium est, illum esse visibilem Ecclesiae in particulari, ac determinata sede et successione.* » Suarez contra Reg. Angi. 1. III. c. 13. « Alicui certa sedi debuit primatus Petri, id est universalis pontificatus seu regimen totius Ecclesiae affigi. Quamvis enim hic primatus nullam particularem sedem episcopalem, cui ipse alligaretur, per se (h. e. a priori et intestina sua natura) postularit, *id tamen certa requirebat in hoc primatu successio* (quae ipsa inet simul cum primatu divinitus instituta est ut perenniter duratura), *quae in bonum Ecclesiae perseverare facileque expediri posset et deberet...* Hinc Petrus necessario elegit particularem aliquem episcopatum, cui Primatis persona alligaretur. Fuit ille quidem Antiochenae sedis fundator et rector aliquot annos; sed cum inde Romam transierit, huc primatum a sua persona indivisum transtulit, et eundem episcopatum Romanum usque ad mortem retinens primatum ad successores suos in eadem sede transmisit.» Laurent. Veith. de Primat. Rom. Pontif. Posit. VIII. §. 18 ; Pet. Ballerini de vi et ratione Primat. R. P. T. I. c. 1. n. 2 ; Theol. Würzburg. T. I. de Primat. R. P. §. 170. n. III ; Franc. Ant. Zaccaria de s. Petri Primat, c. 5. n. 7.

» . I  
u. 17

6) Ulterius ex illis praesertim documentis, in quibus ipsius Ecclesiae Romanae seu sedis Apostolicae Romanae principatus docetur, consequitur non modo *unionem* esse inter primatum et Romanum episcopatum velut inter duas res separatas in uno aliquo tertio, sed iam esse *unam Romanam sedem* principatus super universam Ecclesiam, qui principatus in se continet episcopatum Romanum, ut in universali continetur particulare. Nimirum non duae sedes Petri distinguendae sunt, quarum una intelligatur a Christo instituta et Petro data suprema potestas pastoralis super Ecclesiam universalem, altera sit sedes Ecclesiae particularis Romanae instituta a Petro ab illa priori separata per se con-



sistens et tantummodo coniuncta ratione unius personae. quae utramque administret; sed imo dum Petrus non solum pro se sed etiam pro singulis suis successoribus in serie perenni institutus iam a Christo pastor totius Ecclesiae, sibi elegit et constituit hanc Romanam Ecclesiam ut suam *sedem episcopalem*, adeoque eam fecit sedem Apostolicam Petrinam, hoc ipso una sedes Romana constituta est, et in morte Petri perenni iure hereditario (1) consecrata sedes primatialis in dignitate et potestate a Christo instituti principatus super Ecclesiam universam. Dicam hoc ipsum verbis Bellamini. *α* Observandum est, inquit, Romanum episcopatum et Ecclesiae universae praetecturam non esse duos episcopatus neque duas sedes nisi in potentia. Nam Petrus Pontifex totius Ecclesiae a Christo institutus non adiunxit sibi episcopatum urbis Romae, quo modo Episcopus alicuius loci adiungit sibi alium episcopatum vel canonicatum aut Abbatiam; *sed Romanae urbis episcopatum evexit ad summum orbis terrae pontificatum*, quemadmodum cum episcopatus simplex erigitur in archiepiscopatum vel patriarchatum. Non enim Archiepiscopus vel Patriarcha est bis aut ter Episcopus, sed semel tantum.... et summus Pontifex etiamsi Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha et summus Pontifex sit, haec omnia sunt unum actu, et tantum in potentia multa. Ex quo sequitur, ut qui eligitur Romanus Episcopus, eo ipso sit Pontifex summus totius Ecclesiae, etiamsi forte id non exprimant electores » Bellarm. de Rom. Pont. 1. II. c. 12. Quod ait magnus theologus de *u* multis in potentia et de unitate in actu, *n* rite intelligendum est. Videlicet non ex natura rei et velut *a priori* erat necessarium, ut Petrus sibi pastori totius Ecclesiae faceret pro-

f1) Vide superiora documenta, in quibus Romani Pontifices dicuntur *Petri heredes* tam frequenter, ut videatur quodammodo hoc nomen transmississe in nomen, proprium. I B|

u Cum Petrus suam sedem Romae collocaverit, et in illum totum suum primatum et potestatem contulerit, illamque institutionem vivens non mutaverit, non potuit postea Ecclesia acephala per mortem Petri illam institutionem mutare, ideoque successor Petri in episcopatu Romano ex necessitate simul in primatu successit, Suarez cont. Reg. Angi. 1. II. cap. 13.

priam hanc determinatam sedem Romanam, potuit ergo absolute loquendo institui episcopatus urbis Romae per se consistens absque illa evectione ad summum orbis terrae pontificatum, sed posito facto, in una potestate suprema et universali iam includitur potestas particularis inferior Romani episcopatus, nec minus iura metropolitana in provinciam ecclesiasticam Romanam, atque iura patriarchalia in patriarchatum occidentis iam contenta erant in suprema universali potestate, quando Pontifices ea sibi specialiter reservarunt (1), cum exclusione aliorum seu potius non concedendo illic haec iura ulli alteri (Metropolitae aut Patriarchae, superius enim iam vidimus, huiusmodi Metropoles aut Patriarchatus non divinae sed ecclesiasticae dumtaxat institutionis derivari ex concessione directa vel indirecta sedis Romanae Petri, et non nisi in communione et dependentia ab ipsa posse subsistere. Porro sicut Pontifex non semper tota intensione suae supremae potestatis agit, ita potest etiam exercere actus restrictiores iurisdictionis episcopalis, archiepiscopalis, patriarchalis intra limites pro hisce iuribus specialiter reservatos et designatos. Hoc modo ea quae memoravit Bellarminus, intelliguntur « multa in potentia »

ση

M

(1) Ex his patet, cur Nicaena synodus (can. VI.) expresse *confirmare* potuerit iura patriarchalia (ut postea, inde forte a saeculo V. appellari coeperunt) Alexandrini et Antiocheni Episcopi et aliorum Exarcharum (Ponti, Asiae proconsularis, Thraciae); erant enim inris mere ecclesiastici; at iura patriarchalia Romani Episcopi inclusa in primatu super totam Ecclesiam divinitus instituto *confirmare* nec potuit nec voluit, sed tantum *agnoscere* et inducere velut normam et argumentum, quo probaretur congruum fuisse, illis aliis sedibus similia patriarchalia iura concedere, et eadem a synodo confirmari. Τα αρχαία ἔθνη κρατεῖται τὰ ἐν Ἀιγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρεῖα ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχει?

•σιαν, « ἐπειδὴ καὶ τῶ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκοπῶ τούτο συνηθεῖ ἐστὶν ὑ ὁμοίως καὶ κατὰ Ἀντιοχείαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεία σωζέσθαι τι.; Ἐξζησ'α'. - Nicaena synodus non aliquid ansa est super eam (successorem Petri) constituere; omnia denique huic noverat Domini sermone concessa » (Bonifacius I. ep. 14. et alii supra citati). » Privilegia huic sanctae Ecclesiae a Christo donata, a synodis non donata sed iam solummodo celebrata et venerata, per quae non tam honor quam onus nobis incumbit; licet ipsum honorem non meritis nostris, sed ordinatione gratiae Dei per beatum Petrum et in beato Petro simul adepti » Nicol. I. ep. 8. ad Michael, imperat. (Hard. T. V. p. 162.).



tum exercitii et *a posteriori*, tum *a priori* per exclusionem absolutae necessitatis; et sunt *u* omnia unum actu *n* in suprema divinitus instituta potestate universali.

III. Ex omnibus disputatis forte quis consequi existimet, unionem primatus cum episcopatu Romano iam ita existere, ut dogma sit fidei catholicae separationem et translationem primatus ad aliam sedem etiam per supremam ipsius Romani Pontificis potestatem effici non posse.

1'. Tria haec sine dubio sunt de fide catholica, *i*) Christum instituisse in Petro potestatem primatus super universam Ecclesiam; *fi*) instituisse hunc primatum perenniter permansurum ut visibile fundamentum et petram a Christo petra principali positam adeoque pertinentem ad ipsam divinam constitutionem Ecclesiae, quamdiu haec indefectibilis consistet usque ad consummationem saeculi, ac proinde simul cum primatu institutam esse *perpetuam in eo successionem*, ut semper (serie naturaliter continua) *unus* sit in Ecclesia visibili visibilis et cognoscibilis successor Petri; *γ*) hos in primatu successores esse Romanos Pontifices, ad quos solos actu pertinet et semper pertinuit legitima Petri successio. Vide supra definitionem Concilii Vaticani.

Primum et secundum dogma in ipsis verbis promissionis et institutionis a Christo in Petro factae contineri, ut semper et ubique in Ecclesia Dei intellecta sunt, atque ex illis nulla assumpta propositione quae revelata non sit, simplici analysi deduci, in superioribus thesibus demonstratum habes. Tertium non est nisi concreta expressio et applicatio utriusque dogmatis praecedentis. Verba Christi Dei, quibus primatum et perennem continua serie in eo successionem promisit et instituit (tu es Petrus... tibi dabo claves regni coelorum... confirma fratres tuos, pasce oves meas), non enuntiant veritatem solum abstractam, nec respiciunt personas indeterminatas, sed dicta et directa sunt in concreto ad personam Petri et singulos eius successores in tota serie; non sunt verba theoretica dumtaxat et speculativa, sed sunt verba practica et id quod significant, efficientia in Petro et in eius successoribus, quos singulos Christus in mente habens alloquebatur. Iam vero hi in primatu Petri successores vel nulli sunt, et verba aeternae veritatis iam

vera non essent, semper erant et in praesenti ordine sunt soli Petri successores in sede Apostolica Romana. Facto enim constanti per universalissimam traditionem evidenti illi soli semper practice agnoscebantur et agnoscuntur, et theoretice praedicabantur et praedicantur eo ipso, quod succedunt Petro in sede Romana, successores in primatu, quem verbis divinis efficientibus Christus in Petro una cum perenni successione instituit. Ergo verba Christi pro praesenti saltem ordine *implicite* comprehendunt et enuntiant ut successores in primatu divinitus instituto omnes et solos Pontifices Romanos, eaque veritas *explicite* applicatur et credibilis atque credenda proponitur facto evidenti ex universalissima traditione. Ergo fide catholica sicut divinitus institutus primatus atque perennis eius conservatio et in eo singulorum successio, ita non minus *Romanorum Pontificum* pro praesenti saltem ordine in eodem successio credenda est. *u* Ut Ecclesiae certo constet, ait Suarez, in tali sede impletam esse et hactenus impleri institutionem a Christo factam et in Scriptura revelatam, satis est ut applicatio, ut ita dicam, illius institutionis et dignitatis ad talem episcopatum per evidentem traditionem et continuum ac notissimum usum eidem Ecclesiae sufficientissime proponatur. . . sicut ergo Ecclesia visibilis non tantum fide humana sed etiam divina creditur esse Ecclesia (vera Iesu Christi), quia sensibilia signa per quae videtur, non sunt ratio credendi, sed proponunt ut evidenter credibile, illam esse veram Ecclesiam, quam Deus semper in mundo esse futuram revelavit: ita non solum fide humana sed etiam divina credendum est, *Romanum Pontificem* esse caput visibile huius Ecclesiae vice Christi, quia signa illa quibus hoc caput ostendimus, faciunt credibile evidenter, illum esse quem Christus ex vi suae institutionis Vicarium suum constituit. Hoc ergo modo dicimus, assertionem positam esse de fide, et in Scriptura, adiuncta Ecclesiae traditione, sufficienter contineri *n* Suarez cont. Reg. Angi. 1. III. c. 13. Imo ipsum hoc dogma de successione *Romanorum Pontificum* in primatu divinitus collato Petro, pro se suisque successoribus, in fidei decretis et professionibus superius in hac thesi (η. I.) descriptis diserte declaratum est ac definitum. Nunc vero post ea,

to' IX  
a. l. y.

77 T II.  
•A i\*



quae modo diximus, animadvertas quaeso, in definitione Florentina ultimum incisum non solum valere ad confirmandam plenitudinem potestatis in primatu institutam a Christo, sed etiam continere modum quo revelata doctrina de successione in primatu applicatur et referri ostendatur *ad Pontifices Romanos*. *u* Diffinimus... ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum... et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse; *quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur*, *n* Continetur nempe in hisce gestis et canonibus seu in universa traditione tum declaratio *iu.ris* de plenitudine potestatis, tum ostensio *facti* successionis, qua ius exhibetur pertinens et applicatum ad solos Pontifices Romanae Ecclesiae.

2°. Iam vero si haec ita sunt, nonne etiam quartum, quod memoravimus, dogma simpliciter *de fide* credendum est, unionem primatus cum sede et Ecclesia Romana ita esse absolutam et pertinere iam ad ipsam constitutionem Ecclesiae incommutabilem, ut nulla ne suprema quidem ipsius Pontificis Romani potestate primatus separandus et alio transferendus sit? Respondemus, id dogma definitum *de fide* hactenus saltem non esse; esse tamen veritatem theologiam quae ex modo, quo ipsum dogma de primatu Romanorum Pontificum seu Romanae Ecclesiae in documentis ecclesiasticis enuntiatur est legitime deducitur.

(i) Prima pars huius propositionis conceditur ab ipsis illis gravissimis theologis, qui contra Dominicum Sotum inseparabilitatem primatus a sede Romana strenue defendunt quidem, sed si de separatione per supremam Ecclesiae auctoritatem, quae in Petri successore ipso residet, quaestio instituat, mitioribus modis loquendi utuntur. De suprema inquam ipsius Pontificis Romani potestate intelligo tum Sotum, qui (4. dist. 24. q. 2. a. 5.) per Ecclesiae auctoritatem fieri posse separationem defendit, tum illos alios theologos opinionis Soti impugnatores: si enim de inferiori potestate ecclesiastica ageretur, nec Sotus opinor, illam **sententiam defendisset, et eius** oppugnatores severiori censura usi fuissent.

Gregorius de Valentia contra Soti argumenta intra se\* quentem se continuit improbationem: « utrumque subtiliter ista pro Soti opinione disputari possint, mihi certe videtur ea opinio in re tam gravi nimium esse *singularis ne: cero satis tuta* » Analys. fidei 1. VII. c. 12. Suarez quaestionem in eo sensu, quem diximus, velut hypothesin seponit: « quidquid sit de illa quaestione quae *a theologis disputatur*, an possit Summus Pontifex separare primatum a Romana sede, et illum vel in alio episcopatu collocare vel ab omni particulari episcopatu separatum relinquere. certum esse existimo, dum aliquis Summus Pontifex id non fecerit, non posse universam Ecclesiam, vacante Papatu, id efficere, quia non potest inferior potestas mutare, quod per superiorem constitutum est, et quia sicut Petro soli datus est primatus pro ipso et successoribus eius, ita ad ipsum solum seu ad Summum Pontificem spectat determinare sedem Pontificalem (in hypothesi quam Suarez permittit, quod determinatio non iam incommutabiliter facta sit), et modum electionis et successionis eius praescribere » 1. III. c. 19. cont. Reg. Angi. Cautius et clarius loquitur Bellarminus: « Petri privilegium est alligatum Romanae urbi, donec Petri successores Romae sedem retinent. Nam si divino iussu sedes alio transferretur, non essent amplius Romani Episcopi totius Ecclesiae Episcopi; si transferretur, inquam, ipsa sedes, ita ut qui nunc sunt Romani Pontifices, alicuius alterius loci Episcopi dicerentur, non enim sola absentia Pontificum ab Urbe sedem transferre dicitur. Atque haec ex hypothesi dicta sunt; non enim credimus umquam futurum, ut sedes alio transferatur » 1. II. c. 12. de Rom. Pontif. De suprema Ecclesiae potestate, quae sit in ipso summo Pontifice, intelligendus est etiam temperantior modus loquendi, quo diserte provocans ad Gregorium de Valentia, Suarezium et Bellarminum Benedictus XIV. utitur: « quamvis possit in aliquo sensu, dici, supremam Ecclesiae monarchiam iure tantum humano esse annexam sedi Romanae, quia nimirum utriusque unio, nexus et alligatio ortum habuit ex facto Petri, attamen *non videtur posse sustineri illorum opimo*, qui asseruerunt praefatam connexionem ita esse de iure humano. ut possit ab Ecclesia (potestate nempe Pontificis su-

:A

4r.i

M



prema in Ecclesia) dissolvi, et una ab altera separari « 1. II. c. 1. n. 1. de Synod, dioeces. Vide etiam Petri Ballerini Vindicias contra Febroniuiu c. 8. §. 2; Laurentium Veith de Rom. Pont. sect. I. §. 19. (1). **H**

b) Pars altera nostrae propositionis, nulla ne suprema quidem potestate primatum umquam separandum esse a sede et Ecclesia Romana Petri, tam manifesto fundamentum habet in Conciliorum definitionibus et professionibus fidei hac thesi descriptis, atque in doctrina Pontificum aliorumque Patrum in thesi antecedenti proposita, ut potius opus fuerit monere hanc veritatem non haberi a theologis ut certam *defide*, quam ut dubitari possit esse veritatem theologiam gravissimis nixam argumentis et documentis.

a) Sane in illa hypothese universalis et constans omnium saeculorum ratio sentiendi et docendi totius Ecclesiae mutanda esset; traditio universa ecclesiastica, quae non iam in decretis legislationis dumtaxat per potestatem et clavim iurisdictionis sed in definitionibus et professionibus fidei per infallibile magisterium et per clavim doctrinae fulgidissime resplendet, non esset pro omni aetate incommutabiliter vera sed hypothetice tantum, quanidiu ipsum fundamentum et obiectum definitionis et professionis fidei, quod supponitur mutabile, non mutatum subsistit. At tota illa traditio, omnes illae definitiones et fidei professiones omnino absolute veritatem enuntiant, nec in eis ullum est vestigium istius hypotheticae dumtaxat veritatis, et mutabilitatis obiecti; veritatem ergo enuntiant incommutabilem; nec valor et significatio solum hypothetica et mutabilitas obiecti ex illis sacratissimis documentis eruitur, sed sine solida ratione eis affingitur, quod sane nefas est.

f1) Non dabimus Ballerinio et Laurentio Veith qui fere verba eius exscripsit, Benedictum XIV. refutasse eorum dumtaxat opinionem, qui affirmassent, -annexionem primatus Romanae sedi factam dissolvi posse <ij> *Ecclesia, prout a Pontifice seiuncta spectatur* - Veith l. c. Addunt illi duumviri: - utim autem id fieri possit voluntate ipsorum Pontificum, si Romanam sedem deserentes aliam sedem perpetuo retinendam eligerent, in quam s. Petri successionem et primatum transferrent, non est facile decidendum. - Non equidem a privatis theologis decidendum est, sed tamen videndum, quid ex Conciliorum et Pontificum ceterorumque Patrum doctrina legitime deducatur.

Supponamus primatum a sede Romana Petri translatum et iam coniunctum sedi alteri, Neapolitanae, Parisiens!, Coloniensi. Ergo pro illa supposita futura aetate non erit amplius verum, quod definitum est et usque ad illud tempus ab omnibus fide catholica credendum erat, *u* ipsum Pontificem *Romanum* successorem *esse* (non solum *fuisse* aliquando) beati Petri principis Apostolorum totiusque Ecclesiae caput; *r* ac propterea tura temporis non erit anathema, « qui dixerit *Romanum* Pontificem non esse beati Petri in primatu successorem; *n* nec amplius profitendum erit, *a* *Ecclesiam Romanam* disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis *obtinere* (non solum *obtinuisse*, sed sine limitatione temporis) principatum, » hancque non esse aliam quam « *Romani* Pontificis iurisdictionis potestatem, erga quam pastores atque fideles tum seorsum singuli tum simul omnes obstringuntur; » erit mutandum, quod eo usque propositum erat credendum in professione Lugdunensi et Tridentina: *a* ipsa sancta *Romana Ecclesia* summum et plenum primatum super universam Ecclesiam catholicam *obtinet*; *n* *a Romanam Ecclesiam* omnium Ecclesiarum matrem et magistram *agnosco*, *Romanoque* Pontifici beati Petri Apostolorum principis successori ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro. *n* In summa vera Ecclesia Iesu Christi non erit amplius *Ecclesia Romana catholica*, sed Ecclesia Neapolitana vel Parisiensis catholica. Absurditas ipsa horum consecratorum catholicis auribus intolerabilis, quae tamen omnia in illa suppositione translatae sedis necessario continentur, demonstrat incommutabilitatem obiecti, quod in definitionibus et professionibus fidei credendum proponitur.

Haec eadem definitionum et professionis fidei lucida doctrina continetur etiam evidenter in tota ecclesiastica traditione, ex qua proinde idem existit ineluctabile argumentum incommutabilis soliditatis, qua sedes Romana Petri semper est et manet sedes Apostolica Petrina, heres nempe totius iuris et potestatis a Christo in Petro institutae, ut in thesi superiori XI. demonstravimus. Unde illic demonstrata recolenda sunt, nihil autem opus est eadem hic repetere: velim autem animadvertas, ex illis documentis non



solum concludendo deduci sed etiam disertis verbis praedicari incommutabilem firmitatem principatus in sede Romana Petri. Episcopus Romanae Ecclesiae Coelestinus in Concilio Ephesino dicitur « Petri Apostolorum principis et capitis *secundum ordinem successor et locum tenens*; *n* de successione ergo Petri in Romana Ecclesia et non de alia dicuntur vel intelligi .possunt, quae ibi de successoribus Petri praedicantur tamquam omnibus saeculis nota: *u* Nulli dubium imo omnibus saeculis notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus.... *ad hoc usque tempus et semper* in suis successoribus vivit et indicium exercet; » quae hoc sensu repetita et citata sunt etiam a Concilio Vaticano (cap. 2.). Potentiam ligandi et solvendi, quam canonica antiquitas ex promissione Christi agnovit in Petro, Zosimus non solum sibi vindicat, sed declarat, Petri potestatem esse in omnibus sedis Romanae Petri heredibus, eandem semper, quia ipse huius suae Ecclesiae maxime habet curam, eique constituit sui nominis fundamenta ita ut quemadmodum ad perpetuitatem universalis Ecclesiae ne umquam portae inferi praevaleant adversus eam, sic ad perpetuitatem privilegii Ecclesiae Romanae sit Petrus in suis successoribus: « Par potestatis data conditio in eos, qui *sedis hereditatem* ipso (Petro) annuente meruissent; habet enim ipse cum omnium Ecclesiarum tum *huius maxime, ubi sederat, curam; nec patitur aliquid privilegii aliqua titubare aura sententiae* (in illa Ecclesia, ubi sederat), *cui ipsa sui neminis firma et nullis hebetata motibus constituit fundamenta*, et quae sine suo periculo temere nullus incessat... ut tam humanis quam *divinis legibus et disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia.* » Eadem est doctrina s. Leonis de indeficiente consortio Petri cum aeterno sacerdote tum quoad Apostolicam tum quoad episcopalem in sua sede dignitatem quia soliditas petrae derivata a Christo petra manet in Petri heredibus: *a* subiungit autem se non solum Apostolica *sed etiam episcopalis beatissimi dignitas Petri, qui sedi suae praeesse non desinit, et indeficiens* obtinet cum aeterno sacerdote consortium; *soliditas enim dia* quam de petra Christo etiam ipse petra factus accepit, *in suos quoque se transfudit haeredes,* *n* Idem de aeterna

soliditate sedis Romanae, ut a portis inferi haec ipsa sedes numquam vincatur, repetit Gelasius: Petrum Christus a dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, .. ibique gloriosa sanguinis effusione decoratus *aeterno hospicio conquiescit praestans sedi, quam ipse benedixit, ut a portis inferi numquam pro Domini missione vincatur.* » In epistola lecta et acclamata in Concilio VII. Pontifex Hadrianus I. profitetur: « ipse princeps Apostolorum beatus Petrus, *qui Apostolicae sedi primus praesedit, sui apostolatus principatum ac pastoralis curae successoribus suis, qui in eius sacratissima sede perenniter sessuri sunt, dereliquit...* et auctoritatis potestatem suis... *tradidit divino iussu successoribus Pontificibus,* »

β) Apparet falsitas suppositionis, quam impugnamus, ex alia consideratione constitutionis Ecclesiae eiusque visibilis fundamenti sedis Romanae Apostolicae. In illa hypothesis separati primatus ab Ecclesia et sede Romana, vel dicitur haec Ecclesia et sedes Apostolica adhuc permanere ut sedes episcopalis privata iam iuribus primatus, vel supponitur omnino periisse.

Si sedes episcopalis Romana adhuc permanet, nulla ratione fieri potest, ut ea non sit *sedes Apostolica*, non sensu solum illo historico quod episcopatus huius Ecclesiae particularis sit fundatus ab Apostolo (ut erant multae aliae sedes fundatae a Petro, Paulo, iōanne et a ceteris Apostolis); sed *sedes Apostolica Petrina*, idest a Petro, ut erat a Christo pro se et pro tota serie suorum ex ordine (κατα ταξιν) successorum instructus iuribus et officiis primatus, *erecta ad sedem primatiales* super totam Ecclesiam. Non enim ut superius vidimus, sunt duae sedes, alia primatus et alia Romani episcopatus; sed ipsa una sedes Romana Apostolica facta est a Petro primatialis pro se et suis in eadem sede ex ordine successoribus, quam ergo moriens cum omnibus suis iuribus divinitus institutis vacantem, hoc est a legitimis in hac una sede Romana successoribus occupandam reliquit. Hinc vidimus, semper et ubique ab omnibus sine ulla controversia habitam et agnitam esse successionem in sede episcopali Romana ut identicam cum successione in primatu super totam Ecclesiam,

tu

..

fi.»



## — 208 —

seu (tacta distinctione secundum duplicem rationem) ut signum visibile authenticum successionis iu primatu: qui succedit Petro in episcopatu Romano seu in una cathedra aut sede Romana, eo ipso et eo solo est et semper theoretice praedicatus atque practice habitus est *heres Petri principis Apostolorum*. Quamdiu ergo permanet sedes Romana, quicumque in ea succedit, est successor et heres Petri in primatu; nec hereditatis ius intelligi potest in alia sede, quae non est nec effici potest *Apostolica Petrina*. De quavis scilicet alia sede verum est, multoque magis verum in comparatione cum sede Romana, quod s. Leo dixit de Ecclesia Constantinopolitana in comparatione cum Alexandrina et Antiochena: « nec praeter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit (1), stabilis erit ulla constructio... non dedignetur (Anatolius) regiam civitatem, *quam Apostolicam non potest jacere sedem* » (ep. 104. c. 3.).

Altera suppositio Ecclesiam hanc Romanam omnino perituram aut eius sedem abolendam esse, excluditur constanti traditione de significatione et de effectu promissionum Christi. Relegantur superiora testimonia, vel etiam ea sola quae hoc numero induximus de firmis fundamentis Ecclesiae Petri; de indeficiente in ea Petri sacerdotio; de benedictione Petri super suam sedem, ut a portis inferi numquam vincatur; de perenni sessione successorum Petri in eadem sede. Ad horum confirmationem et illustrationem animadvertatur, ad notam visibilem *apostolicitatis* Ecclesiae Iesu Christi etiam illud pertinere, ut semper in ea sit sedes aliqua manifesto apostolica, cuius nempe Episcoporum series numquam interrupta indubitanter pertingat usque ad fundatorem Apostolum. Imo ut haec nota Apostolicitatis constans et certa maneat pro omnibus temporibus et incommutabiliter tuta ab omni discrimine, necesse est, ut sedes ista apostolica non solum historice numquam defecerit, sed ut dogma-

(1) Haec petra ab ipso Domino posita in fundamento est sedes Romana Petri, qua contradicente frustra conatur ambitio Anatolii et favor Imperatorum sedem urbis regiae praeponere Alexandrinae et Antiochena, quae sua habent privilegia inre quidem ecclesiastico dumtaxat, sed tamen concessa ob rationem, quod sedes sunt apostolicae ex modo foundationis propius connexae cum Petro et cum sede Petri

tice constet eam deficere non posse, « Edant ergo (haeretici) origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt; sicut Smyrnaeorum Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert, sicut Romanorum Clementem, a Petro ordinatam edit, proindeque et ceterae exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant... Quae licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur, tamen in eadem fide (cum Apostolicis) conspirantes, non minus Apostolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae » Tertull. Praescript. c. 32.

•3

Iam vero huiusmodi Ecclesia Apostolica, quae manifesto et sine interruptione Episcoporum successionem, servata etiam consanguinitate doctrinae, ab Apostolo decurrentem exhibeat, nulla iam existit praeter Ecclesiam Romanam Petri; eoque magis ipsa sola est, cui Patres et Concilia eam soliditatem vindicare vidimus, ut omnino « pro Christi missione » deficere nequeat, atque alias sedes, si defecerint, valeat restituere, quemadmodum in Concilio VIII. patricius Bahanes argumentatus est. *a* Posuit Reus Ecclesiam suam in quinque patriarchiis, et definivit in evangeliiis suis, ut numquam aliquando penitus decidant, eo quod capita Ecclesiae sint. Etenim illud quod dicitur, et portae inferi non praevallebunt adversus eam, hoc denuntiat: quando duo ceciderint, currunt (pastores et greges fidelium) ad tria; cum tria ceciderint, currunt ad duo; cum vero quatuor forte ceciderint, *unum, quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro*, revocat iterum reliquum corpus Ecclesiae » (Hard.T. V. p. 880.). Modus diversus et diversum ius, quo quinque patriarchiae seu sedes sunt capita Ecclesiae, et textus evangelii qui inducitur ad probationem, evidenter demonstrat, istud *unum* seu istam unam sedem, quam Bahanes indeficientem duplici illo argumento ostendit, non posse esse nisi sedem et Ecclesiam Romanam Petri. Hinc etiam



in superioribus vidimus, quomodo Patres Irenaeus, Optatus, Augustinus, Epiphanius et alii ut « compendium probationis \* pro Ecclesiae catholicae veritate in professione Fidei, et pro unitate in communione caritatis inducant perennem non interruptam inde a principe Apostolorum Petro decurrentem successionem Episcoporum Romanorum, quae successio in Ecclesia « potentioris principalitatis, n in Ecclesia i. principali, ” „ ad quam necesse est omnem convenire Ecclesiam, n non solum usque ad illa tempora Patrum non defecit, sed propter ipsum finem, ad quem potentior illa principalitas Ecclesiae Petri est instituta, ad visibiliter exhibendam Ecclesiae unius et verae Iesu Christi perpetuitatem, atque adeo ad notam visibilem apostolicitatis nullo unquam tempore deficere potest: unde et Optatus « primam de dotibus n Ecclesiae Catholicae dicit esse - cathedram unicam, quam sedit prior Petrus. »

Puto satis esse demonstratum, quod proposuimus; est nempe veritas theologica certa innixa principiis et documentis fidei, primatum a sede et Ecclesia Romana Petri numquam ne suprema quidem successorum Petri potestate esse separandum. - 'æ B

γ) Difficultas aliqua remanet non quoad veritatem ipsam in concreto spectatam, eo modo quo eam enuntiavimus et demonstravimus, sed quoad potestatem separationis in Summo Pontifice absolute et abstracte spectatam, eo modo quo quidam theologi ipsam omnipotentiam divinam considerant absolute et abstrahendo a ceteris attributis sapientiae, iustitiae, bonitatis, qua dicunt Deum posse multa, quae potentia ordinata (ut ipsi loquuntur) hoc est simul spectatis omnibus attributis divinis non potest. Difficultas quam diximus, ita habet. Potuit Petrus seiungere et re ipsa seiunxit primatum a sua sede priori Antiochena transferendo eum ad sedem Romanam sibi posterius adoptatam, nec apparet ratio, cur ille vivens non potuisset etiam ab hac Romana ad aliam sedem eum transferre. Atqui in successore Petri est omnino eadem potestas ordinaria, exceptis nempe charismatibus extraordinariis non propagandis ad heredes, quae erat in ipso Petro. Ergo aequè ac potuit Petrus, potest successor Petri primatum transferre ad aliam sedem. Imo qui hoc

negat, dum videtur exaltare privilegia sedis contra fas limites ponit potestati sedentis. Responsio et declaratio difficultatis continetur sequentibus. 1'. Si quod ss. Pontifices Leo, Gelasius, Gregorius, Hadrianus et alii Patres praedicant, Petrum *dirinis praeordinationibus*, in Romanas arces anteivisse honorem potestatis (1), eum *ab ipso Christo* in dominam gentium Romam dispensatione mirabili fuisse directum, sedem Petri *Romanam auctore Deo* cunctis praelatam esse Ecclesiis. Petrum potestatem quam ipse acceperat a Christo, *iussu, divino* tradidisse suis in sede *Romana* successoribus, intelligeretur de iussu divinitus revelato, adeoque de unione *Romanae* sedis cum primatu *ex iure dirino*, quod Petrus Apostolus tamquam revelationem catholicam saltem practice et facto ipso Ecclesiae consignasset, iam ipsa illa perennis unio esset de fide catholica, nec eam, hoc supposito, ab ipso Petro vel ab eius successoribus potuisse aut posse dissolvi, manifestum est. Hujusmodi vero veritatem de fide catholica ex iam concessis non asserimus, neque ergo asserimus revelatam iussionem et proprie dictum ius divinum. Attamen quandoquidem agitur de Apostolo et de principe Apostolorum et de institutione concernente totam Ecclesiam, imo de institutione quae intime connectitur cum ipso visibili Ecclesiae fundamento, quod a Christo positum est in Petro et in successione Petri; ex ipsa hac rerum natura sequitur, quod et omnibus Conciliorum Pontificum et Patrum citatis testimoniis docetur, saltem per specialem supernaturalem assistentiam et directionem Petrum cum hac sua sede *Romana* univisse et unitum suis in eadem successoribus reliquisse primatum (2). 2n. Constitutus

(1) S. Leo serm. 82. c. 5.

(2) Benedictus XIV. dubium inris divini et supernaturalem divinam directionem ita exprimit: « cum Petrus suam sedem Roma? fixerit..... et in ea martyrio cozonatus gloriose obierit, *sice id evenerit ex divino praecepto seu erpressa revelatione, ipsi Petro specialiter a Deo facta, sive ex tola voluntate Petri, licet divinitus inspirata*; inde factum est, ut supremi pontificatus praerogativa ita insita manserit sedi Romanae, ut qui in hac Petro succedit, necessario succedat in totius Eccle.-iae primatu Petro. » de Syn. dioeces. l. II. c. 1. Laurentius Veith ponit tres propositiones: t 1'. De iure divino et ex institutione Christi es\*, quod, quicumque Petro succedit, sit caput Ec lesiae universalis, seu habeat primatum in univer-

1. ]  
v VI  
t : i  
|  
μ κ'''



sub hac .. mirabili dispensatione ð **Dei neque ipse Petrus** potuisset separare primatum a sua sede Romana, non quidem ex defectu potestatis per se et absolute spectatae, sed ex privilegio indefectibilitatis apostolicae in sequenda divina directione praesertim quoad huiusmodi magnas totam Ecclesiam eiusque ipsum visibile fundamentum concernentes institutiones, quantumvis supponantur non immediate divini sed apostolici dumtaxat iuris. Pro successoribus autem Petri, quidquid sit de potestate per se et abstracte considerata, rem spectando in concreto cum omnibus suis adiunctis unio non in transitu sed in consummatione facta a Petro, ut loquitur s. Innocentius, et constituta successio in primatu per ipsam successionem in sede Romana multo magis incommutabilis iuris censi debet. Re-colantur superius citata documenta, ex quibus probatum est, totum modum sentiendi et docendi de successione Petri, de Ecclesia et sede Apostolica Petri, expressum definitionibus et professionibus fidei catholicae et universali traditione omnium aetatum, in hypothesisi de qua agitur, mutatum et transversum iri; qua maior et, ut mitissime dicatur, periculis plenior perturbatio in Ecclesia Dei nescio an cogitari possit. Ergo illa translatio primatus et mutatio signi visibilis pro successione in hereditate Petri, numquam potest esse, quaecumque supponantur rerum et temporum conditiones, in aedificationem corporis Christi, sed semper foret in eius perpetuum et universale detrimentum. Atqui *u* plenitudo potestatis est omnia posse in aedificationem corporis Christi, *n* eaque adstricta est normis divinis. Ut vero semper actu ipso hisce normis regatur, promissa est successori Petri non solum ad infal-

sam Ecclesiam; 20. De iure divino et ex institutione Christi est, quod Romanus Pontifex hunc primatum habeat. Nam in praesenti rerum statu, in quo Petrus pro ultima sua sede elegit Romani, voluntas Christi est, ut successores Petri in hac sede Romana etiam sint eius successores in primatu; 30. dubium est, utrum sit iuris divini seu ex institutione Christi, quod Episcopus Romanus, *quia Episcopus Romanus est*, sit Petri successor et primatum in universam Ecclesiam habeat; quia dubium est, utrum Petrus ex iussu Christi vel ex voluntate sua humana Romam pro sede ultima elegerit 19. p. 55. Vide etiam Bellarmin. de Rom. Pont. l. Ii. c. 12; l. IV. c. 4. £ 3M

libilitatem in definiendis rebus fidei et morum, sed etiam, ad univesale regimen Ecclesiae, quatenus inde ipsa fidei et morum custodia pendet, indefectibilis assistentia Dei. Ergo ipsa fidelitas Dei in suis promissis securos nos reddit, numquam, ne per supremam quidem successorum Petri potestatem, unionem primatus cum Apostolica sede et Ecclesia Romana Petri esse dissolvendam.

In argumento igitur, ut illud opponitur, tum *maior* tum *minor* propositio transmittenda est, quatenus in ea potestas Petri et eius successorum per se et abstracte spectatur; quatenus vero spectatur sub indefectibili directione et assistentia Dei simul cum omnibus modis et conditionibus, quibus unio primatus cum sede Apostolica Romana Petri facta et semper intellecta atque praedicata est, negandum est potuisse aut posse umquam fieri, ut eadem unio ab ipso Petro vel ab eius successoribus dissolveretur aut dissolvatur.

Aliam difficultatem movit scriptor anonymus, contra quem Franciscus Ant. Zaccaria edidit dissertationem *u* de Romani Pontificis primatu, » Si praerogativa divina primatus, aiebat ille, in successore Petri adstringitur ad locum, in quo mortuus est hic Apostolus, *u* quid de illo primatu fiet, cum Roma ex prophetarum et Ioannis vaticiniis abysso perpetuo submersa manebit? « Imo interpretes etiam catholici ex Apoc. XVII. XVIII. deducunt Romanae urbis defectionem a religione Christiana ultimis temporibus futuram ac tandem eius interitum (1).

Responsio quatenus ad huiusmodi incertas interpretationes et suspensiones requiritur, haec est. 1°. Certum est, in illis capitibus Apocalypsis sensu literali immediato praedici interitum idololatriae persecutricis sanctorum in imperio Romano et eius centro Babylone illa magna; incerta sunt, quae de excidio, multoque magis quae de defectione urbis pro futuris ultimis temporibus textui sensu velut pleniore et altiore supponuntur. 2°. Distinguendum est inter urbem Romam materialiter et politice (hoc est in suis in-

fl) Speciminis loco vide Cornelium a Lapide in Apec. XVII. 14  
*Porro cum liber signatus, etc.*



stitutis et hominibus politicis) spectatam et inter *Ecclesiam Romanam*. Haec non moenibus et aedificiis et institutis politicis constat, sed est « plebs fidelium Episcopo adunata.\* Ecclesia nempe, quae in suo Episcopo per continuam successionem Pontificum Romanorum inde a Petro, et in suo Clero ac plebe fidei inde ab Ecclesia Apostolica per Petrum fundata decurrit, manet *Ecclesia Romana*, etiamsi urbis Romae eversio supponeretur. Cum demonstratum sit, successores Petri in primatu semper fore *Episcopos Romanos*, eadem ex ratione et eodem sensu successionis moraliter continuae atque connexae cum Ecclesia primitus a Petro fundata etiam semper censebitur *Ecclesia Romana*, u Ecclesia in Episcopo. » Videlicet perennitas moralis personarum, non perennitas physica loci postulatur. Imo etiamsi Ecclesiae Romanae *collectae et adunatae*, ut a suo Episcopo distinguitur, eversio supponeretur, et maneret tantum conditio Ecclesiae *colligendae*, qualis erat, cum primus Romanus Episcopus « silvam istam frementium bestiarum et turbulentissimae profunditatis oceanum ingrederetur » (s. Leo serm. 82. c. 4.) ; *Romani* tamen Episcopi non desinerent esse Petri sicut in universali Apostolica ita in particulari episcopali dignitate successores (cf. supra citat, s. Leon. serm. 5. c. 4.). Hunc ordinem successionis in primatu et in episcopatu Romano F. A. Zaccaria 1. c. cap. o. n. 6. ita expressit: u Primatus Petri ea tantum ratione adstringitur ad locum, in quo mortuus est hic Apostolus, ut qui *Romani* Pontifices dici possunt, ii soli eius successores haberi debeant; at *Romanarum* Pontificum successio non ex eo loco pendet, ubi commorentur, sed ex loco ubi primum illi consederunt, quibus ipsi non interrupta serie suffecti sint. Quare si Roma eversa fuerit, alio commigrabunt, *Romani* tamen Pontifices erunt, ut qui ad *Romanorum* Pontificum qui ipsos antecesserunt, ordinem pertinebunt n (1).

(1) Conferri potest ad rem illustrandam, quoi anno 1053. s. Leo IX scripsit ad duos Episcopos Africanos de sede Carthaginensi. a Sine dubio post Romanum Pontificem primus Archiepiscopus et totius Africae maximus Metropolitanus est Carthaginensis Episcopus, nec pro aliquo Episcopo in tota Africa potest perdere privilegium semel susceptum a sancta Romana et Apostolica sede: *sed obtinebit illud usque in finem saeculi, ci*

IV. Multo gravior est error, qui in *Syllabo* Propositione XXXV. a s. Sede proscriptus est. Sed ut venenum istius Propositionis plenius intelligatur, iuvat praestruere pauca quaedam de Novatorum principiis et doctrinis, quibus illa thesis Ioannis Nepomuceni Nuytz intime cohaeret.

Iam saeculo elapso, cum bellum atrox contra Apostolicam Sedem tum rebus nefarie gestis tum impiis scriptis fere ubique moveri coepisset, Febronius (Nicolaus de Hontheim) in suo libro *a* de statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis, <sup>b</sup> qui non solum per s. Congregationem Indicis sed etiam pluribus litteris ad Episcopos Germaniae datis a Clemente XIII. proscriptus est, inter errores alios haereticos et schismaticos etiam asseruit, « *auctoritate Ecclesiae* primatum ad alium Episcopum e. g. Mediolanensem, Parisiensem transferri posse» (cap. 2. §. 3.). Auctoritatem vero *Ecclesiae* intelligit distinctam et seiunctam ab ea successoris Petri, Pontificis Romani. Nititur haec doctrina principio haeretico, quod post Alphonsum Tostatum ab Edmundo Richerio et lansenianis inductum his non secus ac Febronio fundamenti instar erat ad oppugnandam monarchiam ecclesiasticam et supremam Sedis Apostolicae auctoritatem iurisdictionis et magisterii super universam Ecclesiam. Claves potestatis ecclesiasticae, aiebant, a Christo datas esse non immediate Petro et sub Petro Apostolis pro se suisque successoribus, sed datas esse universitati fidelium, atque ab hac universitate committi coetui sacerdotali Episcoporum ac presbyterorum, ac tandem singulis Episcopis et inter hos primo inter Episcopos Pontifici Romano, ita ut potestas radicaliter et essentialiter semper maneat penes universitatem fidelium, in Episcopis vero et in Romano Pontifice non sit nisi instrumentaliter et ministerialiter ad executionem, ut scilicet dependenter a coetu fidelium et tamquam ministri, ad quos potestas ab eodem coetu fidelium derivata est, actus potestatis exsequantur. Richerius (de ecclesiastica et politica potestate

*donec in en (Africa) invocabitur nomen D. N. I. C. sive deserta iaceat Carthago sire resurgat gloriosa aliquando n* (ad Petrum et Ioannem Episcopos cp. 84. Migne T. CXLIII. p. 729.).



cap. 1.) hocce ponit principium: » Christus fundando Ecclesiam prius, immediatius atque essentialius claves sive iurisdictionem toti dedit Ecclesiae quam Petro, seu quod eodem redit, claves toti contulit Ecclesiae, ut per unum ministerialiter exercerentur; quandoquidem tota iurdictio ecclesiastica primario, proprie ac essentialiter Ecclesiae convenit, Romano autem Pontifici atque aliis Episcopis ministerialiter et quoad executionem tantum. » Vide Petavium de Ecclesiastica Hierarchia l. III. c. 14-16. (1). Cum his cohaeret doctrina Quesnelli et eorum lansenianorum, qui in suis Hexaplis eam detenderunt (cf. Mamach. Origin, et Antiquit. Christian. T. V. p. 257.); propositio enim XC. inter damnatas in Bulla *Unigenitus* haec est: - Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exercent per primos pastores, de consensu saltem praesumpto totius corporis. *n* Febronii principium idem prorsus est et etiam clarius expressum ac Richerianum. *u* Ecclesia ipsa principaliter et radicaliter obtinet potestatem clavium, quae ab illa in omnes eius ministros ipsumque summum Pontificem derivatur, et singulis quibusque pro sua portione communicatur. .. Claves a Christo toti Ecclesiae, collective sumptae, datae sunt ita, ut harum ius iuxta eiusdem Ecclesiae beneplacitum et destinationem per Praelatos et Antistites exercentur, » Febr. l. c. cap. 1. §. 11; cap. 2. §. 4. Vide F. A. Zaccaria Antifebron. T. I. Introd. cap. 4; Antifeb. vindicatus Dissert. I. cap. 2.

Ex hisce principiis potestatem primatus et totius ordinis ecclesiastici, ut a Christo in Petro et Apostolis instituta est, penitus subverti manifestum est; nec Petrus et Petri successor praest pastor ovium Christi, sed subest ovibus pascendus ab ipsis, et subiicitur Ecclesiae et Concilio, quod aiunt Ecclesiam repraesentare (2), quatenus ab

(1) Apud Petavium l. c. etiam descriptas habes Richerii ambages et contradictorias sententias: apud Mamachium l. c. p. 250. sqq. historiam eius retractationis. .M

(2) Concilium oecumenicum legitimum, in unione scilicet et subordinatione sub visibili capite Ecclesiae, eiusque confirmatione completum rite dici potest repraesentare universam Ecclesiam, non iure et potestate derivata a unitate fidelium, sed a Christo instituta immediate in Pe-

ipsa Ecclesia derivatam habet potestatem, idque non in unione, quia neque in subordinatione, sub Pontifice Romano, sed in distinctione et oppositione ad Pontificem (1). Haec necessaria illorum principiorum consecutaria Dupinius (de antiq. Eccles, discipl. dissert. VI. §. 1.) ita statuit: *u* Non ergo Summus Pontifex habet potestatem super universam Ecclesiam, licet habeat in universa Ecclesia; sed vice versa Ecclesia potestatem habet in Pontificem; et quemadmodum mortuo alium sufficit, ita potest eum corrigere atque deponere, non quidem ipsa per se, nam universam societatem Ecclesiae convenire aut indicare, non est possibile, sed per Concilium generale quod cum universam Ecclesiam repraesentet, habet universam Ecclesiae potestatem in se unitam, cum praesertim Ecclesiae universae habeat assensum *n* (2).

tro et in Apostolis, atque inde perpetua in Romano Pontifice et sub ipso in Episcopis Apostolorum successoribus; imo et solus Pontifex sua plenitudine potestatis potest dici repraesentare totam Ecclesiam, sicut rex repraesentat totum suum regnum. Suspecti haereseos Wiclefianae et Hussiticae in Bulla Martini V. edita in Concilio Constantiensi interrogari iubentur: « utrum credat, teneat et asserat, quod quodlibet Concilium generale, et etiam Constantiense (in iis nempe, quibus accessit Pontificis confirmatio), universalem Ecclesiam repraesentet. »

(1) Febronius negat opus esse, ut Romanus Pontifex praesit Concilio, verbis sibi assumptis Benedicti Obechauser. c Est, quod in casu, quo adesse non velit aut non possit Pontifex, negem, Concilium eapropter acephalum reddi. Enimvero Pontifex rationem quidem primi Episcopi habet, sed non solus est Episcopus in Ecclesia.... Est Pontifex in Concilio Praeses, quo genere officii si primus defungi nolit, ordine secundus aut tertius, et sic de reliquis, potietur » Febron. T. II. pag. 472. Unde facile patet, etiam necessitatem confirmationis Pontificiae excludi, *u* Primatus Pontificius est *in* Ecclesia non *supra* Ecclesiam, neque illa egere potest confirmatione Pontificis, quae ipsa est columna veritatis *w* Febron. ibid, p. 460. At Concilium sine Pontifice, quo velut *forma* constituitur *Ecclesia docens*, nec est Ecclesia docens ac propterea neque columna veritatis (cf. Zaccaria Antifebron. dissert. II. c. 4. n. 7.). Vide has et ceteras doctrinas Febronii, quibus primatus iurisdictionis et infallibilis magisterii penitus negatur, ipsis auctoris verbis relatas apud F. A. Zaccaria in Opere Antifebron. vindicatus dissert. I. c. 2.

(2) Haereses istae, quas iam in antecedentibus thesibus refutavimus, omnes explicite damnatae sunt a ss. Concilio Vaticano in quatuor capitibus Constitutionis *Pastor aeternus*.



Initio huius numeri dixi, doctrinam Febronii de translatione primatus a Sede Romana ad alium episcopatum inniti hisce ipsis principiis haereticis; hinc fit, ut verba, quibus ipsa illa propositio enuntiatur a Febronio, sensum praeseferant erroneum, quatenus dicit, « *auctoritate humana* Romano Pontifici sacrum primatum creditum fuisse.» Est enim dogma fidei superius demonstratum, institutione et auctoritate Christi ac iure divino sicut Petro ita eius successoribus singulis Romanis Pontificibus primatum creditum esse et fuisse. Sed quando ab istis sectariis omnis potestas clavium dicitur a Christo immediate universitati fidelium commissa, ita ut ab hac demum universitate derivetur exercenda instrumentaliter et ministerialiter ad Romanum Pontificem et ad Episcopos, subiectum potestatis ex institutione divina erit totus coetus fidelium, atque inde porro inferre potuerunt, auctoritate humana (coetus nempe fidelium) Romano Pontifici primatum creditum fuisse. «Cum itaque (sunt verba Febronii cap. 2. §. 3.) firmum maneat, quoad personam et locum successoris in primatu a Deo nihil provisum statutumque esse, reliquum est, ut penes Ecclesiam, cui, ut dictum est, potestas clavium et omnis ecclesiastica auctoritas tradita fuit, steterit et etiamnum perduret ius determinandi, per quem unam alteramve partem clavium administrari, adeoque per quem primum in Ecclesia officium, per quem inferiora munia conformité! ad institutionem Christi geri velit. Hinc (firmum manet), sicut per rationes convenientiae auctoritate humana Romanae urbis Antistiti sacer primatus creditus fuit, sic et ex rationalibus motivis auctoritate Ecclesiae (quam paulo ante dixerat auctoritatem humanam) eundem ad alium Episcopum e. g. Mediolanensem, Parisiensem etc., transferri posse « (1).

(1) Febronius cedens tandem postulatis sui Archiepiscopi et Electoris Trevirensis retractatione suarum doctrinarum Pontifici Pio VI. satisfacere in animum induxit, ubi quoad hanc de qua agimus, propositionem proficitur: - a Romana sede ad aliam transferri primatus nequit. \* Notandum vero, propositiones retractandas ab ipsa s. Sede speciatim designatas fuisse. Sed postmodum ipsam suam retractationem non parum deturpavit edito in eam commentario, in quo praeter alia graviora suam in libris de " statu Ecclesiae propositam doctrinam de translatione primatus a Ro-

Tam vero propositio Nuytziana quoad sensum eadem est, et etiam paene iisdem verbis enuntiata ac illa Febronii, et vel eadem Febronii continet principia, vel certe cum iis erroribus cohaeret, quibus auctor eo tendit, quemadmodum in Apostolicis litteris proscribentibus libros eius (*Ad Apostolicae Sedis* 22. Augusti 1851.) dicitur, *u* ut Ecclesiae constitutionem ac regimen pervertat... Siquidem sic Ecclesiam civili imperio subditam esse per summum nefas asserit, ut ad potestatem civilem directe vel indirecte conferat, quidquid de Ecclesiae regimine, de personis rebusque sacris, de iudiciali Ecclesiae foro divina est institutione vel ecclesiasticis legibus sancitum, *n* Imo negat, Romanum Pontificem *a* comparari posse libero principi; *n* qui potestatem habeat *u* agendi *in universa Ecclesia*; *n* adeoque a fortiori negatur eius potestas *super universam Ecclesiam*. Ex his principiis, quin etiam ex ipsis verbis quibus propositio enuntiatur, ubi consensus seu «factum populorum» coniungitur velut aequipollens cum «Concilio generali, » clarum est, Concilium a Nuytzio intelligi citra et etiam contra Pontificem Romanum sensu Dupinii, Febronii et aliorum Novatorum; non autem celebratum et sancitum Pontificis auctoritate, sine qua verum et legitimum Concilium generale nullum esse potest. Propositio in memoratis litteris Apostolicis et deinde in *Syllabo* damnata his verbis enuntiata est. «Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.» In eam ergo cadit saltem una ex censuris, quibus Pontifex motu proprio ex certa scientia ac matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine libros Nuytzii reprobatur ac damnatur «tamquam continentes propositiones et doctrinas respective falsas, temerarias, scandalosas, erroneas, in S. Sedem iniuriosas, eiusdem iuribus derogantes, Ecclesiae regimen et divinam eius con-

mana sede ad aliam exhibet velut opinionem liberae disputationi permittam. Hoc autem quid aliud est quam retractatio retractationis? Vide Card. Gerdilii Animadversiones in commentarium Febronii (Opp. T. V. p. 37. ed. Neapol. 1855.).



stitutionem subvertentes, schismaticus, haereticas, protestantismo eiusque propagationi faventes, et iu haeresimet in systema iaindiu ut haereticum damnatum in Lutero, Bain. Marsilio Patavino, landuno, Marco Antonio De Dominicis, Richerio, Laborde et Pistoriensibus aliisque ab Ecclesia pariter damnatis inducentes, nec non et canonum Concilii Tridentini eversivas. » ..■

### THESIS XIII.

#### *De distinctione inter Sedem et sedentem in Sede Apostolica.*

- Seposita distinctione quae per se evidens est, inter personalia merita «edentis et praerogativas *Sedis*, 19. omnino reiicieuda est distinctio a Novatoribus inducta quoad praerogativas quae divinitus institutae competant *Sedi* Apostolicae, non vero singulis in ea *sedentibus*; siquidem praerogativae omnes a Christo institutae sunt ut propriae Petri et singulorum eius successorum, et per hos et ab his *sedentibus* pertinent ad *Sedem*. Nihilominus 2°. si perpetuitas *Sedis* Apostolicae et mortalitas singulorum *sedentium* spectetur, distinctio aliqua inter *Sedem* et singulos *sedentes* admitti debet, ex qua diversa conditio infallibilis magisterii et supremi regiminis in Ecclesia tempore *Sedis vacantis* et stempore *Sedis plenae* intelligitur. s

Nomine *Sedis* sive Apostolicae sive generatim cuiuscumque *episcopalis* intelligimus complexum iurium et officiorum pastoralium, quae vel per divinam institutionem, perenniter duratura vel iure ecclesiastico stabilita, pro aliquo episcopatu disposita sunt ita, ut ea insint singulis in illo episcopatu legitimis successoribus. Quando igitur *sedens* seu *praesidens* nominatur, intelligitur *in concreto* is ipse qui pro tempore iuribus illis pollet et officiis fungitur; nomine autem *sedis* in comparatione cum praesidente ipsa iura et officia per sese, *abstrahendo* a persona cui actu insunt, significantur, quatenus per divinam vel ecclesiasticam institutionem in hoc determinato episcopatu sunt perennia secundum ordinem successionis personarum. Hinc porro patet, denominationem *sedis* per apposita vel praedicata, quibus

actus iurium et officiorum exprimatur, determinari ad concretam significationem ipsius praesidentis, qui habet et exercet actu iura et officia; vicissim vero *praesidens* potest significari formaliter et reduplicative *quatenus* pollet illis iuribus; vel nuncupative dumtaxat *qui* iuribus pollet, sed spectando eum secundum personalia eius bona vel mala merita.

Hisce positis et assumptis iis, quae in tribus proxime antecedentibus thesibus demonstrata sunt, corollarii instar consequitur, quo sensu vero comparatio et distinctio inter sedem et praesidentem locum habeat, et quae distinctio falsa omnino sit imo et haeretica.

1. Distinctio inter praesidentes si non formaliter secundum iura pastoralia sed materialiter secundum sua bona vel mala merita spectantur, et inter sedem spectando iura in aliquo episcopatu permanentia secundum ordinem successionis, per se evidens est; eamque solum commemoramus, quia verbis quibus s. Leo Al. eam expressit, Novatores abusi sunt ad aliquem vehit patristicum colorem inducendum suae distinctioni erroneae inter sedem Romanam et in ea sedentes, de qua mox dicemus. Adversus ambitionem Anatolii Episcopi Constantinopolitani, cuius iam superius meminimus, s. Pontifex declarat, iura et privilegia sedis Alexandrinae firma esse, nec ex sceleribus Dioscori qui illam sedem tenuerat, quidquam detrimenti pati debere; adeoque etiam sedem Antiochenam in dignitate tertii gradus conservandam esse, non ad quartum redigendam iniusta usurpatione Episcopi Constantinopolitani, qui licet in inferiori sede potius meritis virtutum studeat eminere. « Nihil Alexandrinae sedi eius, quam per s. Alarcum Evangelistam beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis; nec, Dioscoro impietatis suae pertinacia corruente, splendor tantae Ecclesiae tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primum praedicante Apostolo Petro christianum nomen exortum est, in paternae constitutionis ordine perseveret, et in gradu tertio collocata numquam se fiat inferior. *Aliud enim sunt sedes, aliud praesidentes.* Et magnus unicuique honor est integritas sua, quae cura in quibuslibet locis ornamenta non perdat, quanto magis in Constantinopolitanae



urbis magnificentia potest esse gloriosa, si per observantiam tuam, et defensionem paterni canonis et exemplum probitatis multi habeant sacerdotes » ep. 106. c. 3. ad Anatol. CP. Ad defensionem paterni canonis, quo in Nicaeno Concilio (can. 6. 7.) orientalium sedium iura firmata sunt, Leo hortatur etiam Maximum Antiochenum adversus molimina eiusdem Anatolii. - Dignum est enim te xApostolicae sedis in hac sollicitudine esse consortem, et ad agendi fiduciam privilegia tertiae sedis (Antiochenae) agnoscere, quae in nullo cuiusquam ambitione minuentur, quia tanta apud me est Nicaenorum canonum reverentia, ut ea quae sunt a sanctis Patribus constituta, nec permiserim nec patiar aliqua novitate violari. *Etsi enim dirersa nonnumquam sunt merita praesulum, iura tamen permanent sedium*, quibus etsi possint aemuli perturbationem aliquam fortassis inferre. *non tamen possunt minuere dignitatem»* ep. 119. c. 3. ad Maxim. Antioch.

Comparat igitur et distinguit s. Leo *sedes ac praesidentes* eo solum sensu, quod iura cum sint vel ex incommutabili institutione divina vel saltem ex stabili ordinatione ecclesiastica, minime pendent a meritis praesidentium, sicut vicissim haec merita non pendent a maioribus minoribusve iuribus potestatis et dignitatis, quae *finaliter* in bonum Ecclesiae sunt instituta, eo fere modo quo sentiendum et loquendum est de gratiis gratis datis in comparatione cum gratiis sanctificantibus.

2. Richeriani, Ianseniani, Gallicani, Febroniani, abusu intolerabili ad verba s. Leonis appellabant, ut fucum inducerent suo errori (1), quo iura et privilegia divinitus insti-

(1) In - Defensione declarationis Cleri Gallicani » 1. X. c. 4. et sq/j. haec crambes coquitur et recoquitur usque ad nauseam, et tam manifestis sophismatis res agitur, ut causa patrocinio non bona peior facta sit. Citabo paucas dumtaxat sententias, ex quibus veritas, ut in textu exponimus erratum fuisse appareat. - Merito Petro dicitur: non deficiet fides tua: cum numquam futurum sit, ut Petri successores eorumque universa series et successio, sedesque cui praesint atque Ecclesia quam docendam et regendam susceperint, a vera fide avellantur.... Neque obiiciant, sedem a sedente Pontifice minime distinguendam; hunc enim errorem multis iam veterum testimoniis sublatum esse credimus. Vel s. Leonem audiant

tuta et oollata Petro referri aiebant ad *sedem* Petri rni-  
iiiiue vero ad singulos *sedentes* in cathedra Petri; *8'dem*  
esse indefectibilem in vera fide, ita scilicet ut numquam  
*contumaciter* deficiat ab Ecclesia universali; singulos *se-*  
*dent* posse etiam in definitionibus fidei et morum ali-  
quando falli et fallere, quamvis deinde error a successoribus  
mox corrigendus sit. Ex hac itaque doctrina *indefectibilitas*  
in fide pertinet ad Ecclesiam sive sedem Romanam Petri,  
si spectetur successio moraliter continua, eodemque modo  
ad *seriem continuam* successorum Petri; *infallibilitas* vero  
in docendo adeoque supremum infallibile magisterium com-  
petit soli Ecclesiae universali sive Concilio oecumenico, quod  
Ecclesiam universalem repraesentat. Hinc porro inferebant,  
Romanum Pontificem potestati Ecclesiae universalis ac pro-  
pterea etiam Concilio universalis Ecclesiae esse subditum;

y

' c<sup>a</sup>

de sede An iochena dicentem: aliud sunt sedes, aliud praesidentes.....  
Accipiendi ergo Romani Pontifices tamquam una persona Petri, in qua  
numpiam fides penitus deficiat; atq:-e ut in aliquibus vacillet aut con-  
cidat, non tamen deficit in totum, quae statim revictura sit...., Id iu  
Ecclesia Romana contigisse multa exempla docuerunt, neque porro aliter  
ad consummationem usque saeculi, in tota Pontificum successione, even-  
turum esse certa fide credimus. Ibi c. 4. et 5. Paulo inferius Ecclesiae  
et sedis Romanae indefectibilitas a fide, quae concedi videbatur, expli-  
catur ita ut indefectibilitas sensu proprio atque infallibilitas in fide do-  
cenda tribuatur soli Ecclesiae universali et oecumenico Concilio, cui ipse  
Romanus Pontifex subiectus sit. «Certiora cogitent, qui Ecclesiae Ro-  
manae sedisque Apostolicae inviolabilem statum fidemque praedicant:  
nempe id eventurum numquam. ut quemadmodum Ecclesiae exempli gratia  
Constantinopolitanae, Alexandrinae, et nunc Anglicae, Danicae; ita Ec-  
clesiae Romanae error inhaereat, quem contumace proposito tueatur, et a  
verae Ecclesiae se abrumpat sinu. Neque vero umquam Romani Pontifices  
refugerunt, r.t quoi Cleri sui consensu iudicassent, cum oecumenica syn-  
odo, si res postularet, aequo animo retractarent.....Unam ergo Ecclesiam  
catholicam utpote Spiritus Sancti magisterio instructam, quaeque eam re-  
praesentet, synodum oecumenicain, eam esse credimus, in quam circa fi-  
dem nullus umquam obrepat defectus, neque per contumaciam neque per  
imprudenciam; Clerum vero Romanum si quid erraret, ab Ecclesia catho-  
lica atque eius oecumenica synodo dirigi, revocari, doceri debere, perficique  
omnino, ne error inolescat. Unde illa Romanae Ecclesiae sedisque Aposto-  
licae invicta firmitas, ipsa Ecclesiae catholicae firmitate constat; quae  
quidem Ecclesia catholica cum sit ex Christi promissione immobilis, Petri  
successionem eique coniunctam principalem Ecclesiam selemque Romanam,

yj  
141



Ex quo ulterius sequebatur, Concilium sicut est supra Pontificem ita posse esse legitimum praeter et contra Pontificem Romanum. Hae ratione non solum infallibile magisterium sed etiam supremum regimen supra Ecclesiam universalem, quae potestas utraque a Christo instituta est in Petro, negari in Petri successoribus constitutionemque a Christo inditam Ecclesiae transverti manifestum est.

Confutatio non quidem enucleatior, quae in Tractatu de Romano Pontifice danda et ab egregiis theologis data est, sed tamen sufficiens, quatenus in Tractatu de Ecclesia merito requiri potest, tota continetur in superioribus thesibus. Tria enim haec demonstrata sunt, a) Christus Dominus supremam magisterii et sacri imperii potestatem seu primum cum omnibus eius iuribus instituit *in una persona Petro*, in distinctione expressa ab omnibus aliis Apostolis

partei Ecclesiae necessariam, ea vi quae totum continet, stare quoque oportet..... Quae cum ita sint, apparet Ecclesiam catholicam primitus immotam, cui dictum sit: portae inferi non praevalerunt adversas eam, et: ecce ego vobiscum sum: Ecclesiam vero Romanam ita esse immotam, ut partem Ecclesiae principalem summeque necessariam; quae mater et magistra Ecclesiarum (singularum seorsum), totam ipsam Ecclesiam matrem ac magistram agnoscat..... Tum Papa in Christi nomine, respectu Ecclesiarum particularium est magister ille quidem, sed respectu Ecclesiae catholicae discipulus, cum in Ecclesiae catholicae consensione manifestum appareat Spiritus Sancti magisterium \* Ibid. c. 14. Adhuc clarius error ostentatur approbatione doctrinae Petri Alliensis, qui cum aliis quibusdam theologis magnum schisma saeculi XV. sanare satagebat erroribus inductis circa ipsam divinam constitutionem Ecclesiae. « Cum ex Petro Alliensi aliud sit *sedes* aliud *sedens*, non mirum est aliquid convenire *sedi*, quod *sedenti* non conveniat, nempe ut *sedes* deficere non possit, cum *sedens* sit *deviabit* etiam in indicio de fide, quippe a quo indicante, etiam in causis fidei, ad Concilium generale secundum eundem auctorem appellare liceat... Sedes Apostolica tametsi subiecta est universali Ecclesiae eamque repraesentanti Concilio generali, tamen suprema est respectu singularium Ecclesiarum, quemadmodum tradit non molo schola Parisiensis, sed etiam ipsum Constantiense Concilium \* Ibid. c. 12. Cf. Zaccarja Antifebron. dissert. II. c. 10. n. 4. sqq. Ex iisdem principiis Febrouius inferebat, posse scindi communionem cum Pontifice *sedente* et nihilominus servari illaenam cum *sede* Apostolica: \* quaerenda et omni studio servanda est communio *cum ipso Papa sedente*, tum scilicet et quoad spiritum *sanctae Sedis* et Ecclesiae eius sectatur. \* Vide Antifebron. vindicat, dissert. I. c. 4. ll. 13. 14.

et a tota reliqua Christi Ecclesia, imo et in subordinatione totius Ecclesiae ac proinde etiam Apostolorum sub uno Petro, non solum singulas in Ecclesia sive partes sive membra, sed imo directe spectando totam simul Ecclesiam, quae in uno Petro aedificanda sit, totum regnum coelorum in terris cuius totius claves uni Petro dandae promittuntur, omnes simul fratres seu fraternitatem quae in mundo est, cuius universitatis confirmatio in fide committitur uni Petro, totum ovile Christi cuius totius pastor instituitur unus Petrus. 6) Haec *unitas personae*, cui promittitur et datur plenitudo potestatis super totam Ecclesiam, indicatur et instituitur a Christo ad exclusionem divisionis inter multos; sed potestas eo modo quo primum instituta est, adeoque *in unitate personae*, perenni successione propaganda est quamdiu persistit ipsa Ecclesia in terris, ut adversus eam portae inferi non praevaleant; in ipsis scilicet verbis Christi includitur perennis *singulorum* successio in eadem Petri potestate; pertinent enim verba promissionis et institutionis eodem modo et eadem efficacia sicut ad *unum* Petrum in fundatione, ita in perennitate fundationis ad *unam* singulorum Petro succedentium personam (1). c) Quando perennis successio in potestate Petri iam est coniuncta cum Ecclesia particulari Romana, cum Sede Romana Petri; ex ipsis verbis Christi instituentibus perennitatem successionis *singulorum*, subiectum potestatis, iurium, privilegiorum quae in Petro instituta sunt non est aliud quam hic singularis pro quovis tempore Romanus Pontifex ut sue-

(1) Longe alio sensu Tertullianus potestatem Petro collatam dicebat fuisse *personalem*. Is enim iam haereticus Alontanista disputans contra « Apostolicum » et « Pontificem maximum. Episcopum Episcoporum, \* qui sibi vindicabat potestatem in Petro institutam omnia « delicta poenitentia innetis dimittendi, \* negabat hanc potestatem ad successores Petri propagari, et hoc sensu eam dicebat *personalem* Petro (cf. 1. de Pudicit. c. 1. et 21.). Designabat ergo hoc nomine potestatem *extraordinariam* ad excludendum ordinem (ταξις) successionis, cuiusmodi erat gratia gratis data miraculorum, inspirationis ad scribendos libros s. Scripturae, novarum revelationum ad depositum fidei pertinentium; nos vero dicimus potestatem institutam *in una persona* ad significandam singularitatem tum in persona Petri veluti primi stipitis tum in singulis heredibus perpetua serie sibi succedentibus.



cessor Petri; in sede vero, cathedra, Ecclesia Romana non sunt illa divinitus instituta iura potestatis, nisi quatenus sunt in Romano Pontifice, et quatenus ius est incommutabile, ut non alius quam Romanus Pontifex succedat Petro in potestate primatus divino iure instituta. Neque verba Christi institutoris pertinent ad seriem successorum complexive tantum spectatam, quatenus multi sunt, sed ad singulos qui actu succedunt in serie; adeoque etiam potestatis et privilegiorum, quae verbis Christi enuntiantur (infallibilis magisterii et supremi super universam Ecclesiam regiminis), subiectum *in actu* non sunt multi Pontifices qui fuerunt vel futuri sunt, sive tota series ut fingebant Gallicani, sed *unus* tantum, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, quando actu in serie Petro succedit. Vide argumenta demonstrationis in thesi X. et sequentibus, quorum compendium continetur verbis s. Hieronymi (ep. 15. n. 2.): « Ego nullum primum nisi Christum sequens, *Bcatitudini tuae (Damaso), id est cathedrae Petri* communionem consocior; *super illam petram aedificatam Ecclesiam scio,* »

Evidens igitur est, quando nominatur suprema potestas *sedis Apostolicae* sive in infallibili magisterio sive in universali regimine super totam Ecclesiam, nihil aliud significari quam potestatem ipsius tenentis sedem Apostolicam seu *sedentis* Romani Pontificis; distinctio autem hoc sensu facta inter *sedem* et *actu sedentem* Romanum Pontificem inducit in omnes haereses damnatas, quas commemoravimus. Ceterum ex hac etiam dolosa *sedis et sedentis* distinctione cum erroribus inde consequentibus et connexis apparet, quam necessaria fuerit definitio Concilii Vaticani, qua fere latentes haereses circa ipsa fundamenta et divinam constitutionem Ecclesiae ex omnibus involucris et ambagibus protractae atque explicite condemnatae sunt (sess. IV. capp. 1-4.).

3'. Nihilominus sensus est aliquis verus, quo, spectatis etiam iuribus ac praerogativis potestatis, sedes seu cathedra a singulis sedentibus *z.a* *ivoczv* distincta considerari possit ac debeat. Loquimur de sede et sedentibus Ecclesiae Romanae, quia in his tum potestas suprema tum perpetuitas successionis est divini iuris atque adeo longe maioris

momenti; ceterum ex Ins ipsis applicatio accommoda sponte sese offert ad sedes alias patriarchales vel episcopales in quibus privilegia et ius successionis suo modo firma quidem sunt sed iure dumtaxat ecclesiastico.

Potestas itaque suprema per factum Petri principis Apostolorum, de quo supra dictum est, cum episcopatu Romano iam incommutabiliter coniuncta, si consideretur in se et formaliter secundum suam divinitus institutam perpetuitatem, proprie est et dicitur *sedes Apostolico*; singuli autem heredes huius potestatis in Petro institutae et coniunctae cum episcopatu Romano sunt et dicuntur *sedentes in sede Apostolico*.

) Hinc distinctio oritur inter sedem et sedentem ratione *perpetuitatis*. Sedes, hoc est perpetuum ius primatus, ex parte Dei in eius incommutabili lege et supernaturali providentia, ex parte Ecclesiae in iure et officio potestatem pro singulis Petri successoribus divinitus institutam semper velut depositum custodiendi et successionem certa lege procurandi, numquam desinit; sed singuli heredes seu sedentes in sede Apostolica sunt homines mortales; adeoque sedes numquam deficere sed *vacare* potest et saepe vacat. Tum vero manet quidei divina lex et institutio perpetuitatis, manet hoc ipso ius et officium in Ecclesia secundum legem statutam procurandi successionem, manent etiam participationes potestatum, quatenus aliis communicabiles, et a superstite adhuc successore Petri communicatae sunt vel legitime constitutae et non abrogatae; sed ipsa suprema potestas cum suis iuribus et praerogativis, quae nusquam exstare potest nisi in uno singulari Petri herede, iam sede vacante actu nemini competit.

) Ex his porro intelligitur distinctio in conditione ipsius Ecclesiae tempore *sedis vacantis* et tempore *sedis plenae*, illo scilicet priori tempore sedi Apostolicae vacanti divino iure *debetur sed nondum est* successor Petri, visibilis petra et visibile caput Ecclesiae; tempore sedis plenae is divino iure iam *actu sedet*. In considerationem potissimum venit ipsa radix totius vitae Ecclesiae, fidei inquam indefectibilitas et infallibilis custodia depositi. Certe non solum indefectibilitas *in credendo* (infallibilitatem passivam



dicunt) sed etiam infallibilitas *in praedicando* veritatem revelatam et iam sufficienter pro fide catholica propositam manet in Ecclesia, etiam dum interim suo capite visibili orbata est, ut nec totum corpus Ecclesiae credendo nec totus Episcopatus docendo a fide tradita deficere et in haeresim delabi possit, quia talis permanentia Spiritus veritatis in Ecclesia, regno et sponsa et corpore Christi, comprehenditur in ipsa promissione et institutione indefectibilitatis Ecclesiae *omnibus diebus* usque ad consummationem saeculi. Idem quod de veritate fidei contra haeresim, dicendum etiam est ex eadem ratione de unitate communionis contra schisma universale. Manet enim lex et promissio divina perpetuae successionis in' sede Petri ut radice et centro catholicae unitatis, huicque legi et promissioni respondet ex parte Ecclesiae non modo ius et officium sed etiam indefectibilitas in legitime procuranda et suscipienda successione et in servanda unitate communionis cum sede Petrina etiam vacante, intuitu successoris in ea expectandi et indefectibiliter futuri: *a* et ego claritatem (την δόξαν) quam dedisti mihi, *dedi eis, ut sint unum*, sicut et nos unum sumus: ego in eis et tu in me, *ut sint consummati in unum* η (τετελειωα^νοι ει εν) Γο. XVII. 22.

At vero si agatur de infallibilitate *in definiendo*, haec sede Petri vacante, quamdiu nullus est Romanus Pontifex, locum habere non potest. Non potest habere locum, ut per se evidens est, infallibilitas definitionis, qua per divinam assistentiam ipsi in beato Petro promissam pollere credimus *u* Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit.\* Nec potest habere locum infallibilitas *definitionis* in oecumenico Concilio, siquidem huiusmodi Concilium absque sua forma visibili, quae est ipsum caput Ecclesiae, cui Episcopi velut *u* membra capiti *n* uniantur et subordinentur, nullum existere potest (cf. Tract, de Tradit, post thés. XII. Schol.I. Princip. I.). Quae igitur exempli causa in Concilio Constantiensi velut definitiones proponi videbantur, eatenus tantum et in iis solis rationem definitionum Conciliarium habent, in

quibus et quatenus Martini V. Pontificis post sessionem quadagesimam primam rite electi accessit definitio seu confirmatio. « Mortuo Pontifice, inquit Canus, *una* sine dubio manet Ecclesia, et manet in ea *Spiritus veritatis*; sed manca et diminuta sine Christi Vicario et Ecclesiae catholicae uno Pastore relinquitur. Quocirca licet *veritas tunc etiam in Ecclesia sit*; at si controversiae fidei et religionis oriantur, *Ecclesiae iudicia* sine capite in terris *non adeo certa erunt* » (Can. de Loc. 1. IV. c. 6. ad obiect. 12.). Bellarminus vero agens de Concilio Constantiensi, « Concilium, ait, sine Papa non potest definire nova dogmata fidei (1); potest tamen indicare tempore schismatis, quis sit verus Papa, et providere Ecclesiae de vero Pastore, quando is nullus est aut dubius, et hoc est quod recte fecit Concilium Constantiense » (de Concil. 1. II. c. 19. ad obi. 3. Gerson.). In eandem sententiam loquitur Suarez; nam quod disserit de dependentia *iurisdictionis* Concilii a Romano Pontifice, a fortiori certum est de eius dependentia in infallibilitate *magisterii*, *u* Omnino verum, esse credimus, in Concilio generali (citra Pontificem) nullam esse iurisdictionem immediate a Christo collatam; ideoque dum legitimus et indubitatus Pontifex vivit, ab illo pendere generalis Concilii iurisdictionem ac proinde illi subesse... Tempore Concilii Constantiensis tres fuerunt praetensi Pontifices... Unde etiam fieri potuit, ut nullus eorum, esset certus Pontifex atque adeo nec Pontifex, quia nondum aliquis eorum erat sufficienti consensu Ecclesiae receptus... In tali autem casu ius habet Concilium generale, quamvis acephalum, ad inquirendum de vero et legitimo Pontifice, et si nullum ex praetensoribus legitimum ac certum Pontificem esse invenerit, omnes deponere (potest), vel potius nullum eorum • verum Pontificem esse declarare, et subinde de vero Ponti-

(1) Dogmata intellige, quae *nota* sint propositione non revelatione; neque enim dantur dogmata quae non sint saltem implicite revelata per Christum vel Spiritum Sanctum in Apostolis, possunt tamen esse veritates revelatae nondum sufficienter propositae in Ecclesia ad obligandam catholicam fidem: et huiusmodi veritates quando infallibili definitione proponuntur ut revelatae, possunt hoc sensu dici *nota* dogmata.



fice Ecclesiae providere (Suarez cont. Reg. Angi. 1. III.

c) Propter distinctionem declaratam, quatenus sedes Apostolica divino iure et lege in sua perennitate numquam desinere potest, singuli vero sedentes mortales per intervalla desinunt, ipsa sedes Apostolica ut necessarium fundamentum et centrum unitatis Ecclesiae numquam sine haeresi in dubium vocari potest; fieri autem aliquando potest in magnis perturbationibus et factum esse ex historia constat, ut multi sancte retinentes fidem et venerationem erga sedem Apostolicam vere catholici sine sua culpa sedentem in Apostolica sede agnoscere non valeant, atque adeo nullo modo in haeresim, in schisma autem non formale sed materiale dumtaxat delabantur. Ita in luctuosa perturbatione per quadraginta annos ab Urbano VI. usque ad Gregorium XII. catholici scissi in duas et deinde tres obedientias, ut tunc loquebantur, omnes agnoscebant et colebant divina iura sedis Apostolicae; attamen non agnoscentes ius sedentis in sede Apostolica ex inculpabili ignorantia legitimae successionis, atque ita vel nulli vel pseudo-pontifici adhaerentes, inter quos viri etiam sancti ut s. Xuncentius Ferrerius aliquamdiu eiusque frater Bonifacius Prior Carthusianus, in schisma materiale implicabantur.

*Scholion.* Opportunum hoc loco videtur brevissime exponere nostram opinionem de modo, quo extinctio schismatis istius funestissimi et restitutio plenae unitatis Ecclesiae, seu potius actualis communionis omnium catholicorum cum legitimo Apostolicae sedis herede explicanda nobis videtur. Licet enim omnes theologi imo tota Ecclesia plenissime consentiant quoad *ipsum factum* extinctionis schismatis per legitimam ac indubitatam electionem Martini V. in unum verum Petri successorem, minime tamen idem consensus obtinet, imo non levis occurrit opinionum discrepantia inter theologos et iuris interpretes, quando quaeritur *de modo* quo ad felicem illum exitum legitime perventum sit. Xunc praesertim post lucidas et explicitas definitiones Concilii Aaticani de divinis iuribus primatus ac de relationibus quae inter eundem et totam reliquam Ecclesiam intercedunt. ad certiu» et firmiter expediendam quaestionem pro-

positam principia dogmatica prae oculis habenda sunt, quae in ipsis illis definitionibus Concilii continentur vel ex eis necessario consequuntur.

Γ. Quum primatus divino iure sit institutus in Petro propagandus in singulos eius legitimos successores perenni serie, quamdiu perstat Ecclesia aedificata super hanc petram; legitima electio in Romanum Pontificem est tantummodo conditio, qua posita ita electus ingreditur seriem successorum Petri, et hoc ipso accipit totam divinitus institutam potestatem primatus non ab electoribus, qui eam non habent, sed vi institutionis Christi et a Christo institutore, tamquam petra per potestatem participatam a Christo qui est petra per suam potestatem nativam.

2°. Ita constituto Pontifici Ecclesia sicut in singulis pastoribus et gregibus et ovibus ita tota spectata in omnibus simul pastoribus et gregibus et ovibus subdita est ut grex unus uni supremo pastori: non Ecclesia etiam tota simul spectata habet ullam potestatem iurisdictionis in ipsum suum supremum pastorem, sed ipse in illam habet plenitudinem potestatis, ut in suum gregem, secundum normas divinitus positas.

Ergo nulla existit in Ecclesia potestas, quae constituto iam Pontifici supremam potestatem cum omnibus suis iuribus divinitus collatam minuere vel adimere possit. Potestas a Christo instituta et collata successori Petri, in eo desinere nequit nisi vel spontanea renuntiatione, de cuius valore constat maxime post definitionem s. Coelestini V. (1) ex doctrinis et factis in universa Ecclesia notariis, vel spontanea defectione ab Ecclesia per manifestam et contumacem haeresim, quod scandalum in eo, qui formaliter ut pastor et doctor Ecclesiae ex Christi promissione et institutione per divinam assistentiam errare in definitionibus non potest, etiam ut in persona privata sicut numquam factum est ita an fieri possit, a theologis spectando suavem providentiam Christi erga suam Ecclesiam et ipsas promissiones divinas

(1) In 6. de renuntiatione cap. *Quoniam* (l. I. tit. 7. c. 1.). Formulam renuntiationis s. Coelestini refert Ciacconius, de qua vide Bollaudianos T. IV. Maii p. 524.



non sine ratione dubitatur (cf. Bellarmin. de Rom. Pontif. 1. IV. ce. 6. 7.). (1).

4 . Nee in haeresim formalem nec in haeresim materialem, positive negando quod revelatum est, vel tamquam revelatum affirmando quod non est revelatum, Ecclesia *tota*, regnum veritatis, incidere potest ex promissione Spiritus veritatis in ea manentis in aeternum ; eadem ratione ex promissione perennis unitatis, cuius centrum et vinculum visibile est Romanus Pontifex, Ecclesia *tota*, corpus Christi, a vero et legitimo Pontifice Romano, suo capite visibili, separari numquam potest sive formali sive materiali schismate. Si quando talis secessio totius Ecclesiae contigisse videatur, ut ultimis annis Petri de Luna qui Benedictus XIII. dictus fuerat, ea non est defectio a vero et legitimo Pontifice privans illum sua potestate, quod fieri non potest (n. 3.) ; sed signum certum, illum numquam fuisse verum et legitimum Pontificem (2). Ergo quod a

(1) Quod Innocentius III. (.serm. 3. de sua consecrat.) dixit: e in tantum fides mihi necessaria est, ut cum in ceteris peccatis Deum indicem habeam, propter peccatum quod in fide committitur, possim ab Ecclesia indicari. - et aliae similes propositiones haud difficulter intelligi possunt hypotheticae sub hypothesis numquam verificanda ; sicut Paulus aiebat (Gal. I. 8.): - licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. »

(2) Petrus Ballerinus (de Potestate eccles. Summorum Pontif. et Concil. generalium c. 9. 4. n. 17. 18.) etiam in hypothesis quod Benedictus legitime electus et ideo verus usque ad ultima tempora fuerit Pontifex, acta Constantiensia explicare conatur. - Renuens accedere ad unitatem et pontificatui cedere, persistens pertinacissime in manifesta separatione a corpore Ecclesiae catholicae iam adunatae, sese schismaticum et haereticum prodidit: ex quo in depositionis sententia ipsum synodus schismatis et haeresis nominibus ab Ecclesia praecisum et a pontificatu, quem praetendebat, repositum declaravit potius quam deposuit. - Haec omnia verissima sunt et optime intelliguntur, si ille numquam fuit verus Pontifex: sed in hypothesis veri pontificatus difficultates potius creant quam solvunt. Nam 1°. non ille ab Ecclesia, sed tota Ecclesia negando illi obedientiam ab ipso primitus secessit, cuiusmodi schisma totius corporis a suo legitimo capite illi non posse, ex principio dogmatico perpetuae unitatis Ecclesiae certum videtur; 2°. quod dicitur - corpus Ecclesiae catholicae *tam adunatae*, haec adunatio facta esset per scissionem corporis a vero suo capite, quod divinae sapientiae et providentiae et subordinationi ipsius corporis lege divina debita repugnat; 3°. quae Constantiae acta

multis ad explicanda acta conventus Pisani et Constantiensis dicitur axiomatis instar: Pontifex dubius, Pontifex nullus; verum est dumtaxat, si dubium et propter dubium secessio est totius Ecclesiae; non autem potest admitti, si postquam Pontifex legitime est constitutus, in parte imo in parte etiam maiori Ecclesiae propter inductas perturbationes dubia et secessionem oriantur.

5°. Quando pars Ecclesiae absque sua culpa propter inductam rerum obscuritatem materiali schismate adhaeret alicui tamquam legitimo Romano Pontifici, poterunt aliqui eius actus iurisdictionales maxime qui forum spectant internum, acquirere valorem ex titulo colorato (1); sed nec ab ipso nec ab ulla etiam legitima potestate inferiori possunt valide abrogari aut mutari leges a vero Pontifice Romano constitutae, praesertim quae determinant valorem actus concernentis ipsum visibile fundamentum Ecclesiae, ut est electio capitis Ecclesiae (n. 2.).

Hisce principiis positis non valemus intelligere, quomodo admitti queat vel opinio illorum, qui ad acta Constantiensia explicanda cum Bellarmino et Suarezio dicunt, omnium trium, qui sibi tum temporis pontificatum vindicabant, ius fuisse dubium eo quod singulae obedientiae, ut appellabantur partes diversis Pontificibus adhaerentes, duos eorum haberent ut illegitimos; ita autem dubium Pontificem, non esse verum Pontificem, seu ut Suarezium loquentem audivimus: *u fieri potuit ut nullus eorum certus esset*

sunt praeter et contra leges a suprema potestate Pontificum statutas ad legitimam successorum Petri electionem, omnino indigebant sanctione per eandem supremam potestatem pontificiam; at huiusmodi sanctio nulla reperiri potest, si Bene dicti pontificatus legitimus et consequenter Gregorius XII. antipapa fuisse supponatur.

(1) Huic iuris dispositioni de titulo colorato tum alia plura decreta tempore istius schismatis promulgata tum nominatim illud Alexandri V. in conventu Pisano innituntur. « Omnes dispensationes factas per Episcopos in partibus neutralibus (qui nempe nulli Pontificum adhaerebant)..... item *omnes absolutiones et habilitationes in foro poenitentiali tam per contententes* (Gregorium XII. et Petrum de Luna) quam per ordinarios praedictos *schismate pendente factas*, super casibus s. Sedi Apostolicae reservatis. ex certa scientia hoc sacro approbante Concilio ratificamus et approbamus - (Harduin. T. VIII. p. 22.).



Pontifex atque adeo nec Pontifex, quia nondum aliquis eorum erat sufficienti consensu Ecclesiae receptus. » At qui legitime est electus, eo ipso non ab Ecclesia sed ab ipso Christo constituitur verus Pontifex (n. 1.), nec Ecclesiae *u* sufficiens consensus ¶ requiritur aut exspectandus est tamquam *conditio, ut situeras Pontifex*; sed *u* sufficiens consensus » ex oratione et promissione Christi pro unitate suae Ecclesiae certo consequitur secundum debitum *obedientiae, quia est ceras Pontifex* (n. 4.). Praeterea evidens est, Constantiae quoad modum electionis et quoad ipsos legitimos electores multa esse statuta et peracta, quae erant praeter et contra leges pro valida electione constitutas a suprema potestate Romanorum Pontificum Alexandri III. Gregorii X. Clementis V. At huiusmodi mutatio et suspensio legum supremae potestatis fieri non potuit nisi per ipsam supremam potestatem Romani Pontificis, ut ex ipsa divinitus constituta relatione subiectionis *totius Ecclesiae* sub potestate supremi Pastoris consequitur et Suarezium etiam fateri vidimus: « quia non potest inferior potestas mutare quod per superiorem constitutum est, et quia Petro soli datus est primatus pro ipso et successoribus eius, ad ipsum solum seu ad summum Pontificem spectat... *modum electionis eius et successionis* praescribere» (vide supra th. XII. η. III.). Iam vero si tum temporis nullus erat *ceras Pontifex*, quia (ut aiunt isti theologi) nullus erat indubius et certus, manifesto ab inferiori potestate congregationis Constantiensis actum esset contra modum electionis praescriptum a suprema potestate Summorum Pontificum. Neque modus praescriptus electionis solum mutatus est accensendo electoribus praeter Cardinales etiam alios Episcopos et simplices presbyteros, qui ne ad Clerum quidem Romanae Ecclesiae pertinebant; sed difficultates exstabant quoad ipsos etiam Cardinales ex tribus obedientiis assumptos, quas ab illis theologis nec solutas imo neque commemoratas esse video, nec quomodo in eorum hypothesis solvi possint, equidem perspicio. Si enim per quadraginta fere annos (27. Martii 1378. quo defunctus est Gregorius XI. usque ad electionem Martini V. 11. Novembris 1417.) nullus dicatur fuisse verus Pontifex, quomodo legitimi censi poterant omnes

illi Cardinales ab istis pseudopontificibus creati, qui tamen licet ex diversis obedientiis et a contrariis pontificibus assumpti se invicem in Conventibus Pisano et Constantiensi agnoscebant ut legitimos, et contradicentibus ipsis pontificibus, a quibus erant creati, omnia sibi iura Cardinalium vindicabant? Ulterius si electio Urbani VI. (8. Aprilis 1378.) erat invalida, quomodo valida non erat altera Clementis VII. (20. Septembris 1378.)? Si autem, quod merito in dubium vocari iam nequit, Urbanus vere creatus est atque ab ipsis Cardinalibus, qui postea defecerunt, publicis actibus et scriptis litteris saltem usque ad mensem lunium agnitus ut legitimus successor s. Petri, quomodo propter subsequentem secessionem atque inde malis artibus paulatim ad multos propagatam dubitationem ipse decidit a pontificatu, quem non a Cardinalibus nec ab Ecclesia sed immediate a Christo Deo collatum tenebat? Si igitur quorumcumque hominum actibus pontificatu divinitus collato spoliari non potuit, sed usque ad obitum (15. Octobris 1389. in sua sede Romana) verus permansit Petri successor, absque dubio eius successores secundum omnes statutas leges electi Bonifacius IX. Innocentius VII. Gregorius XII. veri et legitimi erant in sede Petri successores. Dubia vero illa post Urbani electionem et agnitionem iam stabilitam invecta et propagata a Cardinalibus offensis, quae deinde utique protendebantur ad eius successores, efficere tantummodo poterant, quod superius diximus, ut addicti partibus Roberti Genevensis (Clementis VII.) et successoris Petri de Luna (Benedicti XIII.) aut deinceps Alexandri V. a Pisanis electi (26. Iunii 1409.) eiusque successoris Ioannis XXIII. non essent formaliter sed solum materialiter schismatici, atque adeo inter eos potuerint reperiri viri etiam sancti; sed nec dubia illa, nec quae consequenter ad illa in conventu Pisano per electionem adhuc tertii, qui nomen Romani Pontificis assumeret, poterant Urbano VI. eiusque successoribus valide electis adimere dignitatem et potestatem super universam Ecclesiam. Accusatio schismatis et « notoriae haereseos » a Pisanis inducta contra Gregorium XII., quod fautor et defensor inveterati schismatis negaret revelatam veritatem unitatis Ecclesiae, et ideo decidisset a pontificatu, contra-

IS. i

IC

HT



dictionem involvit; si enim verus fuit Pontifex a Christo habens supremam potestatem super universam Ecclesiam, hanc suam potestatem defendendo contra adversarios saltem materialiter schismaticos nec facto oppugnavit multoque minus sententia negavit unitatem Ecclesiae a Christo institutam maxime in suo capite et sub suo capite visibili. Neque postmodum ab ipsis Constantiensibus « notoria ista haeresis » Gregorii aut veritas indicii Pisani ullatenus est agnita, ut mox apparebit. Non tamen ideo necesse est negare Gregorium in illa Ecclesiae turbatione ad sponte renuntiandum obligatum esse et huic obligationi resistendo peccare potuisse; sed propter peccata alia quam haereseos Pontificem sua potestate privari, assertio est damnata in articulo 8. Wicleffi. et in articulis 12. 13. 20. 22. 24. Ioannis Hus definiente Martino V. in ipso Concilio Constantiensi.

Videtur ergo legitimus processus Concilii Constantiensis ad extinctionem schismatis alia ratione explicandus praesertim nunc, postquam catholicus intellectus fidei de vi et ratione primatus a definitionibus oecumenici Concilii insigniter illustratus et firmatus est (Cone. Vatie, sess. 4. c. 3.). Explicatio vero ex ipsis actis elucet manifesta, ut sane sit cur humili laude miremur Christi regis, sponsi et capitis Ecclesiae providentiam, qua ingentes illas turbas cupiditate et ignorantia hominum invectas ac sustentatas composuit salvis omnibus legibus, demonstrans clarissime non ope humana sed divina fidelitate in promissis et omnipotentia in gubernatione niti indefectibilitatem petrae, in qua ipse aedificavit Ecclesiam suam, ut portae inferi non praevaleant adversus eam.

Gregorius XII. legitimus Urbani VI. successor suis legatis Cardinali Ioanni de Dominicis et Carolo de Malatestis

1 . « de plenitudine potestatis plenam et liberam facultatem?? dedit congregationem Constantiensem, « in quantum per serenitatem regiam (Sigismundum) et non Balthasarem se nuncupare facientem Ioannem XXIII. vocatam, » constituendi in verum ac legitimum Concilium « pro extirpatione horrendorum schismatum et integra unione merito optanda et perficienda, ?? seu ut verba sunt Gregorii, « ad praedictorum effectum convocandi et auctorizandi generale Concilium ??

2°. De eadem « plenitudine potestatis » dedit legatis facultatem nomine Pontificis in antecessum approbandi, quae Concilium iam legitime convocatum ad illum finem disposuerit: « vice nostra (inquit) similiter auctorizandi, approbandi et confirmandi, quae disponentur pro vera redintegratione et unione Ecclesiae et praefatorum schismatum extirpatione per congregationem eandem » (postquam nempe iam fuerit convocata et auctorizata ut generale Concilium).

3°. Constantienses tum convocationem in Concilium tum collationem potestatis omnia opportuna disponendi pro vera unione Ecclesiae factam a Gregorio admiserunt « in omnibus et per omnia, quantum ad ipsum (Gregorium) spectare videtur. » Atque ita utramque Gregorii dispositionem Cardinalis de Dominicis eius legatus in sessione XIV. (4. Iulii 1415.) solemniter promulgavit. « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Auctoritate ipsius Domini Nostri Papae, quantum ad eundem spectat... ut sub diversorum professione Pastorum dissidentes Christiani in unitate sanctae Matris Ecclesiae et caritatis vinculo coniungantur, *istud sacrum Concilium generale convoco, et omnia per ipsum agenda auctorizo et confirmo* iuxta modum et formam, prout in litteris Domini Nostri Papae plenius continetur. »

4°. His peractis Concilium inter « agenda a Gregorio auctorizata » ad extirpationem schismatis unum maxime necessarium statim praestitit, obedientias nempe duas Gregorii et Iohannis decrevit iam coniunctas et unitas esse in uno corpore D. N. Iesu Christi et huius sacri universalis Concilii generalis, » atque ad hunc ipsum finem omnes censuras et poenas utrimque occasione schismatis inflictas solvit et absolvit, et personas omnes dictarum obedientiarum « in suis statibus, dignitatibus et officiis habilitavit, et cum eis, quantum opportunum fuerit aut indigebant, dispensavit. » Tum vero per eandem sibi impartitam auctoritatem decrevit, modum et formam futurae electionis Romani Pontificis, post s. Sedis vacationem, ipsi Concilio hac vice statuendam reservari: « ut praetextu cuiuscumque cessionis aut vacationis sedis Apostolicae sive papatus durante praesenti Concilio factae vel faciendae non procedatur ad



Pontificis electionem nisi *u* modo forma, loco, tempore et materia (intelliguntur habentes ins eligendi) per sacrum Concilium ordinandis. »

Quis iam dubitare potest, haec de rebus summis acta et decreta non potuisse habere valorem nisi per supremam in Ecclesia a Christo institutam solius Romani Pontificis potestatem? Atqui Gregorius XII. qui tunc nondum renuntiaverat et verus erat Pontifex Romanus, « auctorizavit, approbavit, confirmavit, *quae disponentur* per Concilium » sine alia limitatione, nisi ut disponantur ad unionem Ecclesiae et schismatum extirpationem, quod paulo ante vidimus. Ergo cum haec acta et decreta sint evidenter ad istum ipsum finem, certum et plenum per ipsam Pontificis confirmationem habebant valorem.

5'. Postremus demum actus in ista XVI. sessione fuit libera abdicatio pontificatus, « Ego Carolus de Malatestis..., pure, libere et sincere procuratorio nomine ipsius SSmi. Domini Nostri, Domini Gregorii Papae XII. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti renuntio et cedo expresse in his scriptis realiter et cum effectu iuri, titulo, et possessioni, quod, quem et quam ipse habet in papatu, et resigno nomine praefati Domini Nostri papatum et omne ius papatus, titulum et possessionem, quod, quem et quam habet coram D. N. Iesu Christo, qui Ecclesiae suae est sponsus et caput » (Harduin. VIII. p. 384-400.).

Per hanc renuntiationem sedes Apostolica vere relicta est vacua, ac proinde Concilium ex facultatibus ipsi a Suprema Pontificis potestate attributis potuit legitime procedere modo, forma, loco, tempore et materia per ipsum Concilium ordinatis *u* ad canonicam et certam electionem unici futuri summi Pontificis, *n* ut finem suae renuntiationis ipse Gregorius in mandato ad Carolum de Malatestis declaraverat (Hard. VIII. 387.); eamque tandem post biennium (11. Nov. 1417.) in Martino V. feliciter perfecit.

Haec quae forte *πχρεργα* videri possunt, censui hoc loco non inopportune inserenda ad ulteriorem aliquam dilucidationem monarchiae ecclesiasticae, de qua in superioribus thesibus actum est. Nunc porro progredimur ad considerandum factum constitutionis Ecclesiae ipso tempore Apostolico.

## CAPUT III.

CONSTITUTIO ECCLESIAE SUB APOSTOLIS  
ET PROXIME SECUTA AETATE.

### THESIS XIV.

*Ecclesia ab Apostolis constituta in sese exhibet  
eam ipsam formam, qua est a Christo instituta.*

u Secundum formam a Christo fundatore praescriptam et institutam  
- Ecclesia nobis exhibetur ab Apostolis constituta 1°. ut Ecclesia una ex  
- ludaeis primum, deinde sine discrimine ex ludaeis et gentibus; 2°. ut  
- Ecclesia Christiana omnino distincta et separata a synagoga; 3°. in se  
- cohaerens unitate professionis fidei, sacramentorum, et communionis;  
■ 4\*. hoc ipso disposita ac gubernata per propriam potestatem magisterii  
■ ac imperii. »

Consideravimus personalem *efficientiam* Iesu Christi, qua Ecclesiam suam in terris instituit; nunc mentis oculos convertamus ad ipsum *effectum*, ad Ecclesiam nempe, ut ea in scriptis apostolicis iam constituta nobis exhibetur. Fundator Ecclesiae Christus Deus infinite verax, fidelis et omnipotens is est, ut quantumvis institutum, quatenus illud in libris Apostolorum descriptum habemus, non repereamus perfecte respondere institutioni superius demonstratae. nihilo tamen minus cuivis christiano certum manere deberet, primis illis initiis vel granum sinapis servans virtutem fecundam a Christo inditam nondum plene in arborem sese explicuisse atque ideo in tota sua amplitudine nondum apparere, vel Apostolos minime necesse habuisse, etiam in suis libris quos paucissimos et data opportunitate scriptos nobis tradiderunt (cf. Tract, de Tradit, th. VII.), comprehendere facta, quae omnium oculis obversabantur. Re tamen vera Ecclesiam iam in illis primordiis videmus in orbe terrarum constitutam atque in libris ipsis apostolicis quantum satis est, descriptam secundum illa principia



et secundam eam formam, quam Christus conditor ei indidisse in Evangeliiis legitur.

I. Consideramus lineamenta in Ecclesia primae illius aetatis tum ex Iudaeis tum ex gentibus coalescente.

1 Post Christi ascensionem Apostoli, per electionem Mathiae iam completo numero duodenario, simul congregati cum Maria matre Iesu et cum aliis discipulis exspectabant promissionem Patris, ut induerentur ad munus sibi iniunctum virtute ex alto. Mox sub visibilibus signis in prima pentecoste post primum pascha novi Testamenti repleti sunt Spiritu Sancto et ad exsequendum suum apostolatam omnibus donis abunde instructi. Tum vero ad primam praedicationem Petri « appositae sunt (παροσσετεθησαν) animae circiter tria millia, » Ulterius « Dominus augebat (προσσετιθει) qui salvi fierent, quotidie in id ipsum » (1). Post secundam Petri orationem adeo multi iam crediderunt, ut « factus sit numerus *virorum* quinque millia. » Porro « magis augebatur credentium in Domino (προσσετιθεντο ττιστευοντε τω κυρur) multitudo virorum ac mulierum; » « et verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum (ι των μαθητων) in Ierusalem valde, multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. » Descriptio huius προσθεσεω seu incrementi brevissimis quidem verbis concepta est, sed quae formam Ecclesiae Christianae in suis praecipuis elementis satis exhibeat. Iussi sunt separari a synagoga: « salvamini a generatione ista prava. » Suscepta fide ab Apostolis praedicata per baptismum uniebantur in societatem propriam, quae ipso *apositionis* nomine significatur; per impositionem manuum Apostolorum replebantur omnes Spiritu Sancto (2). Sub Apostolis perseverabant in « obedientia fi-

(1) In plerisque graecis codicibus loco particulae *in id ipsum* ετα το αυτο, quam transferunt ad initium sequentis capitis, hic legitur n; εζχλητ.ι Dominus... adiungebat Ecclesiae.

(2) « Et cum orassent... repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei (pro suo quisque gradu ac munere) cum fiducia. - u Oraverunt (Apostoli) pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam. illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu: tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum? Act. IV. 31; VIII. 14. sqq. 3 I iSB

• 4A 5 « ζ' . ~.jC 1.2 y'SJi v' 1' v' ' .vλδ\*~\*~ . . . .  
 • . . . « 1<sup>o</sup> . . . f . . . » \*wr0 w . . . V/v . . . tu, . . . \*K7i

dei » in doctrina et cultu religioso proprio novi Testamenti a Christo in ultima caena instituto: « erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus » (1). Act. II. 40-42. 47 ; IV. 4. 31; V. 13. 14; VI. 1. 7.

Inde a martyrio Stephani excitata magna persecutione contra Ecclesiam quae hactenus erat in una urbe Ierusalem (ἐπι την εκκλησίαν την ἐν Ἱεροσολυμοῖς), « omnes dispersi sunt per regiones Iudaeae et Samariae praeter Apostolos » Act. VIII. 1. Nempe dispersi sunt non quidem

(1) Ἦσαν δε προσχαρτηρουντε τη διδαχή των αποστολών, και τη κοινωνία, και τη κλασει του ἄρτου, και ται προσευχαι quatuor enumerantur in textu graeco, ubi ἡ κοινωνία et ἡ κλασι του ἄρτου distinguuntur eo modo coniunctionis per repetitionem articuli, ut vix videatur sumi posse velut hendiadys, quo simpliciter significetur *communicatio fractionis panis*. Proprie κοινωνία est communio inter fideles tamquam invicem membra et cum capite Christo, qua unum corpus sunt. Secundum hanc significationem dicitur λ societas « κοινωνία inter Apostolos Gal. II. 9., « communicatio in evangelio Christi η (σι; το ευαγγελιον) Phil. I. 6. et u communicatio fidei » Philem. 6. « societas spiritus η κοινωνία πνεύματος Phil. II. 1. α societas fidelium ad invicem « κοινωνία μετ' ἀλλήλων 1. Io. I. 3. 7. probabiliter etiam 2. Cor. IX. 13. communicatio Corinthiorum non solum ad sanctos in Jerusalem ratione largitionum sed *ad omnes* fideles (ἡ κοινωνία ει κυτου και ει παντα). Huius communionis fidelium effectus simul et aliquod vinculum sunt utique elargitiones, quibus una Ecclesia alteri vel generatim ditiores pauperibus subveniunt; quae ideo etiam dicuntur κοινωνία Rom. XV. 26; Heb. XIII. 16. Sed. haec posterior significatio nullo modo potest assumi in loco, de quo agimus. Porro communionis fidelium inter se et cum capite Christo causa velut formalis et vinculum nobilissimum est ipsa eucharistia: « panis quem frangimus, nonne participatio (κοινωνία) corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus u (οτ γαρ παντε εκ του ενο ἄρτου μετεχομεν) 1. Cor. X. 16. (vide Tract, de Euchar. ed. 2. p. 111. sq.). Intime igitur cohaeret κοινωνία et « fractio panis. » Hinc quod dicitur: erant perseverantes in communicatione et in fractione panis, potest utique contrahi in hanc alteram propositionem causalem: erant perseverantes *in communicatione, quae est per fractionem panis*. Hoc autem ipsum intelligitur expressum in textu latino: « erant perseverantes *in communicatione fractionis panis* ~. Fractionem panis hic necessario intelligi sacram, nempe encharisticam, demonstrat ipsa connexio cum membris antecedentibus et consequentibus. Syrus vertit: et communicantes erant in oratione et *in fractione eucharistiae* \* 7» Cf. 1. Cor. X. 10 ἰ XI. 24. in graeco); Act. XX. 7. 11; probabiliter Luc. XXIV. 30. 35.



omnes fideles, sed omnes qui sub Apostolis erant constituti in gradu aliquo et in munere praedicandi verbum Dei; est enim haec introductio ad ea, quae in sequentibus narrantur de praedicatione evangelii et propagatione Ecclesiae. Sunt isti *diaconi*, ex quibus Philippus postquam ad eius praedicationem a receperat Samaria verbum Dei. 1. « pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Caesaream; r alii qui vocantur *presbyteri duces seu praepositi* in fratribus (ηγούμενοι ἐν τοῖς ἀδελφοίς cf. Heb. XIII. 7. 17. 24.), *doctores et prophetae* (Act. VIII. 1. 4. 12. 14. 40; XIII. 1; XV. 6. 22.). Ex hac praedicatione mox videmus constitutas Ecclesias. « *Ecclesia* (1) *quidem per totam Iudaeam et Galilaeam et Samariam* habebat pacem, et aedificabatur ambulans in timore Domini et consolatione Sancti Spiritus n Act. IX. 31. Ulterius « illi qui dispersi fuerant a tribulatione quae facta est sub Stephano. perambulaverunt usque Phoenicem et Cyprum et Antiochiam, nemini loquentes verbum (τον λόγον verbum nempe evangelii) nisi solis Iudaeis n Act. XI. 19. Constituebant nimirum Ecclesias solis credentibus ex circumcisione tum in Palaestina tum in aliis regionibus finitimis. Ita enim praeceperat Dominus: « eritis mihi testes *in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria*, et (postea) usque ad ultimum terrae » Act. I. 8. atque ita intellexerant Apostoli ipseque doctor gentium Paulus Act. XIII. 46.

2'. Demum anno 40. aerae vulgaris exeunte seu duodecimo post mortem Redemptoris, Apostolorum principi Petro non quidem ipsum dogma de destinatione evangelii pro omnibus gentibus et de universalitate Ecclesiae revelatum est, quod sicut a prophetis praenuntiatum ita a Christo saepe disertissimis verbis declaratum fuerat (cf. Act. II. 39; III. 26.); sed tempus manifestatum est simul cum ratione modoque admissionis omnium gentium, et executionis testamenti Salvatoris (2). ut Apostoli praedicarent evangelium

(1) graeco textu numerus est pluralis αἱ ὅν ἐκκλησίαι καὶ ὅλη; τη; Ἰουδαία; κ. λ. Ecclesiae nimirum particulares sunt α una omnes. - Tertull. praescript. c. 20. . 3

(2) Ex i> intelligitur sensus eorum quae saeculo tertio « ex traditione ? testatur Apollonius: « Dominum Apostolis suis praecepisse p?r

omnibus gentibus, omni creaturae et testes essent usque ad ultimum terrae. Hinc quum primus ex gentilibus Cornelius cum domo sua aggregatus esset Ecclesiae, id magno gaudio exceptum est ab ipsa Ecclesia hactenus constituta ex solis Iudaeis. « Glorificaverunt Deum dicentes: ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam » Act. XI. 18.

Ex hoc tempore primum quidem Antiochiae, ubi iam pridem fundata erat Ecclesia ex circumcissione, *u* loquebantur *et ad Graecos* (1) annuntiantes Dominum Iesum..... multusque numerus credentium conversus est ad Dominum... et apposita est multa turba Domino... et docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur Antiochiae discipuli Christiani, » (circa an. 41. ae. v.) (2) Act. XI. 20. 26.

Haud diu post haec Paulus, qui iam iu prima sua mirabili vocatione fuerat electus ad portandum nomen Iesu coram gentibus et regibus et filiis Israel Act. IX. 15., ac cum eo Barnabas ordinati manuum impositione (3) in Ec-

dnoddecim annos a Ierusalem ne discederent » (μη χωρισθηναι τη 'Ιερουσαλήμ) Eiseb. λ. 18; et Clemens Alex, ex libro praedicationis Petri refert « Dominum dixisse Apostolis... post dnodecim annos egredimini in mundum » Strom. I. VI. p. 637. Confer etiam Irenaeum I. III. c. 1. n. 1.

(1) In editis graecis nunc est *προ του 'Ελληνιστα*, qui forent Iudaei utentes graeca lingua inter gentes; at sine dubio cum PP. graecis et vetustissimis codicibus legendum est *προ του 'Ελληνα*. Ratione inversa Act. IX. 29., ubi Sanius quando primum post suam conversionem Damasco venit Hierosolymam, dicitur in vulgata locutus esse *u* gentibus et disputasse cum Graecis, » textus graecus recte habet *ελαλει τε και συνεζητηϊ προ του 'Ελληνιστα* eo enim tempore nemini adhuc loquebantur verbum nisi solis Iudaeis. Vide cl. P. Patritii Comment, in Act. h. I. cf. Suarez de Legibus I. X. c. 4. n. 20. Versio syriaca ibi habet: *a* disputabat cum Iudaeis graece scientibus. »

(2) Anno 55. ae. v. nomen *Christianorum* iam communi in usu fuisse etiam penes homines extra Ecclesiam, apparet ex Act. XXVI. 28. cf. I. Pet. IV. 16.

(3) Suarez in 3. P. T. III. disp. 34. sect. 1. cum nonnullis aliis theologis censet, hanc manuum impositionem fuisse mere deprecatoriam non vero sacramentalem ordinationem. Communior tamen et inspectis verbis probabilior sententia tenet, fuisse hanc ordinationem episcopalem. Quod Paulus proprio strictoque sensu Apostolus non ab hominibus neque per hominem sed immediate a Christo acceperit Apostolatam (Gal. I. 1.), non impedit, quominus characterem episcopalem via ordinaria per sacramen-



clesia Antiochena ac missi a Spiritu Sancto constituerunt Ecclesias in insula Cypro et in Asia minori sine discrimine ex Judaeis ac gentibus; idenique opus ad quod assumptus erat, Apostolus gentium, post separationem a Barnaba aliis adiutoribus adscitis, perfecit in Macedonia, Achaia et in provincia Asiae, cuius metropolis Ephesus Act. XIII-XX.

tum a Christo institutum suscipere potuerit. Cf. Bellarm. de Rom. Pont. I. c. 23. Hoc posito Paulus et Barnabas, qui ambo etiam ante hanc manuum impositionem numerantur inter « prophetas et doctores, s dicendi sunt iam fuisse in gradu *presbyterorum*, vel certe tum duplici ordinatione consecratos fuisse; quod enim aliqui affirmant, « *una eademque manum, impositione* in sacerdotis simul et episcopi munere quempiam constitui posse » in vera theologia non putamus esse concedendum; certe nec Bellarminus (de sacram. Ordinis c. 5. n. 16.) nec Petavius (dissert. ecclesiast. 1. I. c. 2.) ad quos appellant, hoc umquam dixerunt. Neque facta quaedam quae ex ecclesiastica historia a nonnullis eruditis (ut recentius ab illmo Greith ex historia Hibernica), inducuntur, quidquam probant, quia minime necessarium erat ordinationem presbyteralem et consecrationem episcopalem, praesertim si simul conferebantur, semper utramque expresse commemorari in historicis monumentis. Vide Benedict. XIV. liti. *In postremo* 10–14. (Bullar. T. IV. n. LXIII.). Porro in loco Act. XIII. 3. de quo agimus, supponitur utique aliquis Episcopus consecrator, licet quis, fuerit, certo definiri nequeat. Videtur sane aliquis fuisse ex « prophetis et doctoribus, ~ qui ibi nominantur. Post eorum enim enumerationem s. Lucas continuo subiungit: « *ministrantibus autem illis Domino* (λειτουργοῦντων ἑαυτῶν τῷ κυρῶ)... dixit illis Spiritus Sanctus, segregate mihi Sanlum et Barnabam... *imponentesque eis manus* dimiserunt illos, ~ Nescio an facile refelli posset, qui Manahem ibi nominatum censeret esse Petri successorem in episcopatu Antiocheno graece *Eoodium* appellatum. Paulo ante hoc tempus Petrus iam Romam petierat (vide P. Patritii Chronicon in Acta Apostolorum), reliquisse ergo Antiochiam sedem successori putandus est. Manahem seu Manahem (4. Reg. 15. 17.) *Οἶ7JQ comolans* vel ex alio etymo *prospero itinere deducens* (vide lexica sub verbo ΠΠ2 ) forte componi posset cum graeco nomine Έυοοιο ; sed nihil opus est, quum haud raro Iudaei posterioribus istis temporibus praeter hebraicum etiam aliud nomen graecum vel latinum assumere consueverint, ut penes Iosephum (Antiquit. 1. XII. c. 15.) Sacerdos *Onvufenelaus* et alter *lakim Alcimius*, et Act. I. 23. *Baraa&as Imtus*, hocque ipso loco Act. XIII. 1. *Simon Niger*. Certe aliquem ex tribus doctoribus ibi nominatis, fuisse Petri in episcopatu Antiocheno successorem, probabile est; sed *Lucium* Cyrenensem et *Simonem Nigrum* adhuc, ad latinam habuisse graecum nomen additum, difficilius credas; remanet ergo solas *Aianahem Ecodius*.

Eadem aetate (erae vulg. an. 53.) memorantur *cunctae* atque adeo iam multae *Ecclesiae gentium* Rom. XVI. 4. ; immo hoc ipso tempore apostolico exhibetur una Christi Ecclesia *in unicerso mundo*, ut mox distinctius declarabimus.

Ecclesias eas quae erant extra fines Palaestinae, constituisse maximam partem fidelibus ex gentibus, manifestum est ex actis inde a capite XIII. multoque magis ex epistolis Pauli. « Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiae salvae factae sunt; n a Israel sectando legem iustitiae ad legem iustitiae non pervenit, offenderunt enim in lapidem offensionis; » u tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem; n u delictum illorum divitiae sunt mundi, et diminutio eorum divitiae gentium; » a propter incredulitatem fracti sunt rami » Rom. IX-XI. Ex adverso « gentes quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; » « inventus sum a non quaerentibus me; » « gentes super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: confitebor tibi in gentibus.... laetamini gentes cum plebe eius.... laudate omnes gentes Dominum... exsurget regere gentes, et in eum gentes sperabunt » Rom. IX. 30 ; X. 20 ; XV. 9. sqq. Immo hoc est mysterium absconditum a saeculis in Deo, nunc autem revelatum Apostolis et prophetis in Spiritu, ut innotescat nunc principatibus et potestatibus in coelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, mysterium nempe: « gentes esse coheredes et concorporales et participes promissionis eius in Christo Iesu per evangelium » Eph. III. 5-11.

Ex his iam patet, nullum umquam fuisse admissum discrimen in iuribus et participatione bonorum Ecclesiae inter Iudaeos et gentes alias; sed ambo in unam Ecclesiam uniuntur. « Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum; non enim est distinctio... An Iudaeorum Deus tantum, nonne et gentium? immo et gentium; quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide et praeputium per fidem » (1)

(1) Indaeis ex ipsa fide veteris Testamenti, quod erat paedagogus ad Christum, efflorescebat fides novi Testamenti; gentibus autem, quae erant \* sine Christo et sine Deo in hoc mundo, « fides demum tota aliunde ac-



Rom. III. 22. 30. & Memores estote quod aliquando vos gentes in carne, qui dicimini praeputium ab ea, quae dicitur circumcisio in carne, manufacta; quia eratis in illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel (τη πολιτεια του Ισραήλ) et hospites ( ενοι) testamentorum... mine autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longe, tacti estis prope in sanguine Christi; ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum... ut duos condat in semetipso in unum novum hominem (1), faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crocem, interficiens inimicitias in semetipso; et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis qui prope, n Eph. U. 11. seqq. ; 1. Cor. XII. 13.

3 . Omnes isti qui per fidem ac baptismum inter se et cum Christo uniuntur, nomine proprio appellantur *fratres* ab intima unione et communionem Act. . 1; XII. 17; XV. 3. 23; XXVIII. 14. aliis locis saepe (cf. cl. P. Patrizi de Evang. 1. I. c. 4. n. 42.); *credentes* (οι ινιστευσαντε ) et *fideles* (οι πιστοι) a forma interna et professione externa *unius* fidei, quae est fundamentum sanctitatis et vinculum unitatis *fratrum* Act. II. 44 ; IV. 32 ; V. 14 ; 1. Tim. IV. 12. et alibi; *sancti* (οι αγιοι) et *vocati sancti* (κλητοι αγιοι) (2) ex perfectione formae externae et internae, ad quam per *fidem* et *communionem* ordinantur Act. IX. 32. 41; 2 Cor. I. 1; Phil. I. 1 ; Rom. I. 7; 1. Cor. I. 2. cf. Rom. VIII. 28; *discipuli* (οι μαθηται) ex susceptione totius doctrinae ac disciplinae in *fide* *communionem* et *sanctitate*, simulque ex subiectione erga magisterium fidei, regimen communionis, sacerdotium sanctificationis Act. VI. 1. 2. 7; IX. 1. 10.25. 26; *Christiani* ab auctore et consummatore fidei, communionis et sanctitatis Act. XI. 26 ; XXVI. 28 ; 1. Pet. IV. 16.

cedens inserenda erat. Hoc indi atur, dum iustificari dicitur circumcisio *ex fide* sz π.στω , praeputium vero *per fidem* δια τη πιστω .

(1) *Unus norus homo* est Christus caput cum suo corpore ex Iudaeis et gentibus. Cf. th. VII n. II.

(2) Singuli sunt in *fide* et *fraternitate* et *sanctitate* per *vocationem*™ bspiritus Sancti; unde Rom. VIII. 28. in textu graeco dicuntur simpliciter - secundum propositum *vocati* - ζατα προθειν ζητοι^ vulgati addit *vocati sancti*. Propterea etiam tota so ietas est proprio sensu theo-

Facile apparet, haec nonima esse *socialia*, si ita loqui fas est, iisque designari homines non tam seorsum singulos, quam potius ut propria forma sociali interna et externa coalescunt in unam societatem sui nominis, quae est ac dicitur *Ecclesia Christi*. Hanc societatem, *Ecclesiam Christi*, cuius prima exordia primaque lineamenta inspicimus consideremus iam secundum ampliorem explicationem propriae formae, qua in scriptis apostolicis exhibetur constituta.

II. In primis videmus eam ut *societatem religiosam* non modo distinctam sed plane separatam a *synagoga*, quatenus haec manet in sua *forma typica* et paedagogica ad Christum *expectatum* et ad *futurum* eius primum adventum, quam formam retinentes nunc, cum iam completa est Christi praesentia (η παρουσία), deficiunt a proprio fine veteris Testamenti, *u* finis enim *legis Christus* et incidunt in apostasiam a fide praenuntiati, a spe promissi, a charitate cunctis gentibus desiderati Messiae Salvatoris (1) (Agg. II. 8.). Adeoque synagoga quae erat populus electus *veteris testamenti*, dum recusat transitum divinitus ordinatum a spe bonorum futurorum in Christo ad possessionem praesentium, desinit esse populus Dei: *a* et non erit eius populus, qui eum negaturus est » Dan. IX. 26 ; populus autem et regnum Dei in terris nunc continetur sola *Ecclesia novi Testamenti* ex cunctis gentibus: *u* non enim per legem promissio Abrahae, aut semini eius, ut heres esset mundi; sed per iustitiam fidei... Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sedet ei qui ex fide est Abrahae, qui est pater omnium nostrum *n* Kom. ΙλΓ. 13. sqq. ; IX. 6-8.

Γ. Hanc velut oppositionem inter *cetus* Testamentum et *novum*, quod nempe illud temporarium per huius ut re-

(1) Qui venturus fide et spe erat expectandus, nunc cuius iam venit, charitate est diligendus. In V. T. dicitur: « oculus non vidit, Dens absque te, quae praeparasti *expectantibus te* » In N. T. vertitur: *u* oculus non vidit... quae praeparavit Deus *iis, qui diligunt illum* - (*diligentibus se* τοις ζ-ι'ἔω αὐτον) Is. LXIA . 4. (3); 1. Cor. II. 9. cf. lac. II. 5.



gni numquam desituri successionem iam interiit, Apostoli principii instar diserte inculcabant primis fidelibus, atque iis nominatim qui erant ex circumcissione, *u* Melioris testamenti mediator est (Christus), quod in melioribus repositionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa vacasset (εἰ γὰρ ἦν χρεαπτο), non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit (Ierem. XXXI.): ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et super domum Iuda testamentum *novum*, non secundum testamentum, quod feci patribus eorum... Dicendo autem *novum* veteravit prius (1); quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est » Heb. VIII. 6. seqq. *u* Cuius (Filii Dei) vox movit terram tunc (in legislatione et institutione Sinaitica); nunc autem (pro institutione novi Testamenti) repromittit dicens: adhuc semel et ego movebo non solum terram sed et coelum (in incarnatione, in caelestibus institutis et charismatibus) (2). Quod autem *adhuc semel* dicit, declarat mobilium translationem tamquam factorum (3), ut maneant ea quae sunt immobilia.

(1) Πεπαλαιωζε την ποωτην. Illud prius Testamentum Apostolus dicit esse iam *veteratum* in relatione ad *novum* et non amplius valere. Ex hac enim ip-a relatione ad futurum *novum* Testamentum, iam ante adventum Christi (in verbis prophetarum) illud prope interitum h. e. abrogandum esse significabatur; nunc autem adveniente novo testamento penitus interiit.

(2) Lu-us Aggaei II. 7. 8. ita habet. « Adhuc *unum modicum* est (N-II ÛVO nns 'Iiv LXX. et s. Paulus ετι απαξ), et ego commovebo coelum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus; ■narras mon ism et veniet desiderata (bona Messiae) cunctis gentibus. (De constructione pluralis numeri cum singulari colectivo confer Ps. 119. 103; 1. Sam. II. 4. vid. Gesen. Sprachgeb. §. 184. 187.) Versio LXX. και πάντων των εθνών.

(3) Directe respicitur tabernaculum cum suis sacris supcollectilibus, sed sub eo comprehenditur tota oeconomia Mosaica externa et terrena in comparatione ad oeconomiam spiritalem et caelestem novi Testamenti per Iesum Christum. Ipse dicitur - sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus et non homo: ipse « pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactura, idest non huius creationis introivit semel in sancta: - sacerdos « non secundum legem mandati carnalis tactus est, sed secundum virtutem vitae insolubilis, »

Itaque regnum immobile (1) suscipientes habemus (ἐ/ωρ.εῦ retineamus) gratiam, per quam serviamus placentes Deo cum metu et reverentia » ib. XII. 26. sqq.

Hinc Apostoli solemniter etiam definitione et praedicatione declarabant, vetera illa instituta, quibus propria indoles synagogae constituebatur, in Ecclesia Christi suum valorem suamque obligationem amisisse Act. XV. Quamvis autem veterum rituum observatio christianis praesertim genere ludaeis aliquamdiu esset permessa, eorum tamen necessitatem ac permanentem obligationem in Ecclesia Christi asserere inde ab initio novi Testamenti perversio erat ipsius evangelii Gal. I. 6-9; II. 5; V. 1-13; VI. 12-15. (vide

2°. Post adventum promissi Spiritus Sancti Apostoli, licet pro illis initiis adhuc tolerantes rituum observantiam, continuo evocabant fideles ex synagoga in Ecclesiam fide, cultu, disciplina separatam ab illa et per se consistentem. Quemadmodum paulo ante vidimus, iam in prima praedicatione Petrus *u* verbis plurimis testificatus est et exhortabatur eos dicens: *salvamini a generatione ista prava*. Qui ergo receperunt sermonem, baptizati sunt... Omnes etiam qui credebant, erant pariter et habebant omnia communia... quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo et frangentes panem per domos *r* Act. II. 40. sqq. «Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis; *ceterorum autem nemo audebat se coniungere illis; n* ib. V. 12. sq. Saulus post suam conversionem « cum venisset in Ierusalem, *tentabat se iungere discipulis*, et omnes timebant eum, *non credentes quod esset discipulus*; Barnabas autem appre-

za »4-

nec est - sacerdos super terram *n* sicut sacerdotes levitici; hi veteri tabernaculo curu tota sua oeconomia in relatione ad novum Testamentum tamquam » exemplari (ὑποοειγα-α-1 typo) et umbrae deserviunt coelestium » Heb. VII. 16; VIII. 2. 4. 5; IX. 11. Imo quatenus Ecclesia novi Testamenti includit fundatorem et caput suum Filium Dei *u* corpus cum capite, - merito non solum regnum immobile dici potest, sed etiam increatum, in quod facta est translatio mobilia tamquam factorum Testamenti Mosaici. « Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tamquam famulus, Christus vero tamquam Filius in domo sua, quae domus sumus nos » Heb. III. 5.

(1) Cf. Dan. II. 44; VII. 14. 18. 27.



hensui illuni *duxit ad Apostolos* »

22.). Paulus Ephesi primum quidem ut solebat loquebatur in synagoga suadens de regno Dei ; tum vero cum quidam indurarentur, *a discedens ab eis, segregavit discipulos* s (etiam loco), atque ex ipsis segregatis constituebat Ecclesias Asiae ; per biennium enim praedicabat, « ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini Iudaei atque gentiles » Act. XIX. 5. sq. cf. XVIII. 4. sq.

3°. Secundum typum sacrificiorum in die expiationis, quorum sanguis inferebatur in sancta sanctorum, corpora vero cremabantur extra castra, Christus suum cruentum sacrificium expiationis non solum pro populo Israel sed pro omnibus hominibus (cf. Io. XI. 50-52.) obtulit extra portam Ierusalem terrenae, quae erat centrum veteris oeconomiae. Hinc infert Apostolus, ipsis etiam Hebraeis exeundum esse extra castra, nempe extra synagogam ad Christum, ut participes fiant altaris in quo Christus ipse immolatur, altaris nempe testamenti novi, cuius participes esse nequeunt, qui adhuc haerent in lege et cultu veteri, *« Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. . . Et Iesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus ergo ad ipsum extra castra, improperium eius portant. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram (την β,ελλουσχν illam futuram Ierusalem in coelo) inquirimus »* Heb. XIII. 10. sqq. Imo Ierusalem terrena repraesentata per ancillam Agar eiusque filiam nunc cum iam desiit esse civitas Dei, hostiliter opponitur Ierusalem antitypae, quae est Ecclesia mater nostra figurata per Saram ac filium Isaac, *« Quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequabatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc. Sed quid dicit Scriptura? Eiice ancillam et filium eius; non enim heres erit filius ancillae cum filio liberae. Itaque fratres non sumus ancillae filii, sed liberae »* Gal. IV. 22-31,

III. Ecclesiae quas vidimus iam sub Apostolis longe lateque diffusas, non singulae per se unum totum constituebant ab aliis seiunctum ; sed ex omnibus velut partibus organicis exhibetur constituta una illa Ecclesia universalis, quam Christus dixit *suam Ecclesiam*, a se aedifican-

dam super petram. Multa sunt quae inter se distincta quidem sed intime nexa, formam huius unitatis tum efficiunt tum demonstrant.

1'. *Unitas fidei ac professionis* in Ecclesia universali. Doctrina et praedicatio apostolica una est *a ubique in omni Ecclesia* » (πανταχου εν παση ἐ/ζλησικ, ἐν τζ'. ἐζζλχσικαι πχσζι ) 1. Cor. IV. 17; VII. 17. Evangelium unum sicut in una Ecclesia particulari Colossensium, ita et *a in universo mundo* est, et fructificat et crescit; » *a* audierunt evangelium idem, «quod praedicatum est *in universa creatura, quae sub coelo est* » Coloss. I. 6. 23. Fides Thessalonicensiuni eadem omnium credentium « non solum in Macedonia et in Achaia, sedet *in omni loco* » 1. Thess. I. 7. 8. Fides Romanorum quos Apostolus gentium necdum viderat, « annuntiatur, *in universo mundo* » Rom. I. 8; XVI. 19.(1).

2 . Sicut per hanc fidei unitatem, ita per *unitatem sacramentorum* omnes fideles ubique terrarum coniunguntur et formantur in unum corpus Christi. « Unum corpus et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae : unus Dominus, una fides, unum baptisma » Eph. IV. 4. o. « Omnia membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt : ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei sive gentiles, sive servi sive liberi, et omnes in uno Spiritu potati sumus. . . Multa quidem membra, unum autem corpus..... Vos autem estis corpus Christi et membra de membro » (2) 1. Cor. XII. 12. sqq. « Quicumque in Christo (ἢ Χριστον) baptizati estis, Christum induistis : non est Iudaeus neque Graecus.....omnes enim vos unum estis in Christo Iesu » Gal. III. 27. 28. « Panis quem frangimus,

(1) Haec scripsit Paulus inennte Martio anni 53, postquam Petrus iam anno 42. Romam primo \-enerat ad constituendam suam sedem et fundandam u Ecclesiam principalem. »

(2) Σωαα Χριστου, ζαι ριελη εκ ρερου . Tum singuli fideles, tmn singulae fidelium Ecclesiae particulares sunt *membra ex parte*, membra nimirum partialia unius corporis Christi.

(3) Πανσέ γα φ Ιησού. Omnes *unus homo* in Christo, nempe Christus caput cum sno corpore Ecclesia cf. Eph. II. 15; 1. Cor. XII. 12.



nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus » (1) 1. Cor. X. 16.

3'. Ex his iam consequitur perfecta *unitas communionis in vita sociali* (  $\kappa\omicron\lambda\iota\tau\iota\chi$  cf. Eph. II. 12.), qua omnes Ecclesiae particulares singulique fideles theoretice et practice exhibentur et agnoscuntur ut partes ac membra unius religiosae societatis.

) Ecclesia Corinthi constat *u* sanctificatis et vocatis sanctis *r* in una societate *u* cum omnibus qui invocant nomen Domini Iesu Christi, *in omni loco n* 1. Cor. I. 2. Christiani ubicumque terrarum reperiantur sunt et dicuntur, « fraternitas quae in mundo est » 1. Pet. V. 9. In diversis Ecclesiis particularibus sunt omnes fratres et membra unius societatis, Ecclesiae nempe universalis. Romanos quorum *u* obedientia ( $\tau\omicron\upsilon\pi\alpha\kappa\omicron\eta$  obedientia fidei) in omnem locum divulgata est, » salutant *a* omnes Ecclesiae Christi; § iisdem commendantur christiani ex aliis Ecclesiis, ut eos *u* suscipiant in Domino digne sanctis; » iis qui Paulum adiuverant, gratias agunt *u* cunctae Ecclesiae gentium » Rom. XVI. 2.4. 16. 19. His similia cernuntur in salutationibus aliarum epistolarum apostolicarum.

) Sicut Apostoli in praedicatione ad conversionem Iudaeorum et gentilium « sibi dexteram societatis dederunt » (Gal. II. 8-10.), ita et Ecclesiae gentium communionem habent nominatim cum Ecclesiis Iudaeorum in Palaestina, quatenus omnes constituunt unam Ecclesiam. « Spirituum eorum (christianorum ex circumcissione) participes facti sunt ( $\epsilon\kappa\omicron\iota\nu\omega\nu\eta\sigma\alpha\nu$ ) gentiles, *r* unde *u* debent et in carnalibus (rebus temporalibus) ministrare eis » Rom. XV. 26. 27; Act. XI. 29; XXIV. 17; Gal. II. 10; 1. Cor. XVI. 1-3; 2. Cor. VIII. 14; IX. 2. 13. (2). «Deus vocavit vos (Thessa-

(1) Κοινωνία του σωματος του Χριστου,... ότι ει άρτο , έν σωμα ο\*, -ολλο... Communio et unio immediate cum corpore Christi physico et sacramentali. cum Christo *r* apite, et per ipsum unio omnium membrorum inter se in unum corpus Christi mysticum. ! Sg

(2) Ecclesia Romana, inde ab apostolicis temporibus consuevit velut filios suo sustentare suis opibus fideles aliarum Ecclesiarum in toto orbe terrarum, ut testis est saeculo secundo s. Dionysius Coriuthius ad Pon-

lonicenses) in suum regnum et gloriam...; vos enim imitatores facti estis Ecclesiarum Dei, quae sunt in Iudaea in Christo Iesu» 1. Thess. II. 14. «Gentes sunt coheredes et concorporales (τὰ ἔθνη συσσωρ.α membra unius corporis) et participes promissionis eius (Dei) in Christo Iesu per evangelium, » cuius (evangelii) Paulus u factus est minister » (1) Eph. III. 6.

c) Communio haec est omnium fidelium inter se, cum Apostolis, cum Christo capite et cum Deo: u ut et vos societatem (κοινωνίαν) habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo » 1. Io. I. 3. Ecclesia (evocatio) constat u vocatis sanctis, » et vocati sunt a in societatem Filii Dei, » adeoque Ecclesia est « societas Filii Dei » (2) 1. Cor. I. 2. 9.

(Z) Exhibetur nimirum in scriptis apostolicis Ecclesia universalis ut *una visibilis communio sanctorum*. Multa quidem sunt membra, eaque diversa secundum diversas divisiones gratiarum, ministrarum et operationum; ex his tamen omnibus unum corpus constituitur, quod ab uno *Spiritu* vivificatur et sanctificatur, ab uno *Domino* Iesu Christo regitur et administratur, ab uno *Deo* Patre sustentatur et confirmatur (Rom. XII. 5; 1. Cor. XII. 4. sqq.; Eph. IV. 4. sqq.; Col. I. 18; II. 19.). Fideles vocati ex Iudaeis et gentibus, ambo in uno corpore sunt templum sanctum in Domino, supraedificati super fundamentum Apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu

Tim. II. 19. 20; 1. Pet. II. 5; IV. 17.). Ecclesia universa describitur ut mons Sion, civitas Dei viventis, Ierusalem

titicem s. Soterem et ad Ecclesiam Romanam scribens (apud Euseb. H. E.

(1) Δια του ευαγγελίου, οὐ εγενομην διάκονο . Ut legatus Christi administrans evangelium, et per hoc ipsum *minister Ecclesiae*, aedificans eam ut corpus Christi opera ministerial! pro Christo. - Evangelium praedicatum est in universa creatura quae sub coelo est, cuius (evangelii) factus sum ego Paulus minister.... pro corpore eius quod est Ecclesia, cuius (Ecclesiae) factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quae data est mihi in vos \* Col. I. 23. 25.

(2) Εκκλησία του Θεού.... κλητοί ἅγιοι.... ἐκληθήτε εἰ κοινωνίαν του υἱου αὐτου.



coelestis, cuius cives domestici Dei, qui accesserunt ad Ecclesiam primitivorum τη εκκλησία των πρωτοτόκων (Heb, XII. 22; Eph. II. 10.); ut castra sanctorum et civitas dilecta super latitudinem terrae (Apoc. XX. 8.); ut regnum sacerdotale et gens sancta (1. Pet. II. 9.10; Apoc. I. 6; V. 9. 10.); ut Israel Dei, peculiaris populus Dei λαό περιούσιο (Gal. VI. 16; Tit. II. 14.); Ierusalem libera, quae est mater nostra (Gal. IV. 26.); mulier amicta sole, inter persecutiones draconis fecunda mater martyrum (Apoc. XII. 1. 5. 11. 17.); Virgo desponsata uni viro, uxor agni praeparata, cooperta byssino, quae sunt iustificationes sanctorum

IV. Haec triplex visibilis unitas professionis fidei, sacramentorum et societatis seu communionis in Ecclesia apostolica per omnes gentes diffusa supponit ut suum principium ac fundamentum potestatem visibilis magisterii, sacerdotii, regiminis quam in superioribus thesibus vidimus a Christo promissam et institutam. In descripta igitur triplici unitate intelligeretur implicita ipsa potestas tamquam formans et efficiens eius causa, etiamsi ea in constitutione Ecclesiae tempore Apostolico non explicite nobis exhiberetur. At vero reperimus in Ecclesiis, ut ab Apostolis constitutae in ipsorum scriptis exhibentur, sacrae illius potestatis plenum vigorem, adeo ut triplex unitas (de qua diximus) et tota Ecclesiae constitutio potissimum in hac potestate aspectabilis reddatur. Imo illius propria indoles, diversi gradus ac velut organismus distinctius exhibentur in Ecclesiis iam constitutis, ut eas ab Apostolis descriptas habemus, quam in ipsa institutione quae in Evangeliiis narratur. Hinc ad ampliorem declarationem institutionis Christi (th. XI. n. II.) nobis necesse fuit iam hoc ipsum exercitium potestatis in Apostolis considerare; atque adeo ad illum locum remittentes possumus heic totum compendio absolvere. ••i»

Videmus in Ecclesiis apostolicis veram potestatem derivatam a Christo, et nomine Christi exercitam, primum quidem ad docenda dogmata et ad promulgandas ac interpretandas leges divinas; tum vero omnino ad proprias leges ferendas in ordine ad vitam christianam, quibus omnes

fideles obstringantur; ad indicia facienda in eodem ordine ad infligendas poenas. Quae quidem iurisdictio cum propria sit huius Societatis, quam Christus *suam Ecclesiam* dixit et condidit ex potestate suprema sibi data in coelo et in terra, cum proinde iurisdictio sequatur naturam huius Ecclesiae et ad eius propriam vitam regendam pertineat, cum denique ab ipso Christo *in suo regno* instituta sit, manifestum est eam independentem esse, et videmus sane eam in apostolicis Ecclesiis exerceri independentem a quavis alia potestate humana. Licet etiam in *civitate terrena ad pacem terrenam* non sit potestas nisi a Deo, haec tamen *caro* est, potestas nimirum origine, fine et mediis naturalis, at potestas in *civitate Dei*, in regno Christi *spiritus* est, nempe origine, fine et mediis supernaturalis.

Γ. Esse hanc in primis potestatem *magisterii* ad authentice docendum ac declarandum quidquid Apostoli ab ipso Deo Christo et Spiritu Sancto acceperant, vix opus est specialibus argumentis demonstrare post ea, quae superius dicta sunt de divina institutione magisterii. Quandoquidem Christus suo testamento misit Apostolos sicut ipse missus erat a Patre, *a* ad praedicandum evangelium omni creaturae, *et* ad praedicandum in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, *et* ad docendas omnes gentes observare omnia, quocumque mandavit eis; » quandoquidem porro promisit et misit eis Spiritum veritatis, *ut* ut doceret eos omnem veritatem, » atque in hac omni veritate etiam « multa, quae non poterant portare modo; » quandoquidem postremo in docenda veritate se ipsum et Spiritum Paracletum cum ipsis Apostolis futurum promisit « in aeternum, *et* « omnibus diebus usque ad consummationem saeculi: *et* huius divinae institutionis executionem, de qua nunc agimus, demonstrat tota vita Apostolorum, cum haec missio potissimum ipsam essentiam apostolatus contineat. Hinc non ea facultas dumtaxat testificandi quae oritur ex scientia, sed peculiaris missio et assumptio ad apostolatum confert munus testificandi, testimonio nempe ex potestate divinitus collata et ideo authentico. « Oportet ex his viris qui nobiscum sunt congregati omni tempore... testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis »

V\* i

P



Act. I. 21. 22. Inde etiam sunt frequentes Apostolorum protestationes de sua divina legatione, *u* Non enim audeo aliquid loqui eorum, quae per me non efficit Christus in obedientiam gentium (ει ὑπακοην των εθνών) verbo et factis» Rom. XV. 18. *a* Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei (λαγόν ακοή παρ' ηων του θεού), accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei» 1. Thess. II. 13. « Sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum lesum » Gal. IV. 14. « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores (οικονομοι) mysteriorum Dei » 1. Cor. IV. 1. *u* Dedit nobis ministerium reconciliationis... pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos » 2. Cor. V. 20. « Mysterium evangelii, pro quo legatione fungor in catena » Eph. VI. 20.

2°. Potestas porro est *legifera*, *a* Apostoli et seniores fratres (1)..· Visum est Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria. » Inter haec necessaria h. e. necessario observanda non erant leges dumtaxat divinae, sed etiam praecepta apostolica, quorum pro Ecclesia Christiana ipsimet Apostoli potestate sua erant auctores, ut mandatum abstinentiae a sanguine et suffocato Act. XV. 23. 28. *u* Cum pertransirent (Paulus et Silas) per civitates, tradebant eis custodire dogmata (placita), quae erant decreta ab Apostolis et senioribus, qui erant Ierosolymis » (2), ib. XVI. 4. Post praecepta divina de sancta sumptione Eucharistiae, Apostolus promittit leges suas: *u* cetera cum venero, disponam » (διαταξομαι) 1. Cor. XI. 34. Alibi aperte supponit suam potestatem *imperii*, eamque notam fidelibus et distinctam a legislatione divina. « Hoc

(1) O: αποστολοι zat ο\*, ζρεσβυτεροι αδελφοι. Ita habent codices A CD, Tischendorfianns et alii; versiones latina vulgata, armena; Patres Irenaeus. Origines, Athanasius, Pacianus, Vigilus. Nunc in editis graecis est: ολ αποστολοι ζα: οι πρεσβυτεσοι χα. οϊ αδελφοι. Ceterum animadvertite, aliud esse quod visum est Spiritui Sancto et Apostolis ad decernendum, aliud quod sive seniores sive fratres per Sp. S. ducuntur ad consentiendum.

(2) Παρεδωουν αυτοι φυλασσειν τα δογαατα τα ζεζφιαενα ὑζο των αποστολων ζα: των πρεσβυτερων των εν Ιερουσαλημ Vides hic minime commemorari *fratres*, quo confirmatur lectio prior Act. XV. 23. de qua in praecedenti nota diximus.

autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium;» «ceteris ego dico, non Dominus» 1. Cor, VII. 6. 12.

3°. Hinc potestas est etiam *iudiciaria*, et *coactica*. «Ego absens corpore, praesens autem spiritu, iam indicavi... in nomine Domini N. I. C. congregatis vobis et meo spiritu (spiritu et auctoritate mea praesens in vestra congregatione), cum virtute Domini N. I. C. tradere huiusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. I. C. » (ad afflictionem et poenam in praesenti vita naturali pro salute supernaturali in altera vita), 1. Cor. V. 3. cf. 1. Tim. I. 20. « Quid vultis in virga veniam ad vos an in charitate et spiritu mansuetudinis? » 1. Cor. IV. 21. « Praedixi (in priori epistola verbis modo citatis) et praedico... quoniam si venero iterum, non parcam. An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Christus?... Ut non praesens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem non in destructionem » 2. Cor. XIII. 2. 3-10. « In carne enim ambulantes non secundum carnem militamus. Nam arma militiae nostrae non carnalia sed potentia Deo..... in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam (ἐκδικησαι πασαν παρακοήν)... Nam si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem et non in destructionem vestram, non erubescam » 2. Cor. X. 3-8.

Hanc leges ferendi, iudicandi, puniendi seu ulciscendi potestatem esse veram potestatem iurisdictionis ab Apostolorum ipsis verbis citatis tum eo adhuc expressius declaratur, quod profitetur, hanc de qua agit potestatem minime extendi ad illos, qui simpliciter « foris sunt, » qui scilicet nullo umquam vinculo Ecclesiae connexi erant, ut ex contextu et comparatione locorum manifestum fit. Nam qui sigillo fidei, baptismo inquam suscepto, haeresi ut Hymenaeus et Alexander (1. Tim. I. 20.), aut aliis criminibus ab Ecclesia avulsi iacent, ii sane hac ipsa potestate indicantur et puniuntur (1). « Quid enim mihi de iis qui foris

(1) Nimirum eos qui foris sunt indicat Deus, non Ecclesia; qui vero intus sunt aut fuerint, indicat Deus et Ecclesia. Munus a Christo institutum in Apostolis ad praedicationem doctrinae divinae, legis divinae,



sunt iudicare?.....Nam eoa qui foris sunt Dens iudicabit. Auferte malum (τον πονηρον hominem malum, de quo Apostolus ibi indicat) ex vobis ipsis \* 1. Cor. V. 12. 13.

Habemus igitur tempore Apostolorum *u* fraternitatem quae in mundo est ” unam fide et professione, unam sanctificatione ac usu sacramentorum, unam vita religiosa sociali sub magisterio, sacerdotio, regimine plenae iurisdictionis apostolico ; estque haec ex inultis Ecclesiis tamquam membris una in universo mundo Ecclesia Iesu Christi secundum formam, qua in superioribus thesibus eam vidimus a prophetis praenuntiatam, a Christo promissam, praeparatam, ac tandem potestate, quae omnis ei data est in caelo et in terra, institutam perenniter duraturam usque ad consummationem saeculi, usque ad secundum adventum, usque ad plenitudinem corporis Christi in omnibus membris sanctis et electis. ■

indicii divini (magisterium) est ad omnes gentes etiam ad eos qui foris sunt: - euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. - Idem utique manet magisterium ad eos qui intus sunt per baptismum adscripti in regnum Dei; sed quoad hos *magisterial* est intime coniunctum cum potestate *sacri imperii* ad ferendas proprias leges in regno Dei. ad indicanda delicta contra divinas leges, et proinde ad haec delicta poenis coercenda. Vide th. V.

THESIS XV.

*Potestatis in Apostolis institutae  
successio in hierarchia.*

i. In Ecclesia iam Apostolica conspicitur potestatis in Apostolis institutae ad pascendam Ecclesiam perpetua successio per seriem singulorum in singulis Ecclesiis Episcoporum, ex quibus constat unus in Apostolis divinitus institutus cum iure eis successione cohaerens episcopatus. Quae quidem divina Ecclesiae constitutio tum 1°. in scriptis Apostolicis exhibetur; tum 2°. in monumentis Patrum aetati Apostolicae proximorum distinctius manifestatur, n

Ex iis quae in superiori thesi demonstrata sunt, apparet Ecclesiam ut ea erat sub Apostolis, societatem esse in se *inaequalem*, in qua nempe sint superiores vera iurisdictione instructi et subditi illi iurisdictioni obnoxii. Cum porro haec dispositio et subordinatio instituta a Christo Domino et conditore Ecclesiae ad ipsam pertineat internam constitutionem et ad regimen Ecclesiae, fieri nequit, ut ea sit potestas extraordinaria, personalis solis Apostolis; sed necessario intelligitur potestas ordinaria et propaganda, quamdiu ipsa Ecclesia persistit. Et sane haec communicatio potestatis, atque inde perenniter duratura relatio superiorum et subditorum seu *inaequalitas* societatis in ipsa iam Ecclesia apostolica luculenter sese prodit. ♦

I. Considerabimus potestatem verae iurisdictionis, prout in scriptis Apostolicis exhibetur, tum secundum 'modum, quo ea describitur in Episcopis successoribus Apostolorum, tum secundum modum propagationis, tum secundum singularitatem in singulis Ecclesiis particularibus, in qua re iam etiam ordo hierarchicus potestatum continetur.

1°. Sicut Apostoli vi suae potestatis, paulo ante a nobis consideratae in eorum magisterio et iurisdictione, erant *praepositi Ecclesiae*; ita videmus hoc ipsum munus *praepositorum* ab eis deferri et communicari aliis, quibus propterea ceteri fideles *u* obedire et subiacere *n* teneantur. Hoc itaque officium obedientiae et subiectionis respondet pote-



stati in *praepositis* collatae et ordinatae ad salutem animarum. « Mementote praepositorum vestrorum (1), qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem... Obedite praepositis vestris et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. .. (2). Salutate omnes praepositos vestros et omnes sanctos » Heb. XIII. 7. 17.24.

Qui hic generaliori appellatione dicuntur fidelium *praepositi* (ηγούμενοι) (3), iidem multis aliis in locis Actuum et epistolarum apostolicarum vocantur nomine speciali ac proprio *presbyteri* et *Episcopi*. Munus eorum et superior potestas in Ecclesiam significatur iam ipso nomine, ut *duces* sint fidelium, unde sensu eodem etiam dicuntur vi muneris *praeesse* (προεστῶτε) 1. Tim. V. 17. cf. Rom. XII. 8. Duces et praesides exhibentur ita, ut Spiritus Sanctus posuerit *Episcopos regere Ecclesiam Dei*; \* ut eorum munus sit « *attendere universo gregi, in quo positi sunt* » Act. XX. 28; *a pascere* qui in ipsis est, *gregem Dei, procidendo* » (*iv.nar.vmi;*) 1. Pet. V. 2; « *Ecclesiae Dei diligentiam habere* » (ἐπιαελεισΟκι) comparatione facta cum patrefamilias, qui domui praeest 1. Tim. III. 5; *pervigilare pro animabus, pro quibus rationem sunt reddituri* » Heb. XIII.17.

Ad regimen, ad pastorem providentiam, diligentiam, vigilantiam pro Ecclesia Dei speciatim pertinet a) *magisterium*: u praecipe et doce; attende doctrinae; praedica verbum ministerium tuum imple; collabora evangelio secundum virtutem Dei; qui laborant in verbo et doctrina; commune testificans coram Domino; exhibe te ipsum operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum Dei; conserva manda-

(1) Τῶν ἡγουμένων ὑμῶν, quae appellatio iam occurrit in sermone Christi Domini Luc. XXII. 26, ubi ab interprete latino vertitur *praetor*. Intelliguntur vero penes Panium primi fundatores Ecclesiarum Palaestinae iam defuncti, inter quos Theoloretus (in h. 1.) nomen « Iacobum Iohannis fratrem et Iacobum (Episcopum Hierosolymorum) qui iustus est cognominatus. » d0-1

- Αυτό, γὰρ ἀγρυπνοῦν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν, ὡς λόγον ἀποδοῦντι.

(3) Hand din post scriptam epistolam ad Hebraeos, Clemens Romanus quoque nominat τοὺς ἡγουμένους quibus obedendum, ac sub eis presbyteros qui honorandi sint. Clem. ep. I. ad Corinth, n. 1. 21. | - |

tum (τ/ν εντολήν) sine macula usque ad adventum Domini N. I. C. ; formam habe sanorum verborum, bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum; quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere ; oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem , ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere » 1. Tim.

b) Nec minus eodem munere pastoralis comprehenditur *potestas indicii et correptionis* etiam in invitos, quam ab Apostolo superius audivimus esse *u ultionem inobedientiae* » (εκδικησιν τη - παρακοή ). *a* Adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus; peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant. » *u* Huius rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt, corrigas *η* (ινα τα λειποντα επιδιόρθωση). *u* Sunt enim multi inobedientes.. . quos oportet redargui... increpa eos dure, ut sint sani in fide, *n* *u* Argue cum omni imperio ; nemo te contemnat » 1. Tim. V. 19. 20; Tit. I. 5. 13; II. 15.

Sunt igitur Episcopi in pascendo gregem Dei, in regendo Ecclesiam potestate magisterii et imperii (jurisdictionis) *successores Apostolorum* ea ratione, quae continetur in ipsa institutione apostolatus: « docete observare omnia, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (supra th. XIV.) (1). Hos post commemorata aliquot munera extraordinaria nominat Paulus ex Christi institutione ordinaria ac perpetua *u pastores et docto-*

(1) « Quid est pro patribus nati sunt tibi filii? Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres illo appellat, ipsa illos genuit, et ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es, de prole tua tibi crevit paternitas... Haec est catholica Ecclesia; filii eius constituti sunt principes super omnem terram, filii eius constituti sunt pro patribus... Templum suum Deus ubique collocavit, fundamenta prophetarum et Apostolorum ubique firmavit: filios genuit Ecclesia, constituit eos pro patribus suis principes super omnem terram » Aug. in Ps. -14. n. 32 .



⁂(⁂ s (1), quos Christus dedit « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi donec occurramus omnes in societatem fidei » Eph. IV. 11. Munus esse homogeneum in successoribus sicut in Apostolis Paulus etiam indicat, ubi *praepositis* Apostolis subiungit *praepositos* successores Heb. XIII. 7. 17. Et Petrus *consenior* sibi consociat *seniores* (-ρεσβυτερου του εν ηλικιη ο συμπρεσβυτερο ) (2). Fons autem supremus totius potestatis est Christus *princeps pastorum*: u Seniores qui in vobis sunt, obsecro consenior... pascite qui in vobis est, gregem Dei providentes (ἐπισκο-ουντε ).. . et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam.? 1. Pet. V. 1-4; unde Christus etiam appellatur α pastor et episcopus animarum » ib. II. 25. **I**

2°. Successio haec perennis non, sicut in veteri Testamento, generatione carnali sed generatione spiritali propagatur per sacramentalem manuum impositionem, qua conferitur gratia sanctificationis et virtutis ipsi muneri respondens, u Resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis (δυναμew ) et dilectionis et sobrietatis (σωφρονισμou); noli itaque erubescere testimonium Domini nostri n 2. Tim. I. G. a Praecipe haec et doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat... ; attende lectioni, exhortationi et doctrinae. Noli negligere gratiam, quae est in te, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii... (3). Attende tibi et doctrinae» 1.Tim.IV. 14. Eandem ordinationis et propagationis potestatem vicissim in successore a se ordinato agnoscit Apostolus. Primum enim agit de modo iudicii adversus *presbyteros*; tum vero in relatione ad constituendos presbyteros commendat Timotheo: *a manus cito nemini imposueris* » 1. Tim. V. 19.22. Unde quamvis significatio *impositionis manuum* multiplex

(1) De coninnetrone pastoratus et doetoratus apud Panium vide Tract. de Tradit, ed. 2. Th. XXV. η. I. **SE 3.**

ζ2) Etiam Apostolus Ioannes simpliciter se appellat τον spseptfrssov. 2. Io. I: 3. Io. 1. **■**

(3) Vide Tract, de Sacramentis iu genere ed. 2. p. 00.

sit, his tamen locis non potest intelligi alia quam *ordinationis*, in Scripturis atque inde in universali usu ecclesiastico per excellentiam dicta *manuum impositio* (ἡ, *fyi-tonia*).

3. Discrimen in eo obtinet maximum, quod Apostoli singuli non modo in singulis Ecclesiis sed in Ecclesiis omnibus, in universa Ecclesia potestatem habent « ad obediendum fidei in omnibus gentibus » (1) (Rom. I. 5, 13. sq.; Act. IX. 15; 1. Cor. VII. 17. etc.); successores autem singuli in singulis dumtaxat Ecclesiis constituuntur Episcopi. In Apostolis igitur universalis potestas apostolatus includebat quidem potestatem episcopatus particularis; sed potestas apostolatus *quatenus universalis* residebat in Apostolis erat que extraordinaria, non propaganda (quod ex ipsa institutione longe diversum erat in Petro ut in capite perenni Ecclesiae perennis th. XI.), sola vero potestas episcopatus intelligitur perpetuo duratura et ideo ordinaria. Paulus et Barnabas (in prima sua missione per Asiam) « constituerunt illis (manuum impositione) *per singulas Ecclesias presbyteros* » (2) Act. XIV. 23. « Reliqui te (Titum) Cretae, ut... constituas *per (singulas) civitates* (κατὰ τὰ ἱου) *presbyteros*, sicut et ego disposui tibi... Oportet enim *Episcopum*, sine crimine esse » etc. Tit. I. 5. 7. Hinc tum Petrus tum Paulus diserte restringunt potestatem singulorum Episcoporum ad illum particularem gregem, qui ipsis est commissus. « Pascite *qui in vobis est, gregem Dei* providentes » 1. Pet. V. 2. « Attendite vobis et *universo gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus Episcopos* regere Ecclesiam Dei » Act. XX. 28. (3).

Singulos Episcopos singulis Ecclesiis fuisse ab Apostolis ordinatos certissime praeterea constat ex Apocalypsi, « Septem stellae angeli sunt septem Ecclesiarum » Apoc. I. 20. Numerantur deinde angelus Ephesi, Smyrnae, Pergami,

(1) Γ, Ε. ὑ-ακοην ἴ-στω; ἐν *r.ttt* το.; ἐθνέσιν.

(2) Χεφοτονησαντε σε αὐτο. πρεσβυτερου; κο, προσευξκρενο: •μ-ι νεστειων. D appellatione *presbyteri* primis temporibus communi Episcopis interius dicemus.

(3) De hoc loco vide Tract, de Tradit, ed. 2. p. 38.



Tbyatirae Sardium Philadelphiae, Laodiciae. Ipsi attribuantur tum bona tum mala opera, quae patrantur in Ecclesiis eorum curae commissis, utpote qui vigilant tamquam rationem Deo pro animabus reddituri. Singulorum est in singulis Ecclesiis tenere et servare quae acceperant ab Apostolis III. 3; examinare, damnare et arcere doctrinas contrarias et falsos doctores II. 2. 14. 15. 20; vigilare, confirmare, exigere subiectionem III. 2. 9.

4\ Ex ipsis Scripturis novi Testamenti constat, praeter unum illum singularum Ecclesiarum *Episcopum* seu *presbyterum* fuisse plures sacrorum ministros in iisdem Ecclesiis, non modo *diaconos* evidenter diversi ordinis ac subordinatos Episcopis (Act. VI. 5. 6. 9; VIII. 5. 12. 38; Phil. I. 1; 1. Tim. III. 8. 12.); sed etiam alios *presbyteros* appellatos hoc nomine quidem communi cum illo, qui positus erat regere totam Ecclesiam (particularem) et pascere totum illum gregem Dei, cui proinde regendi et pascendi suberant etiam hi nominati *presbyteri* (cf. 1. Tim. V. 19.); imo constat, plures fuisse huiusmodi presbyteros in Ecclesiis, quae personaliter et immediate ab ipsis Apostolis regebantur (Act. XI. 30; XV. 2. 4. sqq.; XVI. 4.; XXI. 18; Iac. V. 14). Habemus igitur iam in ipsis Scripturis sufficienti indicio designatos duos ministrorum ordines, diaconos et presbyteros, ipsos quoque cura universo *grege* regendos ac pascendos ab ordine supremo Episcoporum, qui soli in potestate magisterii et regiminis successores sunt Apostolorum.

II. Quae in sacris litteris modo expressius declarata modo obscurius indicata vidimus, de successione Apostolica et de sacra **hierarchia**; ea in reliquis monumentis aetati Apostolicae coevis aut 'supparibus manifeste et distincte exhibentur; adeoque commentarium constituunt ad illustranda et intelligenda ea, quae in scripturis per se forte obscuriora essent;

1. Clemens Romanus tempore apostolico et saltem s. Ioanne adhuc superstate declaravit Corinthiis ordinem divinatorum ministeriorum, quomodo et a quibus peragenda sint. Sermo ei est non sane de veteris sed de novi Testamenti institutis observandis; quoniam vero veteri hierarchiae tamquam typo respondet ut antitypus hierarchiae novi

Testamenti; idcirco s. Pontifex unam explicat ex altera, et iisdem nominibus quibus describitur ordo sacerdotii antiqui, simul designat ordines hierarcbiae Christianae, *u* Omnia ordine debemus tacere (nos Christiani), quae Dominus statutis temporibus peragi iussit. Oblationes scilicet et officia sacra (τα τε προσφορά; και λειτουργία ) praecepit perfici non temere et inordinate, sed statutis temporibus et horis; ubi et a quibus celebrari vult, ipse suprema sua voluntate definiuit. .. Qui ergo assignatis temporibus oblationes suas faciunt, accepti et beati sunt; *Domini enim statuta sequentes non aberrant. Summo namque sacerdoti propria munera attributa sunt, et sacerdotibus proprius locus assignatus est, et Levitis propria ministeria incumbunt, homo laicus laids praeceptis obligatur.* Unusquisque vestrum, fratres, in suo ordine gratiarum actiones offerat Deo, in bona conscientia permanens, non transgrediens *constitutum sui ministerii canonem, in sanctitate....* (1). Missus est

(1) Τοι γαρ νομιμοι του δεσπότου άζολουΘουντε ού οιαμαρτανουσιν. Τω γαρ αρχιερει ιδιαι λειτουργιαι δεδομεναι εισιν, και τοι ιερευσιν ιδιο ο οπο προστεαχται, και λευϊται ιδια», διακονιαι έπιχεινται· ο δε λαϊκό άνθρωπο το;; λιιζοι προσταγμασιν δεδεται. Έκαστο ύμων, αδελφοί, εν τω Ιόιω ταγματι ευχαριστεστώ Θεω, έν αγαθή συνείδησεί ύπαρχων, υ.η παρεκβαινων τον ώρισριενον τη λειτουργία αύτου κανόνα, εν σεανοτητι. Huiusmodi confirmationes hierarcliaae ecclesiasticae ex illa Aaroniea apud Patres frequenter occurrunt, e Moses cum divinam legislationem constitueret, distinxit quae a Pontificibus, quae a Sacerdotibus, quae a Levitis peragi oporteret, unicuique cultum proprium et suo ministerio convenientem distribuens... quae vero sub nobis acta sunt, sane non ignoratis; nostis enim omnino Episcopos et presbyteros et diaconos a nobis (Apostolis) prece et manuum impositione constitutos esse..... A Domino edocti rerum consequentiam Episcopis quidem quae ad Pontificatum pertinent (τα τη αρχιερωσυνη ) assignavimus, presbyteris vero quae ad sacerdotium, diaconis autem quae ad ministerium utrisque impendendum.... Primus igitur natura Pontifex unigenitus Christus.... ille homo factus propter nos, et spiritale sacrificium 'πνευματικήν Ουσίαν vide de Euchar. th. XI. n. III.) offerens Deo ac Patri ante passionem, nobis solis (Apostolis) hoc facere constituit... Post illius vero assumptionem nos iuxta eiusdem constitutionem offerentes sacrificium mundum et incruentum, elegimus Episcopos, et presbyteros, et diaconos \* Const. Apost. l. VIII. c. 46. Cyrillus post multa disputata de sacerdotio Levitico, subiungit: - si quis velit Ecclesiae ordinem (τη εκκλησία την ταξιν) perquirere, illam legis praefigurationem (την εν νομω τ:οανατυπωσιν iure admirabitur. Episcopos enim utpote qui duces creati

T «

•i

. |



Christus a Deo, et Apostoli a Christo; factum est utrumque ordinatium ex voluntate Dei... Per regiones igitur et urbes praedicantes *constituerant primitias illarum, Spiritu cum probassent, in Episcopos et diaconos eorum, qui credituri erant, n* Comparatione facta cum designatione sacerdotii in familia Aaronica, ut de eodem contentio inter Israelitas excluderetur, transit Clemens ad successionem ratam ac perennem in sacerdotio novi Testamenti, *u* Apostoli quoque nostri per Iesum Christum D. N. cognoverunt, contentionem de nomine episcopatus oborturam; ob eam ergo causam perfecta praescientia praediti constituerunt praedictos, *et deinceps ordinationem dederunt, ut, cum illi decessissent, ministerium eorum alii probati viri exciperent* » (1) Clem. ep. I. ad Corinth. n. 40–14.

snnt, et iis qui inferiorem gradum habent, presbyteris inquam, creditum est altare et quae intra velum continentur, quibus etiam dici convenit: et custodient sacerdotium suum; diaconis vero illud: custodient custodias tabernaculi et omnia vasa eius et custodias populi » Cyrill. de ador. in Spiritu 1. XIII. T. I. p. 454. Expressius adhuc loquitur Hieronymus. - E' ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod *Aaron* et *yi7«7* eius atque *Lenitae* in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi et presbyteri et diaconi vindicent in Ecclesia» Hier., ad Evang. ep. 146. n. 2: cont. Iovin. 1. II. n. 28. - Traxisti Domine omnia ad te, ut quae in uno Iudaeae templo obumbratis significationibus agebantur, pleno apertoque sacramento universarum ubique nationum devotio celebraret. Nunc enim et ordo clarior Levitarum et dignitas amplior Seniores et sacratior est unctio sacerdotum (Episcoporum) » s. Leo serm. 59. al. 57. de Passion. Dom. 8. c. 7. Vide etiam Dionysium Hierarch. Eccles., c. 5.

(1) Κατέστησαν του προφηταενου ζαι αετα υ επινοαην οεδωζασιν, οζω; εαν ζοιμηθωσιν, οιαδεξωνται ετεοοι δεδοζ'ασασαενοι ανομε την λειτουργιαν αυτων. De significatione vocis εζινορ; inter viros doctos controversa diximus in Tract. de Tradit, ed. 2. p. 34. |jH

Cnm ( lenientis testimonio conferenda est Eusebii narratio, qui postquam Episcopi Apostolici Quadrati meminit, ita prosequitur, *u* Praeter hos alii quoque plures praestabant, primum ordinem successionis ApOst\*lorum obtinentes. Qui tantorum virorum Deo digni discipuli cum essent, Ecclesiarum fundamenta in omni I020 ab Apostolis antea posita provenerunt, praedicationem magis ac magis promoventes et salutaria semina regni coelorum per totum orbem late spargentes... Hi iactis tantummodo fundamentis fidei in peregrinis regionibus, *constituebant alios pastores* *committebant culturam eorum qui recenter conversi erant* (οϋτοι δε ! | !  
0cUsa'oj; τη ζισ.^ω ενοι τ.σι τοπο: αϋτο αονον ζαταζαλλορευοι,  
τε ζ.αΟ-τανττ ετEs->j;. τουτοι τε χϋτοι; εγ/εφιζοντε την των aertw;

Quamvis posteriori hoc loco explicite solos Episcopos et diaconos nominet, sub Episcopis tamen qui sunt singuli per singulas regiones et urbes (ζατζ χωρά και πόλει), comprehendi etiam alios sacerdotes secundi ordinis, ut superius ex veteri Testamento distinxerat summum sacerdotem et sub illo sacerdotes alios, apparet si recte intelligatur, ex capite 57, ubi diserte commemorat *presbyteros* in Corinthiorum Ecclesia, *u* Subditi estote presbyteris... melius si quidem vobis est in ovili Christi parvos et probatos inveniri, quam sublimius elatos spe illius eiici. n

2°. Quam sollicite gradus isti hierarchici et subordinate divinitus instituta commendetur ab Ignatio Apostoli Ioannis discipulo, nemo ignorat.

«) Quoad *regimen ecclesiasticum* statum singularum Ecclesiarum post ascensionem Christi in coelum generatim comparans cum collegio apostolico sub ipso Christo adhuc versante in terris, ita illum exhibet, *u* Quum *Episcopo* subiecti sitis *ut lesu Christo*, videmini mihi non secundum hominem sed secundum Iesum Christum vivere... Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine Episcopo nihil agatis; sed et *presbyterio* subditi sitis *ut Apostolis lesu Christi*... Oportet autem et eos qui sunt *diaconi* mysteriorum Iesu Christi (1), omni modo omnibus placere. Non enim ciborum ac potuum diaconi sunt, sed ministri Ecclesiae Dei... Cuncti similiter revereantur *diaconos* ut mandatum Dei (ο>σ θεού εντολήν legendum ex ep. ad Smyrn. η. 8.), et *Episcopum ut Iesum Christum* Filium Patris, et *presbyteros* ut synedrium Dei (ώ συνεδρίαν θεού quem-

Γ.σα/Οιντων γεωργίαν); ipsi vero alias porro region-s ac gentes adibant comitante Dei gratia et cooperatione » Euseb. H. E. 1. III. c. 37.

Ipsis paene verbis Clementi consonat Irenaens: « Valde perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant (Apostoli), quos et successoribus relinquebant snum ipsorum locum magisterii tradentes» Iren.III. c. 3. n.1.

(1) Nunc graecus textus habet του διακόνου όντα μυστήριον Ιησοη Χριστου, quod vertunt - diaconos qui sunt imago Iesu Christi; - sed omnino legendum videtur μυστήριων, ut legit interpolator epistolarum aequae ac vetus interpres, et ut suadet sequens incisum, ubi non profanum sed sacrum esse monetur ministerium diaconorum; et clarius probatur ex contextu antecedenti, in quo non iniimus gradus diaconorum sed potius supremus Episcoporum exhibetur ut imago seu μυστήριον Iesu Christi.



admodum apud Clementem hic ab Ignatio comparatio videtur institui cum veteri Testamento) atque *ut collegium Apostolorum. Sine his Ecclesia non nominatur*» Ignat, ep. ad Trail, n. 2. 3; ad Magnes, n. 6. 13; ad Smyrn. n. 8. cf. ad Ephes, n. 2; ad Magnes, n. 2; ad Philad. inscript. et n. 10; ad Smyrn. n. 12; ad Polycarp. n. 6.

6) Presbyteri ipsi et cum presbyteris omnes fideles uniti ac subiecti sunt Episcopo, qui missus est a Christo ad regendam Ecclesiam. Haec unio et subiectio sicut in regimine disciplinae ita non minus valet quoad *magisterium doctrinae*, si videlicet *u episcopatus* » (Ignat, ad Polycarp. n. 8.) seu corpus Episcoporum *u per fines terrae* » universim spectetur; ita enim spectati semper sunt in sententia Christi. Quapropter haec unio cum Episcopis instituta est et est necessaria, ad fugiendam haeresim. *u Decet vos omnibus modis glorificare Iesum Christum, qui glorificavit vos, ut in obedientia una sitis perfecti (κατηρητισμένοι) in eodem sensu et in eadem sententia, atque idem de eodem dicatis omnes. ut subiecti Episcopo et presbyterio per omnia sanctificati sitis... Unanimes sitis in sententia Dei. Etenim Iesus Christus, inseparabilis vita nostra, Patris sententia (Verbum) est, ut et Episcopi per fines terrae constituti in sententia Iesu Christi sunt; unde decet vos uniri Episcopi sententiae, quod et facitis. Nam memorabile *cestrum presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum est Episcopo, ut chordae citharae... Quemcumque enim paterfamilias mittit ad regendam domum suam (προ ιδίαν οικονομίαν), hunc ita suscipere debemus ut ipsum, qui mittit. Manifestum est igitur, quod Episcopum respicere oportet ut ipsum Dominum. Et ipse quidem Onesimus (Episcopus) supra modum laudat vestrum ordinem in Deo. quod omnes secundum veritatem vivitis et quod apud eos nulla haeresis locum habet* » Ephes, n. 2–6. *u Obsecro vos ab aliena herba abstinere, quae est haeresis... Hoc autem fiet, si nec inflati fueritis, et tndiculi a Deo Iesu Christo, et ab Episcopo, et a praeceptis Apostolorum* (1). Qui intra altare est, mundus*

111 >n! r in ep. ad Polycarp. n. 8.: c opto vos bene valere in Deo nostro Iesu Christo, *in quo permanetis in unione cum Deo et Episcopis*. #?

est; qui vero extra eat, non est mundus, *hoc est, qui sine Episcopo et presbyterio et diacono* (pro διακόνου probabiliter legendum διακόνων, ut habet interpolator) *aliquid agit*, is non est mundus in conscientia » Trail, n. 7; Philadelph. n. 2. 3. 7.

c) Aequae necessaria commendatur unitas per subordinationem sub Episcopo *in functionibus sacerdotii et liturgiae*. « Illa rata (βέβαια) habeatur Eucharistia, *quae sub Episcopo peragitur, vel cui Episcopus commiserit*. Ubi compa-ruerit Episcopus, ibi et multitudo sit; sicut ubi fuerit Christus Iesus, ibi est catholica Ecclesia (η καθολική εκκλησία). *Non fas est sine Episcopo baptizare, neque agapen facere*; sed quod ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut securum ac ratum (ασφαλές και βέβαιον) sit omne, quod peragitur... Qui clam Episcopo aliquid facit, diabolo servit » Smyrn. n. 8. 9; Ephes, n. 20; Philadelph. n. 4. (1).

(1) Angustus Neander a historiam religionis et Ecclesiae Christianae \* non ex monumentis descripsit sed magnam partem ex praeconceptis opinionibus ipse confinxit eo fine, ut monstrum illud quod Ecclesiam Protestantiam appellant, sine sacerdotio, sine magisterio, sine regimine persuaderet a Christo esse institutum. Cum autem in epistolis Ignatii paulo post Ioannis Apostoli obitum scriptis nimis evidenter formam Ecclesiae catholicae exhibitam conspiceret, eamque ubique constitutam et divinitus institutam; homo iste post alios nonnullos sectarios (vide Hefele Prolegom. in epp. Ignatii η. IV.) negare ausus est, Ignatium Romam perductum esse et martyrium fecisse, atque inde porro negavit epistolas esse genuinas. Qua vero ratione? Rationes sunt duae validissimae scilicet. In primis indoli Traiani non congruit, Ignatium religionis Christianae causa fuisse ad bestias damnatum; tum vero, « ego (inquit) concipere non possum, quempiam in conspectu mortis nihil habere gravius commendandum quam obedientiam erga Episcopos, saltem ea aetate qua epistolae scriptae esse dicuntur. » Nimirum concipere non potest, s. Ignatium non fuisse ministrum Protestantem, qui certe longe alia quam obedientiam erga Ecclesiam docentem commendaret, cum in hoc compendio commendatio contineatur totius doctrinae et vitae catholicae. Quoad Traiani vero indolem sufficit etiam solam eius epistolam ad Plinium de punienda pervivacia Christianorum legisse, quamvis illa scripta sit tempore (post annum 110.), quo furor persecutionis, in qua Ignatius martyrium fecit, iam deferbuerat. Sentiens tamen Neander ne apud suos quidem has rationes fidem esse reperturas, alio commento haeresim fulcire conatur. « Etiam si supponeretur, inquit, ab ipso Apostolo Ioanne episcopatum fuisse institutum, ut necessitati temporis serviret, inde nullatenus adhuc sequeretur,



Eadem hierarchia comparet in epistola Polycarpi. Nam in ipsa inscriptione nominantur Polycarpus Episcopus « et presbyteri qui cum ipso sunt, » sicut in textu epistolae commendantur diaconi et presbyteri; et fideles iubentur « subiici presbyteris et diaconis » n. 5. 6.

In' Pastore Hermae Ecclesia sub symbolo matronae spectabilem sese sistens commonstrat una cum Apostolis « Episcopos et doctores et ministros, qui et episcopatum gesserunt et docuerunt et ministraverunt, qui dormierunt quique adhuc sunt » 1. I. vis. 3. n. 5..cf. vis. 2. n. 4; 1. III. similit. 9. n. 27. (1).

3°. Post Patres Apostolicos eorum discipuli secundae et tertiae successionis hanc formam Ecclesiae non solum describunt in universo orbe constitutam; sed etiam ut per se manifestum ubique supponunt ac diserte declarant, hanc secundo et tertio saeculo per fines terrae ita constitutam Ecclesiam esse eam ipsam, quam hac forma Christus fundavit et quae continuo velut flumine per successionum seriem ab Apostolis descendit. Unde singulas Ecclesias ab Apostolis fundatas non alio argumento demonstrant quam exhibendo singularium Episcoporum sibi continuo succedentium seriem usque ad primum ab ipsis Apostolis institutum; posterius autem conditas Ecclesias ostendunt membra esse eiusdem unius Ecclesiae eo, quod in his quoque singularium Episcoporum successio derivata est ex illo ipso Episcopatu constituto ab Apostolis secundum hierarchiam a Christo praescriptam.

Hegesippus « Romam usque profectus plurimos se adiisse Episcopos » narrat, inter quos praeter Anicetum Romanum

hanc esse pro omnibus temporibus salutarem formam regiminis ecclesiastici - Hist. Eccles, ed. 2. 1863. T. I. p. 127. 243. Verum episcopatus institutus est ab eo, qui instituit Apostolum ipsum Ioannem, et qui dixit: t. sicut misit me Pater, et ego mitto vos. u Et Ignatius hierarchiam ubique exhibet ut - mandatum Dei, s adeo ut sine ea « Ecclesia non nominetur, n h. e. nulla esse possit. !\*>\_

fl) Ipse Hadrianus imperator in epistola ad Consulem Servianum licet solum obiter Christianos commemorans non nominat nihilominus, u qui se Christi *episcopos* dicunt - et a Christianorum *presbyteros* n apud Flavianum Vopiscum, in Saturnino c.

Pontificem eiusque successores Soterem et Eleutherium nominat « Primum Corinthiorum Ecclesiae Episcopum, » atque - *in singulis successionibus* et in singulis civitatibus » unam eandemque doctrinam se reperisse testatur (apud Eu-

Eusebius in sua historia hoc maxime propositum habuit, ut ex vetustis monumentis Ecclesiarum apostolicarum originem demonstraret per successionem Episcoporum ab Apostolis derivatam.

« Romanae Ecclesiae episcopatum post Pauli Petrique martyrium primus sortitur Linus, » Secundo anno Titi « Linus Episcopus Romanae Ecclesiae cum duodecim annis administrationem (την λειτουργίαν) tenuisset, hanc tradit Anencleto. » Hoc modo deinceps secundum annos et imperia numerat singulos Pontifices in perenni successione usque ad

1. 4. ο. 10. 11. 19. 22; V. 22; VI. 21. 23. 29. 39; VII.  
n\ - <sup>TM</sup> —

« Thronus Hierosolymitani episcopatus *ab Apostolis traditus erat Iacobo fratri Domini.* » Post martyrium Iacobi consultatum est, *u* quis indicandus esset dignus eius successione » (την Ιάκωβου διάδοχην ἄξιον), *u* Omnes vero una sententia Symeonem Cleopae patruelem Domini, ut ferunt, cuius etiam Scriptura Evangelica meminit, sede illa episcopali dignum indicarunt. » Euseb. II. 1. 23; III. 11; IV. 22. Numerantur deinde quindecim Episcopi ex circumcissione sibi continua serie succedentes usque ad excidium ab Hadriano imperatore illatum; ac subinde Episcopi ex gentibus, quorum primus Marcus, usque ad tempora Eusebii. Ib. III. 35; IV. 5. 6; V. 12; VI. 10; VII. 5. 14. Aetate adhuc Eusebii episcopalis cathedra Iacobi, *u* qui primus ab ipso Salvatore et ab Apostolis episcopatum acceperat, *n* ex constanti traditione conservabatur Hierosolymis. Ibid. VII. 19.

« In Antiochena successione Petri secundus Ignatius (defuncto Evodio, qui primus fuerat constitutus) episcopatum sortitus est *n* (1) Euseb. III. 22. 36. Porro textitur

(1) Ιγνάτιο τῆ κατ' Ἀντιόχειαν Πέτρον διάδοχον δεύτερο τῆν ἐπισκοπὴν «κλτ,ῖω-Λίνο. Nimirum quamvis successio Petri in primatu totius Ecclesiae sit sola Itomana, e.-t tamea etiam Antiochena Petri successio in



series continua viginti successorum Ignatii usque ad quartum saeculum. Ibid. IV. 20. 24; V. 22; VI. 11. 21. 23. 29. VII. 14. 30. 32.

« Alexandrinae Ecclesiae administrationem, Nerone octavum annum imperii agente, *primus post Marcum Apostolum et Erangclistam suscipit Anianus* » Euseb. II. 24, Successores in episcopatu nominatim recensentur alii quindecim usque ad Petrum, qui ineunte IV. saeculo in persecutione Maximini martyrium fecit. Ibid. III. 14. 21; IV. 1. 4. 5. 10. 19; V. 9. 22. 26. 35; VII. 28. 32; IX. 6.

4°. Multo distinctius hierarchicam Ecclesiae constitutionem huiusque divinam originem per Apostolos declarat Irenaeus Polycarpi auditor, quoniam nimirum non solum obiter commemorare sed iam data opera demonstrare necesse habuit fundamentum ad custodiendam unitatem, integritatem et securitatem Christianae professionis positum in ipsa hac divina constitutione Ecclesiae.

Postquam dixit, ante adventum Christi ac regni eius non potuisse plene intelligi Scripturas porro demonstrat, quomodo in hoc regno Christi tota veritas ex divina institutione per successores Apostolorum conservetur, « Quapropter eis qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his qui *successionem habent ab Apostolis*, sicut ostendimus; qui *cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt*; reliquos vero qui absistunt *a principali successione*, et quocumque loco colligunt, suspectos habere vel quasi haereticos... vel quasi scindentes (schismaticos). .. aut rursus ut hypocritas quaestus gratia et vanae gloriae hoc operantes. Omnes autem hi deciderunt a veritate... Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, *apud quos est ea quae est ab Apostolis Ecclesiae successio*, et id quod est sanum et irreparabile *conversationis* (disciplinae),

simplici episcopatu. Ex ipso modo loquendi apud Eusebium velut de re omnibus obvia ac notissima vides, episcopatum Antiochenum Petri veteribus minime dubium fuisse; qua ex Petri licet temporaria sessione factum est, ut Ecclesiae Antiochenae et Alexandrinae (ex fundatione Petri per Marcum) [ost Romanam divini primatus heredem, secundus ac tertius dignitatis gradus tribueretur.

et inadulteratum et incorruptibile sermonis (doctrinae) constat. Hi enim et eam quae est in unum Deum, qui omnia fecit, *fidem* nostram custodiunt, et eam quae est in Filium Dei, *dilectionem* adaugent, *qui tantas dispositiones propter nos fecit*, et Scripturas sine periculo nobis exponunt. » Iren. l. IV. c. 26. n. 2-5. Cf. l. I. c. 10 2; III. c. 2. n. 2. c. 4; c. 24. n. 1; l.V. praef. et c.

Omnes autem Ecclesiae, ii quibus singulis est ista Apostolica Episcoporum successio unam constituunt in toto mundo Ecclesiam, cuius unitatis principium ac vinculum Irenaeus declarat esse successionem **Petri** Ecclesia Romana Quoniam vero unitas ipsa Ecclesiae intrinsecus constituitur integritate totius fidei et communionem charitatis, idcirco visibile principium unitatis necessario est etiam visibile principium ad conservandam perenniter incorruptibilem doctrinam et conversationem, fidem et dilectionem. « Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus<sup>^</sup> qui vera velint videre: et habemus annumerare eos *qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis et successores eorum usque aci nos... quos et successores relinquebant suum ipsorum locum magisterii tradentes...* Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine *omnium Ecclesiarum enumerare successiones*, maximae et antiquissimae (αρχαιότητα non aetate, quod verum non esset, sed τη ἀρχη hoc est principalitate) et omnibus cognitae a gloriosissimis Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, *per successiones Episcoporum peruenienti usque ad nos* indicantes, confundimus omnes, qui quoquo modo... praeterquam oportet, colligunt. *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiolem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, reserrata est ea, quae est ab Apostolis traditio.* Fundantes igitur et instruente (1) beati Apostoli Ecclesiam, Lino

(1) Instructio nimirum ad ambos Apostolos, minime tamen ipsa prima fundatio et episcopatus Ecclesiae Romanae etiam ad Paulum refertur (Rom. I. 7-15; XV. 20-22. etc.) u Romae iam regnant duo – Apostolo-



episcopatum administrandae Ecclesiae (ισκοπη λειτουργίαν) tradiderunt..... Succedit autem ei Anacletus (Ἀνάκλητος); post eum tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit ipsos Apostolos... Huic autem Clementi succedit Evaristus (Εὐάρεστο)... (1). Nunc duodecimo loco episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius (Ἐλεῦθερο). Hoc ordinatione et successione ea quae est ab Apostolis traditio, pervenit usque ad nos. » Id. 1. III. c.3.

In universis igitur Ecclesiis, quae omnes sunt una Ecclesia per unum perennem in potentiori principalitate successorem Petri, ad conservandam veram agnitionem positam in doctrina Apostolica, ita, quemadmodum in superioribus descriptus est, sese habet *antiquus Ecclesiae status in universo mundo* (3) *et character corporis Christi secundam successionem Episcoporum, quibus illi eam quae in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt*: «quae pervenit usque ad nos custoditione Scripturarum tractatio plenissima neque additamentum neque ablationem recipiens, et lectio sine falsatione, et secundum Scripturas expositio legitima et diligens et sine periculo et sine blasphemia, et praecipuum dilectionis munus.....Quod est omnibus reliquis charismatibus supereminens » Id. 1. IV. c. 33. n. S. Nimirum vera γνῶσις, quae explicatur tractatio plenissima seu integra doctrina, et integra tum littera tum interpretatio Scripturae, et praecipuum munus charitatis, pervenit ad nos, tamquam per organon, per antiquum Ecclesiae statum seu per Ecclesiam a Christo constitutam. Haec Ecclesia per successionem Episcoporum, tamquam unum prae ceteris corporis Christi characteribus maxime conspicuum, perpetuo

principes - *Alter meatur gentium* (Apostolus) - *Alter cathedram possidens* - *Primam*, recludit creditas - Aeternitatis ianuas » (Prudentius hymn, in s. Laurent. **K,B** |

(1) De ordine successionis inter primos Pontifices post Petrum consuli potest praeter multos alios Papcbrochius in Propylaeo ad mensem maium. **A** -1

(2) Parallela Ircnaeo et expressius etiam inculcata lege penes Optatum contr. Parmen. 1. II. n. 2-6.

(3) Γνωσ.·; Αρ/η-.\* η των Ἀποβολουδων διδαχτη **■/./.**  
 ονοστηα ζατα παντο; τον ζοσ-χου.

Τη, εχζηητ.ι

manet Christo coniuncta et agnoscitur corpus Christi. (Cf. Eph. IV. 15. 16, ubi « iuncturae subministrationis in corpore Christi » indicantur).

5°. Non secus ac Clemens, Ignatius, Irenaeus hunc antiquum Ecclesiae statum in universo mundo *per successiones Episcoporum* describit primus inter ecclesiasticos scriptores latinos Tertullianus velut characterem corporis Christi.

In primis hierarchia constat tribus distinctis ordinibus ita, ut presbyteri et diaconi plures ab uno pendeant Episcopo. « Dandi quidem (baptismi) habet ius *summus sacerdos qui est Episcopus*; dehinc *presbyteri et diaconi*, non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiae honorem (1), quo salvo salva pax est» Tertul. de Baptism, c. 17.

Potissimum vero spectanda est perennis *successio* Episcopatus inde ab Apostolis, « Edant ergo (haeretici) origines Ecclesiarum suarum ; *evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt.* Sicut Smyrnaeorum Ecclesia Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert; sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum edit; proinde utique et ceterae exhibent, *quos ab Apostolis in episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant.* Confinquant tale aliquid haeretici... Sed etsi confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diversitate et contrarietate sua pronuntiabit neque Apostoli alicuius auctoris esse neque Apostolici... Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis Ecclesiis, quae licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur; tamen in eadem fide conspirantes non minus Apostolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae. » Tertull. Praescript. c. 32. Conferatur etiam ibidem caput 36,

(1) Propter honorem quo eminet Episcopus in Ecclesia, vel potius propter diversitatem graduum et honorum in Ecclesia.

i'  
F'  
i

Ef  
ijf

1812 /



ubi nominantur Ecclesiae, « apud quas *ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis focis praesident.* »

Quod sibi vult Tertullianus, hoc est. Successio Episcoporum pertingens usque ad Apostolos universim in Ecclesia necessaria est ad conservationem doctrinae Apostolicae, et tamquam character corporis Christi; sed non est necesse nec fieri potest, ut singulae Ecclesiae per se spectatae ac proinde in eis sedes Episcopales pertingant usque ad Apostolos. Attamen in singulis necessarium est, ut traducem seminis Apostolici habeant tum in connexionione Episcoporum suorum cum serie successionis Apostolicae, tum in consanguinitate doctrinae, hoc est, ut habeant successionem Apostolicam saltem mediatam tum personarum tum doctrinae seu (quemadmodum Tertullianus loquitur) sacramenti. Unde haereses quae successione episcopali etiam se inserant aetati Apostolicae, *u* nec recipiuntur in pacem et communicationem ab Ecclesiis quoquomodo Apostolicis, scilicet ob diversitatem sacramenti nullo modo Apostolicae » Tertull. ibi c. 32. Contra vero de singulis Ecclesiis etiam posterius institutis in uno corpore Ecclesiae catholicae verum est, quod idem Tertullianus ait: *u* constat omnem doctrinam quae cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus et originalibus fidei, conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem, quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit..... Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis quod nulli doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis n Ibid. c. 21.

6°. Clemens Alexandrinus obiter quidem sed satis luculenter doctrinam de Ecclesia tradit ad finem libri VII. Stromatum. Sicut unus est Deus et unus Dominus Christus, ita res maxime veneranda in terris, Ecclesia nimirum « participans de natura unius Dei; » una est in primis numerice, quod non est alia Ecclesia vera quam catholica. Hoc probatur, quia vera Ecclesia illa est, quae a Christo in suo adventu mediis Tiberii temporibus est instituta et ab ipso atque ab eius Apostolis doctrinam ac fidem accepit. « Est igitur vera Ecclesia illa, quae est vere antiqua » (1),

(1) M.-av dvs. την αληθην εκκλησιαν -

hoc est a Christo et Apostolis derivata in omne tempus futuram. Et deinde una Ecclesia etiam intrinsecus unitate fidei et institutorum Christi (1). Haereses omnes « circa Adriani tempora n̄ primum exortae, defecerunt ab Ecclesia una. antiqua, vera, quae sola est catholica, et ipsi defectioni originem debent; non sunt ergo in Ecclesia, nec ipsae sunt vera Ecclesia, quia non sunt a Christo et ab Apostolis derivatae, sed contra Christi et Apostolorum Ecclesiam rebelles per defectionem ab intestina unitate fidei. Stromatum VII. ed. Sylb. p. 325.

In hac Ecclesia visibili in terris regimen exstat secundum gradus diversos. Quemadmodum gradus sunt diversi in sanctitate et in vera γνώσει, atque iterum gradus diversi in hierarchia angelorum, ita a hic quoque in Ecclesia gradus sunt Episcoporum, presbyterorum, diaconorum; imitationes arbitror gloriae angelicae » (2) Ib. 1. VI. p. 283. In sacris libris Clemens reperit diversa iisdem tribus ordinibus attributa officia a alia presbyteris, alia Episcopis, alia diaconis » Paedag. 1. III. p. 114.

Origenes discipulus Clementis hanc in Ecclesia hierarchiam praedicat ut « ecclesiasticum ordinem qui in episcopatus vel presbyteratus sedibus habetur, diaconorum ordinem adstantium divino ministerio » Orig. in. Cantic. 1. II. T. III. p. 48. (ed. De la Rue), « Episcopus et presbyter et diaconus rerum his nominibus significatarum symbola » (3) in Matth. torn. 14. n. 22. ib. p. 646; torn. 11. n. Io. p. 501; torn. 16. n. 22. p. 753.

(1) Μονήν εἶναι φάμεν τὴν ἀρχαίαν καὶ καθολικὴν ἐκκλησίαν, εἰ ἐνότητά πιστεῶ μιὰ τῆ ζατὰ τὰ οἰκεία διαθῆζα μάλλον δε κατὰ τὴν διαθήκην τὴν αἰαν διάφοροι; τοἱ χρονοὶ, ἐνο τοῦ Θεοῦ τῶ βουληματι, ἂ." \*vθ του κυρίου συναγουσαν του ἡδη κατατεταγμενου κ. λ.

(2) Ἐπει καὶ αἱ ἐνταῦθα ζατὰ τὴν ἐκκλησίαν ροζοπαὶ ἐπισκοπῶν, πρεσῦ- τ-αυν, διακόνων, μιμηματα οἶμαι ἀγγελικὴ δοξὴ καζεῖνῆ τῆ οἰκονομία τυγ/α- νουτιν, ἡν ἀναμενεῖν φασιν αἱ γραφαὶ του ..... ζατὰ τὸ εὐαγγελιον βεβιωζοτα. Cf. Dionys. Eccl. Hierarch, c. 5.

(3) Quando Origenes alibi (in Cantic. 1. III. p. 69.) Episcopus et presbyteros dumtaxat, Clemens vero (Strom. VU. p. 297.) presbyteros et diaconos memorant, patet in huinsmodi numerationibus gradum tertium non excludi sed supponi.



. Descriptionem constitutionis tam luculenter expressam porro reperimus eandem apud s. Cyprianum; non pro Africa solum aut quibusdam tantum partibus Ecclesiae, sed sicut apud Patres antecedentes pro tota Ecclesia in orbe terrarum; non humano dumtaxat iure, sed lege et institutione omnino divina.

Ecclesia per orbem terrarum ex divina institutione est *unum corpus*; haecque unitas corporis constituitur *unitate episcopatus*, quem participant (quatenus consideratur ut munus ac potestas) et componunt (quatenus consideratur ut unum corpus) singuli legitimi Episcopi in singulis Ecclesiis. Qui ab hac unitate scinditur, ille foris cum sit extra Ecclesiam Christi, nec christianus est nec salutem potest adipisci.

- Quod vero ad Xovatiani personam pertinet... scias nos primo in loco nec curiosos esse debere, quid ille doceat, cum foris doceat. Quisquis ille est et qualiscumque est, christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est... *Cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item episcopatus unus episcoporum multorum concordia numerositate diffusus*, ille post Dei traditionem, post connexam et ubique coniunctam catholicae Ecclesiae unitatem humanam conatur Ecclesiam facere... Qui ergo se ab Ecclesiae vinculo atque a sacerdotum collegio separat. Episcopi nec potestatem potest habere nec honorem, qui episcopatus nec unitatem voluit tenere nec pacem » Cyprian, ep. 52. p. 73. ed. Paris. 1726. u Unum corpus et unus spiritus (Eph. IV. 4. 5.)... Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus maxime Episcopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus... Quisquis ab Ecclesia segregatus adulterae iungitur, a promissis Ecclesiae separatur. Nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est. profanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.... Quis ergo sic est sceleratus et perfidus, quis sic discordiae furore vesanus, ut aut credat scindi posse aut audeat scindere unitatem Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi? Monet ipse in Evangelio suo et docet dicens: et erit unus

grex et unus pastor. Et esse posse uno in loco aliquis existimat aut multos pastores aut plures greges? n Id. De unit. Eccl. p. 195. 196.

« Etsi contumax et superba obaudire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen a Christo non recedit, *et illi sunt Ecclesia plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens*. Unde scire debes, *Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo*, et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse (1), et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia quae catholica et una est, scissa non sit neque divisa, *sed sit utique connexa et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata* » Id. ep. 69. p. 123. u *Copiosum corpus est sacerdotum concordiae mutuae glutino atque undatis vinculo copulatuni*, ut si quis ex collegio nostro haeresim facere et gregem Christi lacerare et vastare tentaverit, subveniant ceteri, et quasi pastores utiles et misericordes oves dominicas in gregem colligant (2).... Nam

(1) Confer doctrinam superius descriptam Ignatii et Irenaei. Per se patet et ex tota doctrina etiam Cypriani manifestum est, haec de singulis Episcopis valere tantummodo, quatenus manent in « uno episcopatu » et in « glutino unitatis. » Hanc - unitatem cathedrae » Augustinus docet solam sufficere, ut schisma facere numquam liceat. - Quod usque adeo coelestis magister cavendum praemonuit, ut etiam de praepositis malis plebem securam faceret, ne propter illos doctrinae salutaris cathedra desereretur, in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim sua sunt, quae dicunt, sed Dei, *qui in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis* » Aug. ep. 105. n. 16.

(2) Singuli nempe pro gradu suo; omnes quidem charitate, consilio recursum ad supremum pastorem subveniant, sicut hac epistola Cyprianus ipse pro componendis rebus Arelatensibus appellat ad Pontificem Stephanum: supremus vero pastor provideat etiam *potestate* vel simul cum toto corpore Episcoporum, si res ferat; vel ipse per se Pontifex, quemadmodum hic postulat Cyprianus: « dirigantur in provinciam ad plebem Arelate consistentem *a te litterae, quibus abstento Marciano alius in locum eius substituatur (Episcopus)*, et grex Christi qui in hodiernum ab illo dissipatur et contemnitur, colligatur. » Non ergo de Itomano Episcopo deque relationibus aliorum Episcoporum ad eundem vera sunt aut quae Cypriano putari poterant, quae commotior in causa non bona praefando ad Concilium Cartilagineuse, *et pro Episcopis in Concilio constitutis* dixit.



etsi pastores inulti sumus, unum tamen gregem pascimus (1), et oves universas quas Christus sanguine suo et passione quaesivit, colligere et fovere debemus. » Id. ep. 67. p. 116. Confer ep. 40. p. 53; ep. 2. p. 56; ep. 44. p. 58; ep. 46. p. 61. 62.

Haec unitas et episcopatus et totius Ecclesiae, quatenus est visibilis unitas corporis, habeat necesse est glutinum et vinculum visibile, quod quidem Cyprianus sicut Patres ceteri in sede Apostolica hoc est in Petro et in singulis pro tempore successoribus eius ex divina institutione positum esse agnovit ac professus est. Sicut enim de Ecclesia quavis particulari dicit, Ecclesiam esse plebem sacerdoti adunatam et Ecclesiam esse in Episcopo tamquam in causa tum *efficiente* tum quodammodo *formali* unitatis; ita tota Ecclesia catholica una est glutino sibi invicem cohaerentium sacerdotum. Et hoc glutinum unde unitas et sacerdotum et Ecclesiae exorta est ac perpetuo continetur, ex Christi institutione Petrus est. ipse per se in exordio, ipse in suo successore perenniter, una persistit Christi Ecclesia. Quae de re diximus, quantum satis est, in thesi XIV.

I

Nunc quaeso paulisper mentem convertamus ad praesentem statum Ecclesiae catholicae. In toto terrarum orbe singulis Ecclesiis praesunt cum vera ordinis ac iurisdictionis potestate singuli Episcopi; sub his pastoribus ordines sunt distincti presbyterorum et ministrorum; tum laici fideles

- Neque enim *quisquam nostrum* Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit. quando habeat omni Episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium (dum indicans in re hactenus minime definita sententiam dicit in Concilio), tamque indicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum indicare: sed expectemus universi indicium Domini nostri Iesu Christi, qui unus et solus habet potestatem (divinam ac originalem) et praeponendi nos in Ecclesiae suae gubernatione et de actu nostro indicandi. - Id. p. 329. 330. Cf. Bollandianos T. IV. Septemb. ad diem XIV. **HH**

(1) Episcopatus nimirum in unitate consideratus unum gregem pascit; sicut enim multi greges seu Ecclesiae particulares sunt unus grex seu Ecclesia universalis; ita multi pastores seu Episcopi sunt unus Episcopatus - positus a spiritu sancto regere Ecclesiam Ihesu, quam acquisivit sanguine suo.-

qui non pertinent ad ordinem sacri ministerii sed eius recipiunt actionem ad salutarem doctrinam, directionem, sanctificationem. Omnes Episcopi cum suo Clero et cum suis fidelibus in toto orbe unitatem visibilem atque unam Ecclesiam catholicam constituunt per subordinationem sub potestate iurisdictionis universali unius visibilis capitis totius Ecclesiae, quod est successor Petri Romanus Pontifex. Hanc Ecclesiae constitutionem credimus ab ipso Christo Verbo incarnato per suos Apostolos revelatam esse et ordinatam, proindeque eius existentiam esse iuris divini incommutabilis, eius veritatem esse articulum fidei revelatae, cui ceterarum veritatum fidei conservatio integra et explicatio sincera innititur. Atqui hanc ipsam doctrinam et Ecclesiae constitutionem reperimus tum verbis Christi Domini et Apostolorum expressam ; tum (ut hac thesi demonstratum est) hac constitutione videmus Ecclesiam facto ipso ab Apostolis fundatam et ordinatam. Ergo Ecclesiae interna constitutio totaque forma regiminis, prouti ea nemine sani capitis diffitente saltem iam inde a multis saeculis se habet, non solum argumento praescriptionis sed demonstratione directa convincitur eadem esse, quae primitus a Christo ordinata et inchoata atque ab Apostolis propagata est. Catholica itaque Ecclesia in hac constitutione, qua viget et vivit, ipsa est et ipsa sola quam Christus Dominus divino et incommutabili iure instituit et secundum suas infallibiles promissiones usque ad consummationem saeculi conservat.

1

A-t

i?.



## THESIS XVI.

### Z)j *nomine Episcopi et Presbyteri in scriptis Apostolicis.*

Quamvis certum sit, tres gradus Episcoporum, presbyterorum, ministrorum divina ordinatione ac proinde etiam tempore iam Apostolice fuisse distinctos, concedendum est tamen sine dubio, antiquissima illa aetate etiam Episcopis quandoque factum fuisse nomen *presbyterorum*: verumtamen probabilius esse putamus, nomen *Episcopi* semper sacerdotibus dumtaxat primi ordinis, qui singuli ad singulas Ecclesias regendas ordinati erant, fuisse proprium, nunquam commune sacerdotibus secundi ordinis seu presbyteris.

I. Constat ex demonstratis, praeter diaconos esse duos gradus hierarchiae omnino distinctos, superiorem Episcoporum qui singuli singulis praepositi sunt Ecclesiis, et inferiorem presbyterorum qui in una Ecclesia plures esse possunt ipsisque subsunt Episcopis, atque hanc hierarchiam (ut Concilium Tridentinum loquitur sess. 23. can. 6.) esse divina ordinatione institutam. » Eam enim inde ab Apostolicis temporibus videmus in omnibus quantumvis inter se dissitis Ecclesiis pleno in vigore; Episcopi spectati in suo ordine quatenus Episcopatum Ecclesiae constituunt, semper et ubique creduntur instituti a Christo in ipsis Apostolis ut successores in suis antecessoribus; semper et ubique presbyteri sub eorum potestate sacerdotio funguntur; et tertio denique gradu ab utrisque distincti comparent diaconi. Praeter alias functiones proprias ordinis episcopalis, solis Episcopis nulla vero presbyteris potestas est per impositionem manuum propagandi sacerdotium, quae quidem proprietas potestatis esse nequit nisi ex institutione divina, qua Episcopi in plenitudine sacerdotii a sacerdotibus inferioribus h. e. a presbyteris sint discreti. Contra hanc divinitus constitutam utriusque ordinis distinctionem cum primum Aelius saeculo quarto excogitasset dogma (ut Epiphanius loquitur) supra humanum captum furiosum, » haereseos ab omnibus est damnatus, » Omnibus ratione uten-

tibiis est manifestum. (Epiphanius ibi subdit), omnino insan-  
niae plenum esse, quod dicit Episcopum et presbyterum  
esse aequales. Unus quippe ordo (Episcoporum) ad patres  
gignendos pertinet, patres enim generat Ecclesiae. Ordo  
alter (presbyterorum) cum patres non possit, filios per la-  
vacrum regenerationis gignit Ecclesiae, non vero patres  
aut magistros. Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum  
constituat, qui ius nullum habet manus imponendi ad or-  
dinationem? aut quomodo dici potest aequalis Episcopo? »  
(Epiphan. haeres. 75. n. 3. 4.). Idem discrimen praeter alios  
Patres (cf. Petavium Hierarch. Eccles. 1. IV. c» 2.) tradit  
s. Hieronymus iis ipsis in locis, quibus comparans presby-  
terorum ordinem hinc cum altiori Episcoporum inde cum  
interiori diaconorum, eos Episcopis, utpote sacerdotes sa-  
cerdotibus, propiores esse ostendit, quam ipsis presbyteris  
diaconos, qui sacerdotio carent. Attamen discrimen inter  
sacerdotes primi et secundi ordinis integrum servari profi-  
tetur ex divinitus collata potestate ordinationis, a Quid  
enim facit (ait ille) *excepta ordinatione* Episcopus, quod  
presbyter non faciat? » Hieronym. ep. ad Evang. (cf. Petav.  
Dissert. Eccles. 1.1, c. 3.).

Ex universali traditione, fide et praxi Ecclesiae igitur  
certum est, a Christo summo sacerdote secundum ordinem  
Melchisedech sacerdotium participatum novi Testamenti ita  
esse dispositum, ut eius plenitudo quae instituta est in  
Apostolis eorumque successoribus Episcopis, non sit indivi-  
sibilis, sed seorsum a plenitudine conferri queat pars po-  
testatis (consecrandi nempe corpus Christi reale, remittendi  
peccata et pleraque sacramenta alia conferendi in corpore  
Christi mystico), quae proinde ordinem inferiorem et di-  
stinctum presbyteratus constituat. Quamvis itaque (ut  
Cone. Tridentinum sess. 23. can. 6. definivit) *u* in Ecclesia  
catholica sit hierarchia divina ordinatione instituta, quae  
constat ex Episcopis, presbyteris, et ministris, » et sine  
liis (Episcopis, presbyteris, diaconis) *u* Ecclesia non nomi-  
netur: » ut iam ineunte saeculo II. Ignatium scripsisse vi-  
dimus (ep. ad Trallian. n. 3.); nihilominus prudenter ani-  
madverti debet, quod monuit s. Epiphanius: primis nimirum  
temporibus (νέου ὄντο του κηρύγματο ) ab Apostolis non

It



potuisse statim omnia perfecte disponi, aut plenam ubique constitui hierarchiam sed alicubi presbyteros absque Episcopo, alibi contra absque presbyteris Episcopum « qui sine diacono esse non potest, » ordinatos fuisse (Epiphan. l. c. n. 5.). Si quae ergo in scriptis Apostolicis loca reperiantur, in quibus distinctio inter Episcopos et presbyteros non satis appareat, indubitatum manere debet, hanc obscuritatem non ex defectu *uris*, quasi Apostoli distinctionem non agnovissent, de qua aliunde manifesto constat; sed ex imperfectione *farti* seu ex hierarchia nondum ubique completa originem habere.

II. Loca huiusmodi obscuriora sunt sequentia, a) lidem qui vocantur Episcopi, dicuntur presbyteri. Paulus a Mileto mittens Ephesum vocavit *presbyteros Ecclesiae* (του πρεσβυτερου τη εκκλησια), quos deinde monet: « attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit *Episcopos regere Ecclesiam Dei*, quam acquisivit sanguine suo » Act. XX. 17. 28. Pariter Tito scribit: « reliqui te Cretae., ut constituas *per deitates presbyteros* [μὴ πολλὴν πρεσβυτερου]; si quis sine crimine est..... Oportet enim *Episcopum* sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.» (ὡς θεοῦ οἰκονομῶν) Tit. I. 5-7. Petrus hortatur *presbyteros* ipse *compresbyter*, quorum munus deinde dicit *episcopale*: a Seniores qui in vobis sunt (πρεσβυτερου του εν υμιν) obsecro consenior (συρ-πρεσβυρο).. . pascite qui in vobis est gregem Dei, *proidentes* (ἐπισκοποουντε) non coacte η 1. Pet. V. 1. 2. Porro b) ubi gradus hierarchiae enumerare propositum esse videtur, nominantur soli Episcopi et diaconi nulla facta mentione presbyterorum Phil. 1.1; 1. Tim. III. 1-10. c) Difficultatem auget, quod in una eademque urbe et Ecclesia particulari ex locis citatis Act. et Phil, videntur fuisse non unus sed plures huiusmodi *Episcopi*.

In interpretatione horum locorum aliqua apud omnes catholicos certa sunt. 1°. Certum est ex contextibus, in locis citatis Act. XX; 1. Tim. III; Tit. I; 1. Pet. V. intelligendos esse, sin minus unice et exclusis sacerdotibus secundi ordinis, saltem directe et praecipue sacerdotes primi ordinis. lubentur enim attendere *universo gregi* in quo sunt *positi a Spiritu Sancto*, et eorum munus episcopale dicitur

esse regere *Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Ipse Petrus Apostolus et Apostolorum princeps se appellat *compresbyterum* istorum *presbyterorum*, qui pascere unusquisque suum gregem Dei et pro munere Episcopi providere (ἄτατ/Α-ν. 'i') iubentur. Insuper quod controversiam omnem inter catholicos excludit, Tridentina synodus diserte locum Act. XX. de Episcopis in oppositione ad presbyteros interpretatur (sess. 23. cap. 4.). Unde etiam *Episcopi* nominati 1. Tim. III. et Tit. I. eodem modo sunt intelligendi, cum priori loco Episcopus dicitur *Ecclesiae Dei diligentiam habere*, sicut paterfamilias praeest suae domui. Imo ipsis verbis Paulus ibi designat singularitatem *Episcopi*: a oportet *Episcopum* (cum articulo τὸν ἐπίσκοπον) irreprehensibilem esse, n dum contra mox in numero plurali nominat *diaconos* (διακόνου ὡσαύτω σεμνοῦ). In loco altero Titus iubetur presbyteros qui deinde dicuntur Episcopi, constituere ζατ-ζ πολ-ν singulos per singulas civitates (1); ac denique iisdem paene verbis in hac ad Titum epistola sicut in altera ad Timotheum virtutes *Episcopi* describuntur. -. Hinc porro certum est, primi ordinis sacerdotes qui sunt et dicuntur Episcopi, nomen etiam habuisse *presbyterorum*, ita ut hoc nomen *presbyteri* sicut alterum *sacerdotis*, quo apud Patres IV. saeculi et deinceps frequentius Episcopi, alias tamen etiam presbyteri designantur, per se minime sufficiat ad distinguendum primum et secundum ordinem: a presbyter et Episcopus, aliud aetatis, aliud dignitatis est nomen... in Episcopo et presbyter continetur n Hieron. ep. 146. n. 2. ad Evang. Neque in Scripturis dumtaxat, sed post tempora quoque Apostolica apud vetustiores Patres hoc nomine *presbyterorum* quandoque appellantur Episcopi, quod ex multis locis Irenaei manifestum est. « Eis qui in Ecclesia sunt *presbyteris* obaudire oportet, his qui *successionem habent ab Apostolis*; qui *cum episcopatus successione* charisma veritatis certum acceperunt » Iren. l, IV. c. 26. n. 2. cf. n. 4. 5. Ad Victorem Romanum Pon-

(1) - Constituas per civitates presbyteros. Episcopos hic dicit: *per deitates*, inquit; neque eum volebat totam iusulam uni committi, sed *Mumqucunque suam peculiarem curam et sollicitudinem* habere... ut *uni loti Ecclesiae* vacaret et hanc excoleret » Chrysost. ad fit. torn. 2. n. 1,



tificem de diversitate celebrandi paschatis scribens Irenaeus: - sed et *presbyteri* illi, inquit, qui ante Soterem praeerant Ecclesiae, quam nunc tu gubernas, Anicetum dico, et Pium et Hyginum et Telesphorum et Xystum, neque ipsi observabant (Asianorum modum celebrandi paschatis et ieiunii)... Anicetus aiebat, morem *presbyterorum* qui ante se fuerant, sibi retinendum esse » (apud Euseb. H. E. 1. V. c. 24.). Cf. Iren. 1. III. c. 2. n. 2; et ep. ad Florin, (apud

III. Haec quidem extra controversiam sunt; at vero dubium est et tum apud veteres scriptores sanctosque Patres tum apud recentiores interpretes in disceptationem vocatum, utrum in locis citatis novi Testamenti et apud unum alterumque ex vetustissimis Patribus, forte apud Clementem Romanum (ep. I. ad Corint. n. 4\*2. coli. 44. 47. 57.) presbyteri sacerdotes nempe secundi ordinis habeant etiam ipsi appellationem *Episcopi*. Hoc si esset ipsum nomen *Episcopus* non sufficeret ad demonstrandam adversus haereticos Presbyterianos ceterosque Protestantes distinctionem primi et secundi gradus hierarchiae sacerdotalis; sed ex contextibus dumtaxat res conficienda foret, in quibus illi per tortuosos cuniculos effugium quaerere solent. Si contra demonstrari queat, solos praepositos (προεστωτα) qui singuli singulas Ecclesias gubernabant et presbyteros quoque sibi subiectos habebant, ut hierarchia iam in epistolis s. Ignatii describitur, numquam vero hos inferiores vocatos fuisse *Episcopos*; viae omnes effugiorum praecclusae erunt. Non ergo haec disceptatio de solo nomine esse et parum frugis habere putanda est.

Concedi omnino debet, Chrysostomum et qui ab eo pendunt, Theodoretum, Oecumenium, Theophilactum (si hunc Patribus accensere fas esset), nec non Hieronymum et commentatorem, quem Ambrosiastrum appellare consueverunt, censuisse primis temporibus rei Christianae nomen *Episcopi* etiam simplicibus presbyteris commune fuisse. Ratio eis erat, quod merito sane ratum ac fixum tenebant, in singulis Ecclesiis non plures uno umquam fuisse praepositos primi ordinis, quibus solis postea vindicatum est nomen *episcopale*; ex altera vero parte non videbant, quomodo

negari posait in Ecclesia particulari Philippensi (Phil. I. 1.) plures nominari *Episcopos*. Ubi Apostolus scribit omnibus Sanctis qui sunt Philippis, cum Episcopis et diaconis (συν επισκοποι; και διάκονοι;) (1), Chrysostomus ita commentatur: « quid hoc? an unius civitatis multi erant Episcopi? Nequaquam; sed presbyteros ita appellavit. Tunc enim nomina adhuc erant communia... Antiquitus igitur, ut dicebam, ipsi etiam presbyteri vocabantur Episcopi..... Procedente vero tempore proprium cuique distributum est nomen *Episcopi et presbyteri* » In Phil. hom. 1.n. 1. Hieronymus in eadem loquitur sententiam, qui etiam Act. XX. et aliis locis 1. Pet. V. 1. 2. et Heb. XIII. 17. (ubi appellantur *praepositi* ηγούμενοι) putat de presbyteris esse sermonem, e quorum communi consilio Ecclesiae gubernarentur. » Ait nimirum: *u* Philippi una est urbs Macedoniae, et certe in una civitate plures, ut nuncupantur, Episcopi esse non poterant; sed quia eosdem Episcopos illo tempore quos et presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis (Paulus scribens *Episcopis et diaconis'*) quasi de presbyteris est loquutus. *n* Allato deinde loco Act. XX. *u* et hic diligentius observate, inquit, quomodo unius civitatis Ephesi presbyteros vocans, postea eosdem Episcopos dixerit » Hieronym. in Tit. I. o.

Sine dubio isti Patres ordines, primum et secundum distinctos agnoscebant et luculenter demonstrabant; sed Presbyteriani hanc de communitate nominis sententiam arripiunt ad res ipsas confundendas.

Petavius concedendum quidem putavit, plures unius civitatis appellari tum *presbyterorum* tum *Episcoporum* nomine, et nihilominus negari posse ac debere, nomen *Episcopi* unquam fuisse commune simplicibus presbyteris. Ad haec concilianda ipse primus, cui deinde lubenter alii Catholici assenserunt, contendit, et collatis iis quae in libris novi Testamenti dicuntur, satis probasse sibi visus est, Apostolica aetate plures in una civitate caractere episcopali insigniri consuevisse, *u* quod (ut ait) oporteret paratam

(1) Chrysostomus legit; ὁνεπισκοποι ζχ ωαζονοι, *u* coepiscopis et diaconis. %



esse copiam Episcoporum, qui ad urbes et provincias Christiano partas nomini mitterentur; ut ea quae ab solis Episcopis administrabantur, praestare possent » (Dissert. Eccles. 1. I. c. 2.); bosque veros Episcopos licet plures simul putat singulas Ecclesias gubernasse, atque hac admissa sententia omnia, quae de presbyteris iisdemque Episcopis in novo Testamento leguntur, plana fore ac pellucida.

Fateor banc bypotbesim milii semper visam esse et adhuc videri minus probabilem. Xequ enim facile concedi potest, tempore primitivo Ecclesias gubernatas fuisse modo alio quam quo septem Ecclesiae Asiae sub Ioanne Apostolo describuntur. Eo minus id concedi potest, quod ineunte iam saeculo secundo tempore Polycarpi et Ignatii et Hegesippi non modo apparet, singulis Ecclesiis ubique singulos Episcopos praepositos fuisse, sed banc institutionem videmus exhiberi ut antiquiorem et ab Apostolis profectam. Nec iu hypothesi Petaviana veterum appellatio ad continuam successionem in cathedra Episcopali singularum Ecclesiarum inde ab institutoribus Apostolis satis intelligi potest. Tum vero haec difficultas augetur, quod apud antiquos Patres et scriptores ecclesiasticos istius interpretationis nullum vestigium reperire est; sed veteres omnes ratum habent ac fixum, plures veri nominis Episcopos (h. e. sacerdotes primi ordinis) in una civitate nec fuisse nec esse potuisse (1). Unde ii inter veteres, qui censuerunt in libris novi Testamenti plures unius verbis nominari Episcopos, hoc ipso concedendum esse putabant, appellationem *Episcopi* fuisse commu-

(1) Una est caro D. N. Iesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, *sicut unus Episcopus* cum presbyteris et diaconis » Ign. cp. ad Philadelp. n. 4. c Monet ipse in Evangelio sco et docet dicens: et erit unus grex et unus pastor. *Et esse posse uno in loco aliquis existimat aut nullos Pastores aut plures greges?* n Cyprian, de unit. Eccl. p. 196. Scilicet directe loquitur Dominus de uno Pastore universalis Ecclesiae; sed ad eius formam etiam unus est pastor singularum particularium Ecclesiarum: *uno in loco* non multi Pastores. In Concilio Nicaeno can. 8. velut per se manifestum principium enuntiatur: - ut ne sint duo in una civitate Episcopi, n Valet ubique: « *unus Deus, unus Christus, unus Episcopus i* (apud Theolorct. H. E. 1. II. c. 14.). λ ide Hieronymum et Chrysostomum locis paulo ante citatis, cf. Augustin, ep. 213. n. 4.

nem etiam presbyteris, ut apud Chrysostomum et Hieronymum aliosque paulo ante vidimus. Qui vero assumunt, nomen *Episcopi* sicut certissime apud viros Apostolicos Clementem, Polycarpum, Ignatium ita etiam penes ipsos Apostolos proprium fuisse solis primi ordinis sacerdotibus singularum Ecclesiarum propositis, ii hoc ipso negant in novo Testamento umquam plures unius urbis *Episcopos* commemorari (1).

Haec postrema sententia gravissimis argumentis communitur ex ipsa natura et ex fine muneris episcopalis, ex apostolicarum Ecclesiarum catalogis, ex tota historia episcopatus inde saltem ab exeunte primo saeculo atque adeo ab Aevo apostolico, ex analogia cum unitate Ecclesiae universalis per *unum Episcopum universalem.*, quae quidem monarchia sicut in universali Ecclesia ita etiam in Ecclesiis particularibus a vetustis Patribus diserte vindicatur, cum non modo *factum* sed ipsum *ius* declarant, « non posse esse plures unius Ecclesiae particularis Episcopos, » sicut ex Christi institutione unus est Episcopus Ecclesiae universalis; *a* unitatem oportere esse Episcopi *n* sicut unum est sacrificium, una Eucharistia.

Difficultas contra hanc sententiam nulla alia proferri potest praeter duplicem locum Act. XX. et Phil. I. ubi unius civitatis plures Episcopi videntur commemorari; in reliquis enim textibus clarum est, nomen quidem *presbyterorum* commune esse etiam primi ordinis sacerdotibus, nullatenus vero nomen *Episcopi* sacerdotibus secundi etiam ordinis tribui. Si duo illa loca ita habent, ut commodam conciliationem non admittant, eundem est in sententiam Petavii; nam alteram primo loco ex Hieronymo et Chrysostomo commemoratam saltem Act. XX. maxime post Concilium

t:

E i

(1) Nemini in mentem venire potest, in libris novi Testamenti commemorari *Episcopos*, qui ordine quidem episcopali insigniti plures in una Ecclesia subessent sicut presbyteri iurisdictioni unius Episcopi eiusdem Ecclesiae; neque enim in libris Apostolicis nunquam de aliis *Episcopis* sermo est, quam qui *pascent gregem et regant Ecclesiam*, in qua sunt positi a Spiritu Sancto. » Unde et ipse Petavius illis suis pluribus in una Ecclesia Episcopis munus gubernandi omnibus commune assignare coactus est, contra unanimum veterum sententiam.



Tridentinum defendere nemo catholicus facile in animum inducet. Teste etiam Coelestino I. (ep. 18. n. 4. ad Patres Concilii Ephesini) Paullus illis verbis *u proprie* (ιδίω) *apud Episcopos* utitur. s Verum non modo prior illa sed etiam Petaviana sententia omnino excludi videtur ipso sacro textu Apoc. II. III. ubi Ioannes scribit de singularum civitatum Asiae singulis Angelis, inter quos primo loco nominat *u Angelum Ephesi Ecclesiae.* » Neque enim tantam mutationem a tempore Pauli usque ad scriptam Apocalypsin inductam fuisse sine fundamento fingere fas est. Si igitur prudens conciliatio fieri possit, eoque magis si conciliatio a veteribus nonnullis Patribus iam fuerit proposita; tertiam sententiam amplectendam esse persuadent ipsa argumenta, quibus eam munitam esse vidimus. Iam vero conciliatio obvia est, si prae oculis habeatur, Ephesum et Philippos fuisse urbes, in quibus primis pro Asia et Macedonia fundatae sunt Ecclesiae, atque inde evangelium propagatum fuisse in alias civitates et regiones, quibus singulis singuli Episcopi praeponerentur.

Quod orationem Act. XX. spectat, iam s. Irenaeus ex Asia oriundus, Polycarpi Apostolorum discipuli auditor testatur, non ab Epheso solum sed etiam ex proximis civitatibus Episcopos convenisse: *u in Mileto convocatis Episcopis et presbyteris qui erant, ab Epheso et a reliquis proximis deitatibus v* (1) Iren. 1. III. c. 14. n. 2. Huius explicationis fundamentum exstat in ipsa oratione ab Apostolo habita ad congregatos Episcopos; ait enim eos ipsos esse, *per quos transivit* praedicans, et *per triennium* morans unumquemque ipsorum. Quae sane quoad *triennium* vix, et quoad *transitum* adhuc difficilius de presbyteris

(1) Quod Paulus non potuerit ultra unum diem Mileti substitisse (of. cl. P. Patritii Commentarium in h. 1.), id Irenaei testimonio non officit. Poterant enim Episcopi Epheso viciniore rescivisse, Apostolum illae transiturum atque ita eius visendi causa in metropolim plures paucioresve concurrere, eo modo quo, cum s. Ignatius in vinculis Romam duceretur, Smyrnae transeuntem *u exceperunt sanctum virum civitates et J. ••icslae .1-u'ie* per Episcopos et presbyteros et diaconos, cum omnes festinarent ad eum, si forte partem charismatis spiritualis ab ipso acciperent » Martyr. Ignatii n. 4. Oj

unius solius urbis intelligi possunt: *a* vos omnes per quos transivi (έν οι δηλθον) praedicans regnum Dei quoniam per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum *n* Act. XX. 25. 31.

Conciliationem omnino geminam etiam in loco altero Phil. I. 1. sin minus certam, saltem probabilem esse nemo negaverit. Paulus epistolam Colossensibus scriptam non huic soli sed alteri quoque Ecclesiae Laodicensium, et eam Laodicensium seu (ut graece est) *u* ex Laodicia *n* mittendam vicissim Colossensibus destinavit (1); unde porro probabile fit, etiam epistolam ad Epriios encyclicam fuisse non ad Epliesinam dumtaxat sed ad Laodicensem quoque et alias Ecclesias Asiae; secunda deinde ad Corinthios expressis verbis, et ideo probabiliter etiam prima, licet in inscriptione id non dicatur, missa est *u* Ecclesiae Dei quae est Corinthi, cum omnibus sanctis *qui sunt in universa Achaia*» (τοι 00GCV έν όλη τη Άχαιά 2. Cor. I. 1.). Ex hac analogia sane probabile redditur, epistolam de qua agimus, ad Philipenses fuisse encyclicam ad Ecclesias Macedoniae, seu (si nominibus serius inductis uti liceret) ad παροικίαν sive provinciam ecclesiasticam Philippensem (τοι ούσιν έν Φιλί οι;) (2).

(1) « Cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite ut et in Laodicensium Ecclesia legatur, et eam quae Laodicensium est, vos legatis » ζα. την εκ Λαοοιζεια ίνα και ύρ,ει άναγνωτε) Coloss. IV. 16.

(2) Minime contendimus cum codice Cantabrigensi et plerisque interpretibus, secundum politicam provinciarum divisionem Philippos fuisse metropolim «Macedoniae primae; » huius enim metropolim constat fuisse Amphipolim. Quod ergo Act. XVI. 12. de primo Pauli ingressu in Europam dicitur: «venimus... Philippos quae est *prima* partis Macedoniae civitas colonia - (Italica) ήτι εστι πρώτη τη μεριδα Μακεδονία πόλι , •/Αλων.α, intelligi debet civitas, quae *prima. erat adveniēti in Macedonia Apostolo*, vel supponendum est antiquum σφαλαα, et legendum πρώτη τη ιχειδο , i. e. civitas *primae partis* ex quatuor, in quas Macedonia erat divisa (vid. cl. Patritium Comment, in h. 1.) Nihilominus cum primam in Macedonia Ecclesiam Paulus constituerit Philippis (Act. 1. c.), non est mirandum, quod nomine Philipporum alias quoque Ecclesias inde derivatas comprehenderit. Haberemus ergo hic exemplum illustre, quo demonstraretur ipsos iam Apostolos etiam extra Palaestinam status tantummodo et conditionis Ecclesiarum in earum partitione rationem habuisse, non autem divisionis politicae, nisi quatenus haec, ut frequenter accidit, commolis Ecclesiarnm et propagationi evangelii inserviret,



Hanc istius loci explicationem necesse est dicere placuisse s. Epiphanio. Cum enim Aôrius haeresim suam de aequalitate Episcoporum, et presbyterorum adstrueret etiam ex hac epistola inscripta « *Episcopis et diaconis;* » Epiphanius responsionem repetit ex statu adhuc imperfecto hierarchiae illis primis temporibus, « Ubi necessitas postulabat, et episcopatu digni inveniebantur, constituebantur Episcopi; cum vero copia non suppeteret, non reperiebantur qui crearentur presbyteri, unde *solo Episcopo per Icca singula* (ἐπὶ τῷ καθ' ἑκάστην τοπὸν ῥονῶ ἐπισκοπῶ) contenti erant; sine diacono autem Episcopum esse non decet » Epiph. Haer. 75. n. 5. Duo igitur explicite asserit Epiphanius, in quibus tertium evidenter continetur implicitum, a) In singulis Ecclesiis (καθ' ἑκάστην τοπὸν) non nisi singuli umquam erant Episcopi. b) Primis temporibus quandoque Episcopi dumtaxat cum diaconis constituebantur, nulli vero presbyteri, atque haec minus completa Ecclesiarum constitutio penes Paulum intelligenda est, quando (Phil. I. 1.) silens de presbyteris scribit « *Episcopis et diaconis.* » c) Ergo ea epistola inscripta numero plurali « *Episcopis* » non ad unam tantummodo, sed ad plures Ecclesias particulares destinata erat.

In hac verborum Apostoli (Act. XX; Phil. I.) explicatione consentientes habemus inter theologos catholicos Vasmachium (Origin, et Antiquit. Christian. T. IV. c. 4. §. 2. p. 334. sqq. 345. sqq.); Bolgenium (L' Episcopate c. 6. act. 2. n. 223. cf. Zallinger Ius Eccles. publicum §. 350. notai.); Franc. Ant. Zaccaria (Dottrine del secolo illuminato XVIII. paragonate etc. Append. I. art. 1.).

Ex hactenus dictis iam etiam soluta est difficultas, quae a Presbyterianis ex s. Clementis epistola I. ad Corinthios n. 42. et 44. repeti solet. Aiunt quippe, a Clemente ibi nominari solos Episcopos et diaconos ab Apostolis constitutos; nullos ergo ex institutione Apostolica esse presbyteros distinctos ab Episcopis, adeoque unum dumtaxat esse gradum eorum, qui Episcopi et alio nomine presbyteri appellantur. Catholici quoque complures cum Cotelerio (in notis ad h. 1. Clementis) non utique hanc haeresim Aërianam, sed tamen illud concedendum esse putant, presbyteros nempe seundi ordinis sacerdotes illis primis temporibus ac nomi-

natim apud Clementem etiam appellationem habuisse *Episcoporum*.

Verum quod ad rem ipsam spectat, iam in superiori thesi vidimus, a Clemente n. 40. discerni tres ordines, « summum sacerdotem, sacerdotes, et Levitas. » Neque apud ipsum ea est difficultas, quae apud Paulum Phil. I. 1 ; Act. XX. 28. occurrit, quod videatur plures unius Ecclesiae particularis nominare Episcopos ; Clemens enim (n. 12.) universim loquitur de Ecclesiis ab Apostolis fundatis: « per regiones et urbes praedicantes constituerunt primitias eorum. .. Episcopos et diaconos illorum, qui credituri erant; » sicut Paulus iussit constitui presbyteros h. e. Episcopos « per singulas civitates » (Tit. I. 5.). Quod autem Clemens u. 44. plures nominare dicitur presbyteros *Corinthiorum*, qui iidem etiam vocentur Episcopi, id verum non est. Nam hoc loco non secus ac n. 42. universim de Episcopis loquitur, non autem de Episcopis Corinthiorum dumtaxat (1) ; adeoque explicatio Bolgenii qui l. c. censet, epistolam Clementis sicut Pauli secundam ad Corinthios fuisse encyclicam destinatum Ecclesiis Achaiae, minime est necessaria.

Unica ergo remanet difficultas, quae penes Paulum (Phil. 1.1; 1. Tim. III. 2. 8.) eadem est, ac penes Clementem, quomodo factum sit, ut tum Apostolus tum eius discipulus

(1) Verba Clementis n. 44. haec sunt. « Apostoli nostri... constituerunt praedictos (quos nempe antea n. 42. dixerat ab Apostolis constitutos Episcopos *per regiones et urbes*), et deinceps ordinationem dederunt, ut cum isti decessissent, alii probati viri ministerium eorum per successionem acciperent (δ-αδεξωντα..) Constitutos itaque ab illis (constitutos scilicet *per regiones et urbes*) vel deinceps ab aliis probatis viris (utique a probatis viris, qui et ipsi per successionem acceperant ministerium).... hos indicamus non iuste munere sibi deiici. Non enim leve erit nostrum peccatum (non de Corinthiorum tantum sed in genere de peccato rebellionum loquitur), si irreprehensibiliter et sancte dona offerentes (τα δώρα προσεγκοντα; cum articulo τα δώρα, dona Christianis solemnia h. e. eucharisticum sacrificium) episcopatu deiciamus. » Hactenus generatim de Episcopis dixerat; quod vero in fine addit de ipsis Corinthiis: «videmus enim, quo i vos aliquos (numero plurali) a sacro ministerio depulistis » (ὅτι σὺν ἡμῶν ἔρασαν ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ τῆς λειτουργίας); id vel opus non est de Episcopis intelligere, vel si de Episcopis sermo est, illi aliqui possunt esse successive constituti et per ortas iam factiones expulsi.

«4 t<sup>1</sup> v<sup>ri</sup>  
..ii

kl

†††



hisce locis duos dumtaxat gradus *Episcopas* et *diaconos* omissis *presbyteris* commemoraverint? Explicatio Epiphanii paulo ante a nobis inducta non minus Clementis quam Pauli dictis aptari posset; non tamen videtur necessaria, et ut verum fatear, saltem pro Ecclesia Corinthiaca neque probabilis. Concedimus itaque Paulum scribendo *Episcopis* Macedoniae et (ad Timotheum) declarando virtutes necessarias *Episcopo* voluisse simul etiam comprehensos presbyteros, qui ratione sacerdotii proprios sunt Episcopis, quemadmodum Chrysostomus explicat (hom. XL n. 1. in 1. Tim.): « postquam (Paulus) de Episcopis dixit, relicto presbyterorum ordine ad diaconos transit, quia non multum illi distant ab Episcopis... Sola namque potestate ordinandi superant, et hoc tantum (spectando nempe potestatem sacerdotii consecratoriam et praescindendo a magisterio et sacro imperio) videntur praestare presbyteris. » Eadem est ratio apud s. Clementem, cui insuper peculiaris causa erat nominandi solos Episcopos et diaconos, ut apte congrueret textus, quem parumper immutatum (ex Is. LX. 17.) ad confirmationem inducit: « constituam Episcopos eorum in iustitia, et diaconos eorum in fide, » Iam vero quisque videt, longe diversum esse simplices presbyteros umquam nomen habuisse *Episcoporum*, quod nos negamus; et ea quae de Episcopis dicuntur, quandoque extendi etiam ad presbyteros, quin hi distincte nominentur, quod a Paulo et a Clemente factum esse concedimus (1).

Perstabimus ergo in ea sententia, nomen *presbyteri* quidem tum in libris novi Testamenti tum penes vetustissimos

(1) Superius vidimus, quam sollicite s. martyr Ignatius tres gradus Episcopos, presbyteros, diaconos distinguere soleat; nihilominus tamen, et ipse duobus tantum explicite nominatis tamen implicite comprehendit. Sic quoad Philadelphios n. 7. (cf. ib. n. 4; ad Smyrn. n. 8. 12.) dicit: « Episcopo obedite, et presbyterio et diaconis; » hoc idem ad Ephes. u. 2. 20. (cf. ib. n. 4.) exprimit concisius: « obedite Episcopo et presbyterio. » In Smyrnaeorum Ecclesia Ignatius salutatur « Episcopum (Polycarpium). presbyterium et diaconos » (ad Smyrn. n. 12.); sed Polycarpus omissis diaconis suam epistolam inscribit: « Polycarpus et, qui cum ipso sunt, presbyteri. » Confer superius citata ex Clemente Alex. Strom. VII. p. 297. et ex Origene in Cantabrigiae. l. III. p. gg.

aliquos Patres quandoque tributum fuisse sicut secundi ita etiam primi ordinis sacerdotibus; verum *Episcopos* numquam fuisse appellatos alios quam singularum Ecclesiarum singulares primi ordinis Pastores, quos inde saltem a secundo et tertio saeculo hoc nomine, ut posterioribus omnibus aetatibus solemne erat, a presbyteris distinctos fuisse apud omnes in confesso est.



ECCLESIA IESU CHRISTI CONSIDERATA  
SECUNDUM HABITUDINES AD DIVINUM SUUM FUNDATOREM.

Ecclesiae, ut a Verbo incarnato divinis factis et sanctionibus, charismatibus et promissis, rebus et verbis instituta ac constituta est, notionem pleniorum magnitudini rei ac veritati congruentem informare non possumus, nisi praecipuis penetrare conemur eiusdem ad Christum et Christi ad ipsam mirabiles habitudines fundatoris et sanctificatoris, sponsi et capitis, archetypi et finis suae Ecclesiae, ut illae in divina revelatione expressae nobisque manifestatae sunt. Hoc igitur, quantum a nobis fieri potest, in praesenti sectione assequi studebimus. <

THESIS XVII.

*Ecclesia Iesu, Christi considerata in opere redemptionis  
ut in sua causa efficiente et meritoria.*

- Spectata redemptione tamquam principio ac fonte, Ecclesia Iesu Christi in proposito, voluntate, et opere redemptoris est *mundus superius naturaliter transformatus* per divinam doctrinam, legem, et gratiam; *in pretium* autem *redemptionis* mundi et *emptionis* Ecclesiae est sanguis » Iesu Christi Filii Dei. » < I

I. Si supposito lapsu generis humani, illud cogitemur sine Christo redemptore, quem liberrima misericordia Deus misit in mundum, quisnam quaeso ex principiis fidei et ex ipsa historia populorum, qui postquam venit, eum non receperunt, concipiendus esset status totius humani generis, quae «civitas terrena» sine «civitate coelesti?» Fides et consequenter ad lumen fidei ipsa historia nobis exhibet universum irenus in suo primo progenitore, ut in naturali ra-

dice et origine totius stirpis, infectum peccato, omnibus donis gratiae spoliatum, a supernatural! suo fine delapsum, impotens tendendi adhuc ad hunc fluem, in mente utique rationali sed in tenebris ignorantiae sine lumine supernatandi, in voluntate libera sed infirma sine viribus gratiae; u mundum totum in maligno positum n et u in sapientia carnis, quae inimica Deo legi Dei non est subiecta, nec enim potest; n filios Adam, u venundatos sub peccato, sub lege in membris repugnante legi mentis, et captivante in lege peccati; » u natura filios irae; » paucis, totam infelicem progeniem in servitute *ignorantiae* et errorum, *concupiscentiae* et depravationis, *peccati* et damnationis.

Iam Filius Dei ex ipso hoc genere Adami factus homo venit in hunc mundum u via, veritas et vita, » ut ipsum mundum illuminaret veritate sua, ordinaret in viam salutis lege sua, sanctificaret vita gratiae suae. « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret..... ut salvetur mundus per ipsum η Io. III. 17; u in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum..... quoniam Pater misit Filium suum salvatorem mundi» 1. Io. IV. 9. 14. cf. Io. VI. 33; XII. 31. 47. Haec salvatio mundi in effectu ipso peragitur primum *negative* ut homines desinant esse mundus « tenebrarum, » « in maligno positus » mundus « damnatus » (Eph. VI. 12; 1. Io. VI. 19; 1. Cor. XI. 32.): u de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo » Io. XV. 19. Tum *positive* Verbum caro factum contra ignorantiam et errorem *magisterio* doctrinae externae et interna illuminans u (lux mundi); n contra concupiscentiam et infirmitatem *imperio* legis ordinans et gratia confortans - (iugum meum suave est); » contra peccatum et damnationem *sacerdotio* sanctificationis iustificans et perficiens - (una enim oblatione consummavit in aeternum sanctificatos... sacerdos magnus super domum Dei) » electos de mundo fide spe et charitate, doctrina lege et cultu divino secum ipso atque in se ipso omnes inter se invicem unit, hacque unione externa et interna, visibili et invisibili per se ipsum et in se ipso transformans mundum « in dispensatione plenitudinis temporum instaurando omnia quae in coelis et



quae in terni sunt » constituit *regnum Dei in tern's* civitatem sanctam Jerusalem descendentem de caelo a Deo» (Apoc. XXI.), quae est Ecclesia. Ecclesia autem haec Iesu Christi sicut est mundus salvatus a Christo universalis *spatio* 4 usque ad ultimum terrae, » ita est plenitudo temporis et *tempore* universalis « usque ad consummationem saeculi; » atque ideo perennis est in ea sicut forma interna et invisibilis donorum gratiae, ita forma externa et visibilis in supernatural! magisterio, imperio, sacerdotio, quod in Christo suum habens principium et finem, a Christo perenniter derivatur in Ecclesiam, u Si qua ergo in Christo *nova creatura* (1); vetera transierunt: *ecce facta sunt omnia nova*. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum; et dedit nobis ministerium reconciliationis; quoniam quidem *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.....et posuit in nobis verbum reconciliationis*. Pro Christo ergo legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo » 2. Cor. V. 17-20. ¶ Totus ergo mundus Ecclesia est, et totus mundus odit Ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum. Sed iste mundus quem Deus in Christo reconciliat sibi. . . de mundo electus est inimico, damnato, contaminato. . . *Mundus perditionis qui odit mundum reconciliationis* n Aug. in Ioan, tract. 87. η. 2-4. Hoc etiam sensu Origenes Ecclesiam appellat mundum a Christo illuminatum: u Dicatur itaque Ecclesia mundus, quando a Christo illuminatur» Orig. in Ioann, torn. 6. T. IV. p. 158.

II. Terminus itaque *a quo* huius transformationis est *mundus sanctificandus*, terminus *ad quem* est *Ecclesia sanctificata*; forma ipsa est *sanctitas interna* in omnibus donis gratiae, in fide et spe et charitate, atque *sanctitas externa* in magisterio ac doctrina, in imperio ac lege, in sacerdotio ac sacramentis. Pretium autem donorum omnium transformantium, ac proinde pretium sicut *redemptionis mundi* ita *emptionis Ecclesiae* est sanguis Filii Dei, vita nempe et mors, satisfactiones et merita Iesu Christi, ipse

(1) 'Ū3

denique Iesus Christus, Dei Filius. Hinc sicut dicitur Christus Iesus «dedit semet ipsum redemptionem (ἀντιλυτρον) pro omnibus, » quia Deus « omnes homines vult salvos fieri » 1. Tim. II.6; et dicitur ipsemet esse «propitiatio pro peccatis totius mundi » 1. Io. II. 2: ita velut terminus constituendus, velut templum aedificandum et consecrandum meritis ac sanguine Christi declaratur Ecclesia: « Ecclesia Dei, quam acquisivit sanguine suo » (δια του ιδιου αιματος ) Act. XX. 28; Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret » Eph. V. 25-27. Tabernaculum typicum dedicatum est et Ecclesia Mosaica mundata sanguine typico animalium; tabernaculum verum, Ecclesia coelestis dedicatur et mundatur melioribus hostiis, per sacerdotem magnum Iesum Christum nempe sanguine proprio. « Moyses ipsum quoque librum (codicem testamenti) et omnem populum aspersit dicens: hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus; etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit; et omnia paene in sanguine secundum legem mundantur.....Necesse est ergo exemplaria (υποδειγματα cf. supra p. 15.) melioribus hostiis quam istis » Heb. IX. 19. sq. Nam ut paulo ante dixerat Apostolus, Christus « sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Dominus et non homo..... melius sortitus est ministerium, quanto et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est..... per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa » ib. VIII. 2. 6; IX. 12.

Verbum igitur caro factum sanguine suo in cruce effuso meruit; doctrina veritatis in magisterio, lege salutis in imperio, sacramentis sanctificationis in sacerdotio, donis externis et gratiis internis effecit mundi transformationem; hicque mundus transformatus atque his donis visibilibus ac invisibilibus unitus cum Christo et unitus in se constituitur «Ecclesia acquisita sanguine Dei: » quare pretium pro Ecclesia redimens sanguis Iesu Christi, merces pro sanguine Iesu Christi Ecclesia empta. « Redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati.... ut fides vestra et spes esset in Deo; animas vestras castificantes



in obedientia charitatis (1)... Ad quem (Dominum I. Ch.) accedentes lapidem vivum... et ipsi tamquam lapides vivi supraedificamini domus spiritualis.... genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti» 1. Pet. 1.18-11.10; Eph.II. 12-22; Coloss. I. 20-23.

III. Hinc sanguis Iesu Christi est *u* sanguis testamenti aeterni » Heb. X. 29; XIII. 20., primum quidem ut effusus semel in sacrificio crucis condidit testamentum reconciliationis mundi et consecravit Ecclesiam, quae propterea a ss. Patribus dicitur de latere secundi Adam in cruce dormientis esse desumpta (2); tum vero est « sanguis novi Testamenti - Matth. XXV. 28; Marc. XIV. 24; Luc. XXII. 20; 1. Cor. XI. 25., ut perenniter in Ecclesia et ab Ecclesia perenni oblatus in sacrificium et haustus in refectionem animarum (3) eam visibili sacramento et invisibili charitate sponso Iesu Christo intime coniungit ac unit: *u* Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio (κοινωνία) sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio (κοινωνικ) corporis Domini est? Quoniam unus panis (est), unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus » 1. Cor. X. 16. *a* Non potest vivere corpus Christi nisi de spiritu Christi. Inde est quod exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem, unus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum charitatis... . Hunc itaque cibum et potum (Christus) societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia in praedestinitis

(1) Graece: εν ὑ-αζοη τη χληβεια .

(2) - Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita materque vivorum. Magnum quippe significavit bonum ante magnum praevaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei coniux, quod de latere dormientis edluxit » Aug. in Io. tract. 120. n. 2.

(3) - Iam ipsa per ipsum quam ipse per ipsam suetus afferri » Aug. Civ. Dei. X. 20. (in lectione antiqua). jE.I

et vocatis et justificatis et glorificatis sanctis et fidelibus eius. Quoniam primum iam factum est, id est praedestinatio; secundum et tertium factum est et fit et fiet, id est vocatio et iustificatio; quartum vero nunc in spe est, in re autem futurum est, id est glorificatio. Huius rei sacramentum id est unitatis corporis et sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in dominica mensa praeparatur, et de mensa dominica sumitur quibusdam ad vitam; quibusdam ad exitium: res vero ipsa cuius sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque eius particeps fuerit, *n* Aug. in Io. tract. 26. n. 13. 15.

### THESIS XVIII.

*De Ecclesia sponsa et mystico corpore Christi,  
quae rationes continent causam velut formalem Ecclesiae.*

- Habitudines inter Christum et Ecclesiam praeclarissime exhibentur in ss. Scripturis sub ratione sponsae et corporis Christi, quibus Ecclesiae cum Christo intima unio secundum ipsam naturam a Verbo assumptam, et Christi in Ecclesiam dilectio ac efficientia, et Ecclesiae sublimatio declaratur. Est enim Ecclesia corpus Christi non solum, quantum in se est *corpus morale* et ad Christum refertur ut ad finem et ad Dominum; sed est *corpus mysticum Christi*, quod per supernaturales *iuncturas* visibiles et invisibiles ipsi capiti unitur, ab eo existentiam et vitam haurit, eiusque est *plenitudo*, *n*

Ut iam ex antecedentibus apparet, omnia ornamenta omnesque proprietates Ecclesiae, immo ipsa eius formalis ratio et essentia tamquam ex fonte et origine dimanant ex intima Ecclesiae unione cum Christo. Christus enim si secundum *humanitatem* unitam divinitati spectetur, suas satisfactiones, sua merita completa in sacrificio crucis, suum corpus et sanguinem, se ipsum totum dat et testamento legat Ecclesiae *u* (hic sanguis novum testamentum); » eam sibi magistro, regi, sacerdoti coniungit, atque in ea participato magisterio, regno, sacerdotio perenniter manet. Si secundum *divinitatem* unitam humanitati consideretur, Ec-



clesiam omnesque proprietates et omnia eius elementa pervadit ac multiplici divisione gratiarum elevat, illuminat, roborat, sanctificat. Hac autem ipsa sui unione donorumque suorum communicatione format et quodammodo informat Ecclesiam.

Nunc vero distinctius considerandum nobis est, quomodo haec unio Christi cum Ecclesia in revelatione nobis exhibetur.

I. Habitudo amoris, communicationis, unitatis intima inter homines est in matrimonio, ubi duo efficiuntur *u* caro una, *~* una moralis persona, unus fit alterius et ambo veluti partes totius ex indissolubili vitae societate; atque inde dilectio unius in alterum se habet ut dilectio sui ipsius, bona et mala unius aestimantur et sunt bona ac mala alterius.

1°. Iam hanc unitatem inter sponsum et sponsam Christus Dominus non solum assumpsit velut imaginem suae dilectionis erga Ecclesiam; sed ut suae unionis, communicationis, dilectionis et tutelae qua Ecclesiam complectitur, perpetua esset obiectiva *repraesentatio*, matrimonium superaddita gratia sublimavit ad ordinem supernaturalem sacramenti. Ipse igitur dignitate et sanctitate sacramenti instituit et effecit matrimonium supernaturalem similitudinem suae unitatis cum Ecclesia; ut nimirum non solum naturalibus proprietatibus quae sunt consertae matrimonio a Deo creatore, imaginem referret, quemadmodum in veteri Testamento; sed ut supernaturalis sanctitas unitatis indissolubilis inter sponsum et sponsam esset *u* magnum sacramentum in Christo et Ecclesia » (1).

Clysterium data opera explicat s. Paulus Eph. V. 23-32. Secundum divinam hanc doctrinam ab Apostolo declaratam Christus per sui ipsius unionem et donorum coelestium communicationem efformans, sanctificans, conservans, glorificans Ecclesiam suam est archetypus; sanctificata unitas viri cum uxore est sacrum signum et similitudo, qua ille archetypus repraesentetur. I jîæ

a) Apostolus primum enuntiat propositionem complexam deinceps per partes explicandam : in sacramento « vir caput

ç1) ζλητ.α./ Eph. V

τούτο ;χ·γα

ριστον και ει

est mulieris; *n* in archetypo « Christus caput est Ecclesiae, ipse Salvator corporis eius *n* (1). Sub hoc schemate capitis et corporis tum intima unitas tum effusa communicatio iam comprehenditur, de qua inferius seorsum dicemus. Hic Paulus istud symbolum solummodo considerat in comparatione cum altero sponsi et sponsae, ad cuius explicationem per singulas proprietates continuo progreditur.

*b)* Ex ratione capitis est habitudo non aequalitatis sed subordinationis: in archetypo *a* Ecclesia subiecta est (ὑποταχσεται) Christo, ita (in repraesentatione) et mulieres viris suis in omnibus. »

*c)* Subiectio non est servilis, sed est habitudo summae dilectionis. Haec dilectio in Christo non iam supponit Ecclesiam realiter existentem et ex sese antecederent dignam, sed est ad Ecclesiam formandam, ut ex dilectione faciat Ecclesiam sponsam dignam dilectione sponsi (2). Quo est maior dilectio in sponso divino ut in principio harum sanctarum nuptiarum, eo est maior in suo effectu, in sanctitate videlicet et immaculata pulchritudine sponsae. Ibi dilectio, cuius imago sanctus amor sponsi erga sponsam, progreditur usque ad traditionem sui ipsius in mortem pro Ecclesia: « viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea; » finem vero habet et effectum ipsam Ecclesiam, ut sit sancta et immaculata: « ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam. »

*d)* Inter virum et uxorem unitas non est tantummodo moralis per dilectionem, sed est unitas quaedam physica, quae postulat unitatem dilectionis et per hanc consecranda est. Haec quoque unitas physica consecrata per efficacissimam dilectionem coniungit Christum cum Ecclesia sponsa eo sublimius et sanctius, quo archetypus est suo symbolo praestantior; praestantior inquam tum in sponso Christo,

(1) Nimirum salvator *corporis sui*, quod est Ecclesia; in graeco pronomen abest: σωτηρ του σώματος .

(2) « Quoniam concupivit rex speciem tuam: quam speciem, nisi quam ipse fecit?... Rex tuus et ipse est sponsus tuus: regi nubis Deo, ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo sanata; quidquid habes unde illi placeas, ab illo habes » Augustin, in Ps. 4-1. n. 2b.



tum in sponsa Ecclesia, tum in modo unionis, tum in donis omnium gratiarum quibus Ecclesiam velut carnem suam perpetuo nutrit et fovet, *u* Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit; nemo enim umquam carnem suam odio habuit: sed *nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius.* *n*

Hoc ultimum incisum v. 30. cum sequenti v. 31. declarat, quomodo sit inter Christum et Ecclesiam unitas velut physica, quae simul divina dilectione sponsi erga sponsam informatur. Prima nempe unio, fundamentum totius reparationis, est unio hypostatica Verbi cum natura humana, qua haec facta est natura Verbi, ut « quo attolleretur altius, non haberet » (Aug. Praed. ss. c. 15.), et Verbum caro factum est. In hac autem natura assumpta ex genere humano *u* ei tota virtualiter comtemperata est massa *n* (Gregor. Xyss. cont. Eun. T. II. p. 45. vide de Incarnat, th. XLVI.), totius scilicet *generis humani reparandi* per naturam ex hoc genere assumptam constitutus est Adam secundus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, ut ipse *u* Pater futuri saeculi *n* hoc idem humanum genus sibi formaret in *Ecclesiam reparatam* (1). Inde sicut ipse Iesus Christus in ordine suae temporariae generationis nascitur *u* de carne et de ossibus *n* generis humani (vide de Incarnat, th. XIV. n. III.), ita in ordine regenerationis ex secundo Adam Ecclesia est de carne eius et de ossibus eius seu de sancta eius humanitate: « ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Deus (cf. Io. XVII. 6.); quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter par-

(1) - Dum Salvatoris nostri adoramus ortum, invenimur nos nostrum celebrare principium. Generatio enim Christi, origo est populi Christiani; et natalis capitis natalis est corporis. Habeant licet singuli quique voeatorum ordinem suum, et omnes Ecclesiae filii temporum sint successione distincti, universa tamen summa fidelium fonte orta baptismatis, sicut cum Christo in passione crucifixi, in resurrectione resuscitati, in ascensione ad dexteram Patris collocati, ita cum ipso sumus in hac nativitate congeniti. Quisquis enim hominum in quacumque mundi parte credentium regeneratus in Christo, intervisio originalis tramite vetustatis transit in novum hominem renascendo; nec iam in propagine habetur carnalis patris, sed in germine Salvatoris *?* s. Leo de nativ. serm. 6. n. 2.

ticipavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium » (Heb. II; 13.).

Totus locus Apostoli Eph. 30. 31. de quo agimus, exhibet interpretationem sensus mystici et sublimioris comprehensi in loco altero Gen. II. 23. 24. In creatione prima et in institutione matrimonii ut radicis humani generis propagandi Heva creatur non solum eiusdem naturae, sed ad constituendam intimam unitatem, primum quidem creatur ex substantia viri: *u* aedificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam, in mulierem... Dixitque Adam: hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; » tum vero in hoc fundamento non solum pro primis parentibus, sed in omne tempus futurum ut matrimonium semper respondeat primitivae illi unitati, constituitur relatio sponsi et sponsae dilectione et indissolubili unione: *u* quamobrem (quia os ex ossibus, caro de carne) relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. *n* Iam vero primam partem, quae sensu litterali est de Hevae in ordine naturali matris omnium viventium formatione ex substantia Adam, Apostolus directe enuntiat in suo sensu antitypo de formatione Ecclesiae ex secundo Adam, quae est mater nostra in ordine supernatural! (1). Partem deinde alteram, quae est de dilectione et indissolubili unione sponsi ac sponsae, enuntiat iisdem verbis, ut sunt in genesi, verum intelligendam sensu non solum litterali, sed simul typico de sponso Christo et sponsa Ecclesia, qui sensus ab Apostolo intentus manifesto apparet tum ex nexu secundae partis cum prima, tum ex diserta declaratione, sensum litteralem et immediatum quo significatur vinculum matrimoniale, continere magnum mysterium in Christum et in Ecclesiam. *a* Nutrit et fovet (velut carnem suam) Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, *de carne eius*

(1) *u* Dicit (Apostolus), quoniam membra sumus corporis eius, ex carno eius et ex ossibus eius; sicut enim Heva, input (Paulus), ex latere Adam proliit, ita et nos ex latere Christi; hoc enim sibi vult illud *ex carne eâu et ec ossibus eius...* Sicut Adam dormiente mulier condita est, ita Christo moriente formata est Ecclesia ex eius latere *n* Chrysost. or. 28. T. V. p. 402. el. Front. Ducaei Paris (1G16.). ed, Maurin. T. III. p. 215.



*et de ossibus eius. Propter hoc* (1) relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. *Sacramentum hoc. magnum est*, ego autem dico *in Christo et in Ecclesia* η (εἰ Χριστὸν καὶ εἰ τὴν ἐκκλησίαν). Haec itaque ea est quam dico ratione incarnationis conjunctionem Christi cum Ecclesia secundum unitatem (specificam) naturae et quodammodo physicam.

2 . Ex hac Apostoli doctrina intelligemus alia loca Scripturarum, in quibus tam frequenter laudantur nuptiae sanctae Christi sponsi cum Ecclesia sponsa. Ubi scilicet cum nostra natura unio hypostatica in incarnatione, et per naturam a nobis assumptam velut per *a* primitias nostras n coniunctio cum Ecclesia, tum ex Verbo incarnato origo Ecclesiae, tum eius ad Ecclesiam indissolubilis communicatio

(1) In genesi ambae sententiae connectuntur particula *consequentiae*: *a* hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea: quamobrem LXX. ἐ-ΕΖΕ7 τουτου) relinquet homo patrem suum et matrem, \* Eodem ergo modo connexio i. iter utramque sententiam penes Apostolum intelligenda est: - de carne eius et de ossibus eius: propter hoc (ἰvit το0του) relinquet homo patrem et matrem suam. - Sicut in primo inciso enuntiat unitas physica c; m Ecclesia per incarnationem Verbi, ita inde deducitur unitas dilectionis tamquam sponsi erga sponsam. Verba igitur quae in genesi immediate significant unionem sponsi et sponsae in matrimonio. Apostolus adfert sensu duplici, tum scilicet illo literali de matrimonio nominatim christiano (de q. o agit), tum altero sublimiori de nuptiis Christi cum Ecclesia per dilectionem et indissolubilem unionem: ideo res enuntiata sensu literali est - magnum sacramentum » rei intelligendae sensu sublimiori. Per se patet, iuxta canonem generalem interpretationis verba sensus literalis in translatione ad sensum mysticum non esse urgenda ultra suum scopum; unde hic verba in sensu mystico non aliud dicunt, quam divinam dilectionem et ex hac intimam unionem Christi ad Ecclesiam velut ad sponsam, quae per gratiam sponsi est mater fecunda omnium regenerantium et viventium ex Christo: non autem opus est, ut a quibusdam lit, verba « relinquet patrem et matrem ¶ intelligere de patre coelesti et de synagoga, qui non tam mysticus quam accommodatius sensus esse videretur. Cardo verae interpretationis est in connectione utriusque incisi: - de carne eius et de ossibus eius; propter hoc relinquet - etc., quam connexionem omnino retinendam esse; non autem comma 30 velut parenthesin haberi, et alterum incisum e (propter hoc relinquet) » cum commate 29 u (nemo unquam carnem suam odio habuit sed nutrit et fovet eam) - coniungi posse, persuadet collatio citationis Paulinae cum textu Gen. II. 23-24.

per dilectionem suam et per dona sua, tum ex hac communicatione fecunditas Ecclesiae hisce nuptiis adumbrantur. Totus liber Cantici Canticorum non aliud sonat sensu, saltem in plerisque locis, omnino literali quam Christum et Ecclesiam anhelantes ad has nuptias spirituales tum adhuc futuras. Unde Concilium V. damnavit Theodorum Mopsuestenum etiam in eo quod negaret « codicem Cantici Canticorum habere prophetorum dictationem bonorum Ecclesiae » Hard. III. p. 86. sq. Psalmus XLIV. eandem celebrat desponsationem. In prophetis saepe quidem synagoga exhibetur ut sponsa, sed ut repudianda, quo cum divortio connecti solet descriptio unionis indissolubilis futurae cum Ecclesia, « Et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiae tuae, et suscitabo tibi pactum sempiternum » Ez. XVI. 60. « Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me (populus meus), vir meus, et non vocabit me ultra Baali (Dominus meus) (1); et auferam nomina Baalim de ore eius... » « et sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio et misericordia et miserationibus et sponsabo te mihi in fide » Os. II. 16. sq. cf. Is. LIV. 5. 6. (in textu hebraico).

In libris N. T. Christus « sponsus » est, « habens sponsam Ecclesiam » Io. III. 29. Matth. IX. 15; XXII. 2. Ecclesia etiam particularis « despondetur uni viro » et a virgo casta exhibetur Christo » 2. Cor. XI. 2. Nam sicut unus sponsus, ita una quidem sponsa est regina Ecclesia, per se tamen spectatae singulae Ecclesiae, constituentis simul omnes unam illam sponsam, significantur velut virgines quae ad Christum sponsum adducuntur (παρθένον ἄγνην παραστήσαι τῷ Χριστῷ): « astitit regina a dexteris tuis... »

»\*\*|

**.nw nimrnN**

Synagoga licet desponsata Domino manebat in conditione *ancillae*, et saepe colens deos alienos (Baalim) tacta est adultera. Ecclesia novi Testamenti ablatis nominibus Baalim erit sponsa in statu liberae semperque fidelis: ideo non ut ancilla invocabit nomine Baali (Dominus meus) sicut *vir meae* ut sponsa libera. Cf. Gal. IV. 22. sqq.



—

omnis gloria eius tiliae regis ab intus (in aedibus regalibus coram rege).....adducentur virgines post eam, proximae eius (1) atterentur tibi » Ps. XLIV. 10. sq. Victoria et glorificatio Ecclesiae est solemnitas nuptialis, ubi sponsa Ecclesia ornatur sponso suo Christo: *u* demus gloriam ei; quia venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se; et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido; byssinum enim iustificationes sunt sanctorum... beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt » Apoc. XIX. 7-9. (cf. Matth. XXII. 2. sq.). Sanctam civitatem Ierusalem novam vidit Ioannes « descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam ornata viro suo » ibid. XXI. 2.

II. Huic schemati sponsi et sponsae affine est, et ab ipso Apostolo Eph. V. connexum alterum sed adhuc expressius ad declarandam ineffabilem sublimationem Ecclesiae, quo haec exhibetur velut *corpus Christi* (2). Secundum hanc rationem s. Paulus data opera Ecclesiam describit 1. Cor. Eph. Coloss.; unde hic modus considerandi Ecclesiam non solum apud ss. Patres et Doctores communis est, sed etiam populo christiano familiaris, eoque manifestior eius praestantia, ut fere dici possit christiana *definitio* Ecclesiae. Quare magni sane momenti est distinctam notionem informare, quomodo Ecclesia sit et quo sensu determinato dicatur *corpus Christi* seu plenius *corpus Christi mysticum*.

In primis ex omnibus locis quibus Apostolus hac de re agit, et ex ipsa rei evidentiā manifestum est, expressionem esse *translatam* et quidem a corpore organico humano; eodemque modo manifestum est, hoc sensu quia translatus est

(1) amicae eius. « Ecce Roma, ecce Carthago, ecce aliae et aliae civitates filiae regum sunt, et delectaverunt regem in honore ipsius, et ex omnibus fit una quaedam regina » Ang. in Ps. 44. n. 23.

(2) Ex verbis Pauli, - membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius... et erunt duo in carne una: sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia, \* s. Augustinus fere ubique coniungit utramque rationem sponsi et sponsae, capitis et corporis ad explicandam intimam unionem Christi cum Ecclesia. Vide Aug. de Doctr. christian. l. I. n. 15; in Ps. 30. enarrat. 2. n. 4; in Ps. 138. n. 2; in Ps. 142. n. 3; ep. 140. n. 18. ad Honorat.; in 1. Io. tract. I. n. 2; de Gen. cunct. Manich. l. II. n. 37. «S '

non intelligi corpus, quod sit pars physice componens naturam humanam Christi; unde ad hoc discrimen a corpore Christi physico indicandum (non tamen unice nec praecipue ex hac ratione, ut paulo post patebit) addi solet epitheton: corpus Christi *mysticum*. Si tantummodo *negative* spectetur haec distinctio, quod non sit corpus Christi *physicum*, posset etiam dici corpus Christi sensu *moralis*; sed expressio foret minus apta minusque efficax ad *positive* significandum modum supernaturalis unionis Ecclesiae cum Christo et per Christum in se ipsa. Hoc igitur discrimen primo declarandum est, quomodo praestet et quid superaddat id quod corpus sit ac dicatur *mysticum* prae corpore dumtaxat sensu *moralis*.

Dantur utique tum societates in ordine civili tum communioniones particulares in ordine ecclesiastico, quae ex similitudine cum corpore organico physico appellantur *corpora*, quod et pluribus hominibus componuntur tamquam *membris* in gradibus et functionibus diversis, et membra omnia communi fine communibusque mediis diversimode distributis sicque conspirantibus viribus inter se colligantur, et ab uno vel a pluribus per modum unius tamquam a *capite* in usu mediorum, in assecutione finis, in vita sociali (per potestatem et exercitium regiminis) conservantur ac diriguntur. Unde quoniam haec omnia vincula non constituunt intrinsecus et physice unum (sicut corpus physicum ex sibi intimo principio vitae habet unitatem organicam), sed tantummodo plurium hypostasi et natura individua distinctorum conspirationem et directionem ad communem finem atque ita organismum quemdam potestatum et functionum; et quoniam praeterea haec omnia fundata in iuribus et officiis et in libertate personali pertinent ad *ordinem morum*, ideo huiusmodi communioniones dicuntur *corpora moralia*. Ex hac ratione unionis etiam patet, in huiusmodi *corporibus moralibus* ordinis naturalis unum membrum ab alio et ab ipso *capite* non pendere physice in suo *esse* et in suis insitis viribus, sed tantummodo morali obligatione et in assecutione finis, quatenus is unitis viribus plurium obtinendus est. Propterea licet analogice dicantur caput et membra corporis unius moralis, nemo tamen dicet corpus

iff

|

I



th.

ant membra esse capitis, totam civitatem esse corpus regis, singulos cives regis membra, exercitum ac milites corpus et membra ducis. Atqui haec omnia multis in locis ab Apostolo et ex Apostolo in universali praedicatione ac professione ecclesiastica affirmantur de *corpore* Ecclesia et de fidelibus velut *membris* in relatione ad *caput Christum*, ita, ut ratio unionis et habitudinis ad caput in corporibus moralibus nullatenus sufficiat ad declarandum modum, quo Ecclesia est corpus Christi. Formae enim loquendi disertaeque explicationes Apostoli ita comparatae sunt, ut licet Ecclesia corpus sit collectivum singulique fideles sint personae per se consistentes natura individua distinctae tum inter se tum a Christo capite, atque adeo Ecclesia non sit pars componens humanam Christi naturam et hoc sensu non physice sed moraliter corpus Christi, intelligi tamen debent unio non solum exterior sed omnino intima per continuam realem communicationem et conservationem omnium munium et institutionum, omnium potestatum et sacramentorum, omnium gratiarum et virium supernaturalium, vitae supernaturalis, totius denique *esse* secundum elementa invisibilia et visibilia, quo formaliter est et existit Ecclesia Christi. Quod vero maximum est, istae omnes habitudines recapitulantur velut in fonte, et velut in fastigio absolvuntur perenni sacrificio et perenni sacramentali praesentia Christi secundum divinitatem et secundum humanitatem in Ecclesia et in Ecclesiae membris, atque haec per sacrificium et sacramentum unio, et, ut PP. loquuntur, commixtio et insertio Christi in suam Ecclesiam efficax ad diffusionem vitae et gratiae ab iisdem Patribus appellatur *unio physica*, qua reddimur Christo *α* concorporales et consanguinei *n* (vid. Tract, de Euch. ed. 2. p. 91. 96. 102.). Ista igitur unio intima, realis, secundum quid physica Christi capitis cum Ecclesia corpore suo sane est in *mysterio* credenda per fidem et recte dicitur *mystica*, ac propterea Ecclesia *corpus Christi mysticum* (cf. de Euch. p. 146. in nota).

Vera haec notio corporis Christi mystici ipsis verbis Apostoli demonstranda est, qui eam nobis tradidit.

1°. Ecclesia in se spectata est unum *corpus morale* in ordine supernaturali, et corpus vivificatum uno spiritu; ni-

mirum spectari debet secundum elementum visibile et secundum elementum in se quidem invisibile, quod tamen per visibile tamquam huius forma sese manifestat, sicut spiritus et vita in corpore humano vivente. Haec unitas corporis et spiritus, quamdiu Ecclesia adhuc spectatur ut *corpus morale* in se ipsa, est primo per ordinationem ad unum omnium finem supernaturalis vocationis, *u Unum corpus et unus spiritus*, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. *n* Porro haec unitas perficitur eo, quod *u unus Dominus* (Iesus Christus), una fides, unum baptisma: *† unus Dominus*, cui omnes subordinantur et hoc ipso in unum corpus et uno spiritu ordinantur, idque per *fidem unam* tum in se tum in *fidei sacramento*, secundum invisibile et visibile elementum, *u Etenim in uno Spiritu* (ἐν ἐνι πνευ- uavi) omnes nos in unum corpus (εἰ ἐν σωα,α) baptizati sumus, sive Iudaei sint gentiles sive servi sive liberi; et omnes in uno Spiritu (εἰ ἐν πνεύμα) potati sumus *n* 1. Cor. XII. 13. Postremo haec unitas corporis et spiritus suum habet et principium et finem, quia *a unus Deus et Pater omnium*. *n* Unus Deus et Pater *a super omnes* » tamquam principium et finis elevans, a quo et ad quem omnes elevandi sumus; *a per omnia* (per omnes) *n* tamquam principium et finis pervadens omnes et per se ipsum uniens ad corpus unum in unitate spiritus; « *in omnibus nobis* » (1) inhabitando tamquam principium et finis beatificans nunc in spe, postmodum in re. Eph. IV. 4-6.

2°. Tota haec unitas « corporis et spiritus *n* est per Iesum Christum *u*) tamquam per causam meritoriam et sanctificantem. Per eius enim merita infunduntur charismata et gratiae omnibus membris, sed ut convenit corpori organico, singulis pro diversitate membrorum diversa, *u Unicuique* autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi » (2). Tum *6*) ipsa persona Iesu Christi

(1) Ἐ- Θεὸς καὶ πατὴρ πάντων. ὁ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν  
; ἡαίν.

(2) Data est gratia ἢ χάρις cum articulo, nempe illa gratia de qua Scirino praecesserat, at non *secundum totum* sed unicuique secundum mensuram illam, quam determinat gratuita donatio Christi ἐνι Θεῷ ἐκχυστώ  
ιστοῦ.  
ΖΗΤ2 ~// υἱοῦ



suis meritis, gratia et gloria suae maiestatis «implens?» coelum et terram et inferiores partes terrae est veluti centrum uniens totius Ecclesiae, fidelium in terra, iustorum in inferioribus partibus terrae tum in limbo veteris Testamenti tum in purgatorio poenae residuae, ac denique Angelorum et sanctorum omnium in coelo. « Quia descendit primum in inferiores partes terrae... ipse est qui ascendit super omnes coelos, ut *impleret omnia* » ibid. 7-10. Per hanc descriptionem ipsius personae Iesu Christi ut centri unientis totam Ecclesiam fit transitus a consideratione *corporis moralis in se* ad distinctius describendam rationem, qua Ecclesia est *corpus mysticum Christi capitis*.

3'. Ecclesia itaque est *corpus Christi, Christus caput huius corporis sui*. Hanc iam rationem *corporis mystici*, quomodo sit, Apostolus nos docet.

a) In primis a Christo capite ordiuntur et per totum corpus diffunduntur organice dispositae iuncturae quaedam veluti nervi et arteriae, per quas totum corpus et coniungitur cum suo capite et in se suisque membris disponitur, unitur, continetur: «est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis. » Habemus hic utique metaphoram, nominibus quae immediate significant organa corporis physici, translatis ad significandum organismum corporis mystici, sed metaphoram apostolicam adeoque aptam exprimendae veritati, quomodo Christus caput, Ecclesia Christi corpus. Ecclesiae origo et vita et conservatio a Christo promanans, et cum Christo atque in membris unio et intestina dispositio intelligi debeat. Ceterum Apostolus ipse metaphoram resolvit in locutionem propriam. Iuncturae illae subministrationis, per quas Ecclesia corpus Christi cum Christo unitur atque a Christo vitam haurit et interiorem dispositionem, sunt ministeria a Christo instituta seu in concreto ab ipso instituti in sua Ecclesia ministri (1), et cum his

(1) - Quemadmodum in corpore (humano) aliud principatum tenet et velut praesidet, aliud gubernatur ac regitur, ita Dens Ecclesiis quoque constituit... ut alii pascantur et regantur, alii autem sint pastores et ductores ad Ecclesiae p'fectam unionem (‘‘ρο τον ττ( έχζληοια; zit j it it io i) ut haec duo, inferius et superius, inter se coniuncta et compacta sicut

ministeriis connexa charismata et sacramenta et media sanctificationis. In his ministeriis et mysteriis visibilibus Christus ipse invisibiliter suis meritis suaque divina virtute et in mysterio principali etiam substantialiter residet suaeque Ecclesiae tamquam caput unitur, et in eam tamquam in suum corpus per illa organa ministeriorum et mysteriorum vitam supernaturalem, nempe veritatem et charitatem, gratiam et sanctificationem active seu « secundum operationem » diffundit, auget et conservat in mensuram uniuscuiusque membri. Etenim « ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii. .. ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae... veritatem autem facientes in charitate » ibid. 11. sq.

6) Unde virtute huius subministrationis a capite per multiplices iuncturae dimanantis tum singula membra crescunt in sanctitate, tum totum corpus facit augmentum. Quod quidem incrementum in singulis seorsum sumptis deberet esse, sed non est in effectu ipso infallibile, quia liberum; in toto corpore, quantumvis liberum, est infallibile, quia caput Christus prospicit, ut subministratio secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri numquam in omnibus careat effectu, quantum opus est ad augmentum corporis. Est vero augmentum tum *in extensione fidei* ut Ecclesia universalis crescat usque ad ultimos fines terrae,

in membris spiritusque moderatione connexa et colligata unum perfectum corpus constituentur ac Christo capite nostro vere dignum\* *iv'ααφοτερα συντεθεντα αλληλοι; και συνχραθεντα. το τ το πλεοναζον ωσπερ εν βιβασθεντα και συνοθεντα εν αρτων αποειχτη ^ai. εποσει/υηναι) σωαα, και αυτου Χριστου τη; κεφαλη; ηρων οντω αξων.* Gregor. Nazianz. Orat. 2. n. 3. Alibi fere eadem repetit: « omnes unum corpus sumus in Christo, singuli vero Christi et ad invicem membra; alii enim regunt e: praesunt, alii ducuntur et reguntur... *fiunt lamen utraque unum in unum Christum ah eodem Spiritu harmonice coniuncta et connexa* \* *γ.αι γίνεται αμφοτερα εν sc; ένα Χριστον, υπο του αυτου συναραλογουαενα και συντιθέμενα πνεύματο* Id. Or. 32. n. 11. Ambrosius in eodem Apostoli loco totam Ecclesiam triumphantem ac militantem intelligit, ut « per harmoniam quandam virtutum et ministeriorum - unum sit corpus Christi. Ambros. ad Irenaeum ep. 76. n. 12. 13.



turn maxime *in intensione charitatis* ut singula membra pro mensura operationis et cooperationis *conformentur*, ac totum corpus semper *sit conforme* et (si ita loqui fas est) homogeneous capiti Christo, atque ita in singulis et in toto exprimat imago Christi et formetur Christus (cf. Rom. VIII. 29; Gal. IV. 19.). Hoc modo dicitur corpus crescere *in Christo* sive (ex textu graeco) *in Christum* caput. . Veritatem autem facientes in charitate crescimus in illo (εἰ αὐτόν) per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit (1) in aedificationem sui in charitate » *ibid.* 15. sq.

c) Hinc Ecclesia ita est corpus Christi, ut sit *plenitudo Iesu Christi* redemptoris, fundatoris, sanctificatoris. Ita nimirum Christus habet Ecclesiam tamquam *suam* et cum ea constituit *aliquid unum*, ut non hypostatice quidem verumtamen *moralis persona una* sit et unum *subiectum iuris*. a Christus enim totus cum membris suis est propter Ecclesiam quae est corpus eius » Aug. de dono persev. c. 7. Huius unitatis fundamentum non est solum externum, ut quadam iuris fictione in humanis inter dominum et servum, sed est reale et intestinum. Ipse enim primum in

(1) Ἐ οὐ παν το αωαα συναραολογουαενον και τυυ.3ι3αζο;χενον δια παση αφη τη επιζορηγια totum corpus harmonice coniunctum et arcte connexum per omnem iuncturam subministrationis, per iuncturas scilicet, quibus vita supernaturalis et dona in Ecclesia subministrantur et conservantur. In loco parallelo Col. II. 19. idem paulo aliis verbis dicitur την κεφαλήν, εζ ου (constructio ad sensum παν το σωαα δια των αφων και συνδέσεων επιχορηγούμενο? και συμβιβαζόμενο? : Verbum συμβιβαζόμενο? quod Eph. vertitur in vulgata *connexum*, in hoc altero loco redditur *constructum*; a corpus per nexus et coninnetiones subministratum et constructum. « Porro illud - secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri ζατ ενέργειαν εν μετρώ significat operationem Christi capitis diversam pro diversitate vocationis necessitatis, dispositionis et cooperationis singulorum membrorum (cf. Mt. XXV. 15; Rom. XII. 6; 1. Cor. XII. 4. 7.). Quod denique dicitur corpus facere augmentum corporis, patet in praedicto repetitum esse substantivum loco pronominis: corpus facit augmentum *sui* in s. ipso (ποιείται); quod in textu parallelo Col. II. 19. dicitur: corpus crescit in augmentum Dei (αυξε: αύξησιν του Θεου), quoniam nempe augmentum et a Deo est p\*r gratiam et in s? est ordinis supernaturalis ac divini.

natura sua humana *u* mediator Dei et hominum, *n* secundus Adam in ordine reparationis repraesentat totum genus humanum, tum vero meritis suis, « pater futuri saeculi » et *u* mediator novi Testamenti » Ecclesiam sibi formavit et « acquisivit sanguine suo *n* (th. IV.). In hac sua Ecclesia ipse perpetuo exercet suam potestatem sacerdotii in sacrificio et sacramentis, magisterii in doctrina, imperii in regimine per suos ministros velut per instrumenta, quorum potestas est participatio ab ipso dimanans (cf. Tract, de Sacram, in genere th. X.); omnis gratia et vita supernaturalis, omnia dona omnesque virtutes ab ipso perenniter derivantur in Ecclesiam « secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, *n*

Quapropter dum *effectu ipsi plenus redemptor, sanctificator, consummator* spectatur, includit in hac sua plenitudine Ecclesiam corpus suum redemptum, sanctificatum, consummatum; atque ideo Christus in suis membris, in suo corpore *formari, crescere* dicitur, et tandem *consummari*, quando Deus erit omnia in omnibus (1); *u* quos iterum parturio, donec *formetur Christus in vobis; n u* in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, *in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* (2); *u* omnia

(1) « Ipse scilicet est, ut sit Deus omnia in omnibus; aliter enim dicitur finis, qui pertinet ad *consummationem*, aliter qui pertinet ad *consumptionem* » Aug. qq. 83. q. 69.

(2) 'E'. ἀνδρα τελειον, ει μετρον ηλικια του -λερωματο του Χριστου j donec nempe Christus in sua plenitudine, qua omnia in omnibus h. e. secundum omnia dona et omnes virtutes in singulis membris adimpletur, erit in mensura praedestinatae staturae. « Quod commemoravit Apostolus de mensura aetatis, plenitudinis Christi, dictum intelligamus... ut illi capiti in populis Christianis accedente omnium perfectione membrorum aetatis eius mensura compleatur » Aug. Civ. Dei XXII. 15. Secundum eandem rationem Augustinus explicat illud 1. Cor. XV. 28., quod paulo post commemoramus de subiectione Filii, cum ei subiecta fuerint omnia. Sane quod dictum est: tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui illi subiecit omnia, quamvis secundum susceptionem hominis dicatur..., tamen recte quaeritur, utrum secundum ipsum tantum dictum sit quod est caput Ecclesiae, an secundum *totum Christum annumerato corpore et membris eius*..... Cum enim ad Corinthios de charitate diceret de membris



subiecit sub pedibus eius, et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius et *plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur*; » *u* cum autem subiecta fuerint illi omnia, *tunc et ipse Filius* (caput cum corpore) *subiectus ei erit*, qui subiecit ei omnia, ut sit Deus omnia in omnibus » Gal. IV. 19; Eph. I. 23. IV. 13; 1. Cor. XV. 28. Perfectio itaque, augmentum et gloria Ecclesiae est gloria Christi ipsius, et plenitudo qua Christus adimpletur: *u* crescamus in illum per omnia; *n* sicut ex adverso persecutio Ecclesiae est persecutio Christi in suo corpore suaque plenitudine: « Saule, Saule quid me persequeris » Act. IX. 4. Videlicet Christus consideratur cum Ecclesia tamquam una *persona moralis* et unum *subiectum iuris* (1),

Aft

corporis similitudinem ducens.....; omnia membra corporis, inquit, cum sint multa, unum est corpus, ita et Christus. Non dixit, ita et *Christi*, sed ita et *Christus*, ostendens Christum recte appellari etiam universum, h. e. caput cum corpore suo, quod est Ecclesia. Et multis Scripturarum locis invenimus Christum etiam hoc modo appellari, ut cum omnibus suis membris intelligatur, quibus dictum est: vos estis corpus Christi et membra. Non ergo absurde scilicet, intelligimus: tunc et ipse Filius subiectus erit..... ut Filium non solum caput Ecclesiae sed omnes cum eo sanctos intelligamus, qui sunt unum in Christo..... subiectum autem secundum contemplationem sempiternae veritatis ad obtinendam beatitudinem nullo motu animi, nulla parte corporis (mystici) resistente, ut in illa vita, nemine amante propriam potestatem, sit Deus omnia in omnibus » s. Aug. l. qq. 83. q. 69. n. 10. cf. de unit. E cl. c. 2. « Dominum eum et Christum fecit Deus hunc lesnm quem vos crucifixistis (Act. II. 36.), non de divinitate eius dicit... sed de humanitate eius, quae est universa Ecclesia quae in ipso dominatur et regnat, postquam crucifixus est, et quae ungitur ad regnum coelorum, ut cum ipso regnat, qui se ipsum pro illa exinanivit, et qui *in data forma servili ipsam assumpsit* \* Athanas. de Incarn. n. 21.

(1) « Hoc autem corpus nisi connexione charitatis adhaereat capiti suo, ut unus fieret ex capite et corpore, non de coelo quemdam persecutorem corripiens diceret, Saule, Saule, quid me persequeris..... Fit ergo tamquam *ex duobus una quaedam persona*, ex capite et corpore, ex sponso et sponsa..... Loquatur ergo Christus, quia in Christo loquitur Ecclesia, et in Ecclesia loquitur Christus, et corpus in capite et caput in corpore... ita ut dubitari omnino non possit, Christum esse caput et corpus, sponsum et sponsam. Filium Dei et Ecclesiam, Filium Dei factum filium hominis propter nos, ut filios hominum faceret filios Dei, atque ita essent duo in carne una, in magno sacramento, qui agnoscuntur in prophetis

ita ut simpliciter Christus caput ponatur pro capite simul et corpore in iis proprietatibus praedicandis; quae conveniunt tantum ratione corporis mystici, *u* Sicut.....omnia membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: *ita et Christus* » 1. Cor. XII. 12.

t/) Postremo *sacramentaliter* Ecclesia non solum significatur sed *efficitur* corpus mysticum unum in se et intime unitum cum Christo capite per unionem eucharisticam substantialis corporis et sanguinis totiusque Christi in sacrificio et in sacramento, « Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio (κοινωνία) corporis Domini est? *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno patie participamus* » 1. Cor. X. 16.

De hac Ecclesiae corporis mystici unitate in se et cum capite per corpus Christi substantiale in sacramento inexhausta est praedicatio ss. Patrum latinorum, graecorum et syrorum, quorum doctrinam exposuimus in Tract, de Euchar. th. VIII. coll. th. X. n. III. *a* Si vere Verbum caro

duo in voce una » (ubi Christus de se et de sua Ecclesia loquitur tamquam de uno subiecto) August, in Ps. 30. enarrat. 2. serm. 1. et 2. » Ipse Dominus Iesus Christus caput et corpus; voluit enim etiam loqui nobis, qui dignatus est mori pro nobis; membra sua nos fecit... Patitur adhuc Christus pressuram non in carne sua in qua adseendit in coelum, sed in carne mea quae adhuc laborat in terra.... Nisi enim Christus et in membris suis, hoc est, fidelibus suis pressuram ipse pateretur, Sanius in terra Christum in coelo sedentem non persequeretur. Denique aperte hoc exponens (Apostolus) quodam loco, sicut enim corpus unum est, inquit, et membra multa habet, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum est corpus; ita et Christus (1. Cor. XII. 12.). Non ait; ita et Christus et corpus; sed corpus unum membra multa, ita et Christus. Totum ergo Christus.... Multa dicit ex persona capitis, multa ex persona membrorum, et hoc totum, *tamquam una persona sit*, ita loquitur. Nec mirearis, quia duo in voce una, si duo in carne una. » Id. in Ps. 142. n. 3.

Duplex diversa est unio, altera hypostatica Verbi ad suam humanitatem, ut Deus homo sit una hypostasis; altera Christi capitis ad corpus Ecclesiam *u* secundum attributionem et operationem » (χατ αναφοραν και ενεργιαν), ut sit una velut persona iuridica (έν προσωπον). In eo est posita haeresis Nestorii, quod eam dumtaxat coaiunctionem, qualis est inter Christum et Ecclesiam, admisit inter Verbum Filium Dei genitum et Christum hominem filium Dei adoptatum. Vide de Incarn, th. XXII. XXIII.



factum est, et vere nos Verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non *naturaliter manere in nobis* existimandus est?..... Si vere nos sub mysterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unum erimus, quia Pater in eo est et ille in nobis, quomodo voluntatis (tantummodo) unitas asseritur, cum *naturalis per sacramentum proprietatis* (1) *perfectae sacramentum sit unitatis...* ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem eius nativitatem, et ille rursus in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur? n Hilar, de Trim VIII. n. 13-17. a Si ergo vos estis corpus Christi et membra, *mysterium vestrum in mensa dominica positum est, mysterium vestrum accipitis.* « Aug. serm. 272. « Panis quem frangimus, nonne *communicatio* (κοινωνία) corporis Christi est? Cur non dixit (Apostolus) *participatio* Quia voluit aliquid amplius significare, et magnam indicare coniunctionem. Non solum enim per participationem et sumptionem sed etiam per unionem communicamus; sicut enim corpus illud unitur Christo, ita et nos ei per hunc panem unimur... Cum dixisset *communicatio corporis*, quaesivit denuo aliquid arctius (εγγύτερον τι) dicere; propterea subiunxit: quoniam unus panis, unum corpus multi sumus. Quid enim, inquit, dico *communicationem!* sumus ipsum illud corpus. Quid enim est panis? corpus Christi; quid autem fiunt participantes? corpus Christi, non corpora multa, sed unum corpus. Quemadmodum enim panis ex multis granis compositus unitur.... ita et inter nos invicem et cum Christo coniungimur; non enim ex alio quidem corpore tu, ex alio autem alius nutritur, sed ex eodem omnes » Chrysost. in 1. Cor. hom. XXIV. u Paulus dicit: omnes enim unum corpus sumus in Christo, quoniam unus panis multi sumus, omnes enim de uno pane participamus. Dicat namque nobis aliquis causam et doceat aliter vim mysticae Ecclesiae. Nam cur in nobis inseritur? Nonne ut Christum in nobis inhabitare faciat etiam corporaliter participatione et communione sanctae suae carnis?...

1) *Proprietas* apud Hilarium est, id quod graece dicitur οἰκειότης; *coniunctio*, seu ut vertit interpretes Irenaei I. III. c. 18. al. 20. *dome- sticitas*.

Maxime animadvertere operae pretium est, Christum non dicere se in nobis futurum dumtaxat secundum relationem affectualem, sed et *per participationem physicam* (μ-Οίξιν φυσικήν), *n* Cyrill. Alex, in Io. 1. X. T. IV. p. 862. *u* Ad nuptias corporales vocatus stupendum miraculum (mutationis aquae in vinum) patravit, et non eum multo magis *filii thalami nuptialis* (Ecclesiae) *corpus suum et sanguinem gruendum donasse* confitebimur?.... In figura panis datur tibi corpus et in figura vini datur tibi sanguis, *ut sumpto corpore et sanguine Christi ei concorporalis* (cf. Eph. III. 6.) *et consanguineus* (συσσωαο; και συναιαο αὐτου) *efficiaris.* » Cyrill. Hier. Catech. IV. n. 3. *u* Quoties ad corpus et sanguinem accedimus et ea super manus nostras accipimus, sic credimus nos corpus amplecti, et *esse nos de carne eius et de ossibus eius*, sicut scriptum est. *r*, Marutlias in Asseman. Bibi. Orient. T. I. p. 180.

Secundum doctrinam igitur divinam Apostoli et explicationem ss. Patrum Ecclesia non tantummodo *morale corpus Christi* dicenda est, sed est *corpus Christi mysticum* per unionem operationis charismatum et gratiarum ex Christo capite in corpus; hinc vicissim per augmentum in vita supernatural! corporis ad Christum caput; per unitatem *personae moralis* seu per unum *subtectum iuris*, quatenus honor et iniuriae referuntur a corpore ad caput (κατ'ἀναοορζν), valor et efficacia ministeriorum a capite dimanat in corpus (κατ' ἐχεργειαν); communicatione denique et inhabitatione Christi capitis in Ecclesia suo corpore per sacrificium et sacramentum corporis et sanguinis realis, quam Patres dicunt « *naturalem proprietatem n* capitis cum membris; «*physicam participationem,* » *u* *concorporationem et consanguinitatem* » membrorum cum capite.



THESIS XIX.

*Verbum incarnatum multipliciter est exemplar  
ad quod Ecclesia Christi expressa est.*

Ad Verbum incarnatum tamquam ad suum exemplar Ecclesia secundum elementum visibile et invisibile expressa intelligitur. Quae quidem Ecclesiae conformatio cum Christo spectanda est tum in eius constitutione generatim, tum in eius muneribus et sacramentis ac denique in eius glorificatione tam inchoata quam consummati.»

a Verbum caro factum est: \* et u cum in forma Dei esset, semet ipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus. » Unus itaque Iesus Christus *Deus* in natura divina et invisibili genitus a Patre, *homo* ex hominibus in natura humana et visibili; invisibilis in suis factus est visibilis in nostris; divina descendunt, ut humana evehantur: Deus factus est homo, ut homo fieret Deus. Vide PP. apud Petavium Incarn. l. II. c. 8. Igitur a) una est persona duplicis naturae. Divinitas in se invisibilis sese manifestat per suam humanitatem visibilem: u vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre: \* u quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae, et vita manifestata est. » Humanitas per divinam personam, cuius facta est propria natura, infinite exaltata est supra ordinem naturalem; atque ab hac divina persona in suam humanitatem tota adorabilis dignitas, sanctitas, omnesque donorum thesauri derivantur, immo ipsa divinitas est humanitatis thesaurus: mysterium Christi Iesu, «in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi... quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter » (1) Col. II.

(1; Ὅτι ἐν οὕτῳ κατοικεῖ παντὸς πληρωτικῆς θεότητος σωματικῆς. Verbum Deus assumpsit sibi proprium fecit corpus et totam visibilem humanam naturam ita ut ipsum Verbum sit homo corporalis et visibilis: Verbum caro factum est. Unde hic homo Christus habet plenitudinem di-

3.9. Quare b) a persona divina est etiam infinita dignitas sacerdotii, magisterii, imperii Christi hominis, infinitum pretium sacrificii et meritorum eius, dignitas deivirilis operationum (ivepyeia omnium eius humanarum. Denique c) ex eadem divina persona humanitati debetur suprema exaltatio in gloria ad dexteram Dei Patris (vide de his Tract. de Incarnat.).

I. Iam vero ipsum finem incarnationis eum fuisse constat ut genus humanum repararetur. Haec autem restauratio ita effecta est, ut Deus Verbum incarnatum naturam lapsam, h.e. genus humanum sibi formaret in Ecclesiam *axi imaginem et similitudinem suam* sicut ad imaginem et similitudinem Dei Verbi, primogeniti omnis creaturae, secundum naturalia et supernaturalia primitus condita est natura humana (1).

Haec imaginis et similitudinis formatio in primis *generatur spectata* in Scripturis luculenter declaratur. Etenim Deus-homo, mediator Dei et hominum homo Christus Iesus sibi coniungens et coniungendo transformans atque elevans genus humanum constituit Ecclesiam sibi homogeneam tam-

vinitatis, et plenitudo divinitatis habitat in hac visibili natura habens eam unitam in unitate personae, et per hanc visibilem naturam se manifestans.

(1) - Qui (Christus) est imago Dei invisibilis (cf. Heb. T. 3.) primogenitus omnis creaturae, quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra... omnia per ipsum et in ipso creata sunt (ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτισθη τὰ πάντα... τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἐκτίσται in ipso causa exemplari, per ipsum causam efficientem, in ipsum causam finalem)... Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens (ἐν πᾶσιν αὐτὸς; προτετυων exemplariter et causaliter; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum » Col. I. 15-20. (Verbum caro factum u plenum gratia et veritate; et de plenitudine eius nos omnes accepimus » Io. I.). Igitur Deus Verbum imago Dei invisibilis est secundum divinitatem primogenitus omnis creaturae, ut exemplar, causa, finis omnium creaturarum in caelo et in terra; idem Deus Verbum secundum humanitatem quoque assumptam primogenitus ex mortuis est exemplar, causa, finis Ecclesiae corporis sui, quam reconciliando sibi omnia (ἰσοσταλαλαζαι πάντα εἰς αὐτὸν), formavit in suam plenitudinem (cf. Eph. I. 23.): ipse primatum tenens in omnibus, quia omnia in ipso, per ipsum, in ipsum.



quam corpus in capite : *a* vos autem estis corpus Christi et membra de membro » (1) 1. Cor. XII. 27; in se ut in fundamento construit et continet Ecclesiam : *u* fundamentum positum est... quod est Christus Iesus *n* ib. III. 11: ex se tamquam ex semente progerminat Ecclesiam ut fructum suum multum : « venit hora, ut clarificetur Filius hominis... granum frumenti si mortuum fuerit, inultum fructum affert » (2) Io. XII. 23. sqq. ; ex se ut ex vite profert et vivificat palmites Ecclesiae: *u* ego sum vitis, vos palmitesr ib. XV. 5; ex se profert ac derivat Ecclesiam tamquam secundus Adam matrem omnium viventium : « de carne eius et de ossibus eius » Eph. V. 30. Ipse primogenitus dat potestatem et participationem filiationis divinae et cohereditatis omnibus credentibus in nomine eius: *u* praedestinant conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus *n* Rom. VIII. 17. 29; Heb. II. 10. seq. ; Io. I. 12. 13. Ipse lux clarificans, Ecclesia clarificata et velut splendor gloriae eius (3), atque in hac luce cum ipso et in se unita : - et clarificatus sum in eis (quos dedisti mihi, εν αυτοι )... et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis (την ᾠξκν, ην δεῖωκκ ρ,οι,δεδωζα αυτοι:), ut sint unum, sicut et nos unum sumus: ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum» Ioan. XVII. 22. Ipse denique resurgens et glorificatus, ut exemplar et causa efficiens est resurrectio et glorificatio suae Ecclesiae. Ierusalem coelestis in omnibus sanctis : *a* caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis *n* Col. 1. 18 ; *u* Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium, quoniam quidem per hominem mors et per hominem resur-

(1) Xa: αελη εζ. μερου; membra singula ut partes organicae in toto. Cf. Rom. .XII.

(2) u Hic videbat ipsos gentiles post passiones et resuscitationem snam ex omnibus gentibus credituros... Se autem dicebat. Ipsum est granum mortificandum... infidelitate Iudaeorum, multiplicandum fide populorum - Aug. in Io. tract. 51.

(3) Christus est Dei Patris - splendor gloriae et figura substantia? **eius** - ιπαυγασαα ζτ~ οοξη zr. ζα-αζτη τη ὑπουτασεω αὐτου Heb. I. 3; analogice (ut ex omnibus allatis testimoniis patet) Ecclesia dici potest splendor gloriae Iesu Christi, et figura (expressa imago) substantiae eius, non generatione sed analogia participatione. "



rectio mortuorum ; et sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur; igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis» 1. Cor. XV. 20.49. (1).

II. Generica huiusmodi descriptio ad pleniorē intelligentiam rei, de qua in hac thesi agimus, certe non sufficit. Quaerendum ergo est *per partes*, quomodo Verbum incarnatum secundum invisibilem et visibilem naturam suam nobis proponatur non solum ut causa per quam, sed etiam maxime ut exemplar et originalis forma, ad quam velut ectypus exprimatur et formetur Ecclesia Christi, ut exemplar inquam non separatum et externum, sed a se derivatam, sibi configuratam sibi que coniunctam imaginem comprehendens Ecclesiam quodammodo ut splendorem gloriae suae.

In ipso Christo tamquam exemplari tria spectavimus, humanae naturae exaltationem per hypostaticam unionem cum Verbo, inde consequentes functiones theandricas, et denique eius glorificationem. Secundum haec ergo consideranda est assimilatio Ecclesiae, primum generatim in sanctificatione et elevatione visibilium per invisibilia, tum speciatim in hierarchia et sacramentis, ac denique in glorificatione.

Γ. Intelligitur Ecclesia tamquam imago fundatoris et capitis sui Christi in intima sua *constitutione*, qua ad similitudinem Verbi incarnati expressa est. Sicut Christus est Deus homo, Verbum caro, ita corpus eius Ecclesia in suis membris, in sua hierarchia, in suis sacramentis ac institutis constat duplici elemento, elemento per se humano

(1) Praeclare haec omnia complectitur s. Joannes Chrysost. horn. VIII. in 1. Cor. III. 11. 12. « Per multa exempla (δ'α πολλῶν παραδειγματων) nos unit. Vide enimvero. Ipse est caput, nos autem corpus; inter caput et corpus non potest ullum esse interstitium. Ipse est fundamentum, nos aedificium; ipse vitis, nos palmites; ipse sponsus, nos sponsa; ipse pastor. nos oves; ipse via, nos qui ingredimur: rursus nos templum, ipse inhabitator; ipse primogenitus, nos fratres; ipse heres, nos coheredes; ipse vita, nos viventes; ipse resurrectio, nos resurgentes; ipse lux, nos illuminati. Haec omnia unitatim manifestant, nec sinunt aliquid vacuum esse intermedium (οὐδεν |«σον ἀοιησιν ὑνχ), ne minimum quidem. »

ac visibili externo atque elemento divino et invisibili interno, quo humanum informatur et elevatur atque ita formaliter constituitur *ecclesiasticum*. Ideoque utriusque elementi humani ac divini coniunctione et singulae veluti partes Ecclesiae constituuntur et ex his omnibus tota Ecclesia consistit humano-divina. Spiritus Sancti dona sunt in ipsa, ut ita dicamus, velut incarnata, invisibilia fiunt visibilia, non utique in se ipsis sed in elemento visibili coniuncto, quod informant et quo manifestantur.

Tota Ecclesia templum est Spiritus Sancti, qui eam inhabitat donis et gratiis suis, fide, spe et charitate informans et formans membra Ecclesiae, ipse Spiritus veritatis, Spiritus virtutis (1), Spiritus sanctificationis. « Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in eis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus » 2. Cor. VI. 16; 1. Cor. III. 16. 17. Hic unus Spiritus cum donis suis sicut interna sanctificatione *α*in mensuram uniuscuiusque membri *n* omnia membra coniungit, ita et externis visibilibus effectibus, quibus se manifestat, unitate professionis fidei, communionis, sacramentorum ipsum unum corpus efformat (2). *u Unum corpus et unus Spiritus*; sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae » Eph. IV. 4. Externa autem haec omnia et visibilia suam propriam rationem suumque valorem habent a donis internis, a quibus promanant et quibus informantur. Corpus vivificatur a Spiritu: *u* quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei *v* Rom. VIII. 14. Exemplar in capite Christo est evidens, quatenus eius natura visibilis exaltatur et sanctificatur per Verbum, et Verbum in illa ac per illam sese manifestat.

(1) *ρ*ivsjtxa *δ*υνάοιω . 2. Tim. I. 7. I

(2) a Quia Verbum est in Patre, Spiritus autem ex Verbo datur, vult nos accipere Spiritum, ut hoc accepto atque habentes Spiritum Verbi quod est in Patre, ostendamus et nos per Spiritum unum esse in Verbo et per Verbum in Patre... Unde quemadmodum filii et dii efficitur per Verbum in nobis habitans, ita in filio et in Patre erimus et censebimur animum facti in Filio et in Patre, quia in nobis est Spiritus, qui est in Verbo et Verbum in Patre s. Athanas. cont. Arian, or. III. η. 25. (Tract, de Trin. th. III. Coroll. 3.).





2°. Secundum Christi munera et operationes theandricas consideranda est imago speciatini in hierarchia et sacramentis.

a) Christus caput et fundator instituit, ac per Spiritum paracletum manentem in Ecclesia perpetuo efficit, ut corpus sit organicum. Multa enim membra inter se diversa non omnia eundem actum habent; omnia tamen ad invicem membra sunt et ad unum totum ex sua natura pertinent, et ad unum finem totius suis actibus conspirant, atque ideo unum est corpus Rom. XII. 4. 5; 1. Cor. XII. 18-20. Hinc gradus sunt diversi non solum laicorum qui carent potestate activa sive in corpus reale sive in corpus mysticum Christi, et Clericorum in quibus residet haec potestas; sed etiam, quod nunc consideramus, ex Christi institutione et Spiritus Sancti operatione diversi sunt ordines hierarchici, ab uno supremo (qui immediate Christum repraesentat in tota Ecclesia et ab ipso participat proprietates supremi confirmatoris omnium fratrum, pastoris omnium ovium, fundamenti totius Ecclesiae), usque ad inferiores. In his mutua coniunctione et inferiorum ad superiores subordinatione constitutum est unum magisterium, imperium, sacerdotium in aliis maiori in aliis minori plenitudine derivatum ab uno capite Christo per communicationem unius Spiritus veritatis, virtutis, sanctificationis: multi unum corpus sunt in Christo; singuli tamen *u* habentes donationes (χαρι ριατα) secundum gratiam quae data est nobis, differentes » Rom. XII. 6; nam *u* divisiones gratiarum sunt, et divisiones ministracionum, et divisiones operationum; haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult n 1. Cor. XII. Porro haec omnia eum finem habent, ut tota Ecclesia docens et audiens (τη ύπχ/ση τη πιστεω), gubernans et gubernata, sanctificans et sanctificata perpetuo sit ac conservetur firmamentum veritatis, regnum Christi, templum Spiritus Sancti: dantur omnia *u* ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi n Eph. IV. 12; 1. Cor. III. 22. 23.

Sicut igitur Christus est veritas et unus magister veritatis, sicut data est ei omnis potestas in coelo et in terra, sicut est sacerdos in aeternum sui proprii ordinis *quia est*

IE

·1·

*Verbum incarnatum*: ita in hierarchia quae ut imago ad exemplar Christum expressa est atque ut participatio a Christo fonte dimanat, magisterium est veritatis, imperium salutis, sacerdotium consecrationis et sanctificationis, quia humanum et visibile compenetratur charismate divino et invisibili Spiritus veritatis, virtutis, sanctificationis (1).

b) Sacramenta sunt unum ex essentialibus et vitalibus elementis, quibus Ecclesia Iesu Christi in terra constituitur, nutritur et fovetur ab ipso sponso suo Christo (Eph.V. 29.). In sacramentis etiam materialiter membra Ecclesiae praeparantur (nimirum in christiano matrimonio), et formaliter Ecclesia per sacramenta in suis membris perpetuo renascitur ac renovatur, sanatur, sanctificatur, eiusque hierarchia succrescit ac conservatur. Unde sacramenta eadem intelliguntur esse una ex praecipuis «iuncturis subministrationis, quibus totum corpus et in se et cum capite Christo compactum et connexum *u* facit augmentum corporis in aedificationem sui in charitate.» Ex hoc autem ipso, quod sacramenta sunt partes essentielles in organismo Ecclesiae, eiusdem totius Ecclesiae naturam praeseferunt, et consequenter sunt ectypi assimilati ipsi institutori ac fundatori Iesu Christo, *u* Magnum pietatis sacramentum » permanens, quod est Verbum incarnatum, intelligitur fundamentum, origo, et exemplar omnium sacramentorum, quae ad sanctificationem Ecclesiae perpetuo novis actibus repetuntur (cf. Tract, de Sacram, in genere ed. 2. p. 34.).

In his mysteriis natura visibilis et materialis elevatur ad ordinem supernaturalem instrumentorum gratiae per conjunctionem cum meritis Christi secundum eius humanitatem, cum omnipotentia Christi sanctificatrice secundum eius divinitatem, cum eius sacerdotio ut institutoris, et principalis administratoris sacramentorum *a* non ministerio corporis sed invisibili opere maiestatis *n* (Aug. cont. litt. Petelian. 1. III. c. 49.). Divina vis sanctificatrix invisibilis propria ratio est,

(1) Si Spiritus in singulis qui pertinent ad sacerdotium, non operatur sanctificationem *gratiae*, hoc inde est quod illa sine debita cooperatione non efficitur; semper tamen operatur sanctificationem *potestatis*, quae (sicut character sacramentalis) neque a gratia sanctificante neque a cooperatione pendet,  $\lambda$  ide Tract, de Sacramentis in genere th. XIII.



qua signum sensibile per se naturale elevatur et constituitur sacramentum supernaturale. Spiritus Sanctus « aquis sperest sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt» (Tertull. de Baptism, c. 4.) : i oleum praesentia divinitatis Spiritus Sancti fit efficax » (Cyrill. Hier, catech. 21. n. 3.) ; sicut incarnatio Verbi facta est adumbratione Spiritus Sancti in Beata Virgine, ita a virtus altissimi et obumbratio Spiritus Sancti, quae fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem» (Leo M. serm. 4. et o. de nativ. Doni, vide Tract, de Sacram, in genere th. VI. η. III).

Si haec divini et terreni, invisibilis et visibilis elementi coniunctio in ceteris sacramentis refert imaginem institutoris Verbi incarnati, multo plenior est similitudo et perennis repraesentatio incarnationis in sacramento sacramentorum, in sanctissima inquam Eucharistia, ubi « in rebus quidem sensibilibus, omnia vero intelligibilia (παντα δε νοητῶς mente ac fide intelligenda) a Christo sunt tradita » Chrys. in Alatth. hom. 82. al. 83. Haec similitudo adeo vera est, ut ss. Patres frequenter ipsum hoc sacramentum assumpserint velut terminum notiores comparationis ad explicationem et defensionem ipsius incarnationis (Tract, de Euchar. th. IX. X.).

Sicut Verbum in incarnatione per naturam assumptam manifestatum est in carne, ita Verbum incarnatum secundum ipsam humanitatem se constituens in statu sacramentali invisibile manifestatur per species alienas panis et vini : sicut ergo ibi unus est Christus credendus fide secundum suam divinitatem, videndus etiam sensibus secundum humanitatem ; ita heic ille idem unus Christus credendus est sola fide secundum humanitatem et divinitatem, videndus etiam sensibus secundum formalem (1) rationem sacramenti in speciebus sacramentalibus. Ibi exinanitio personae divinae non deponendo formam Dei, sed accipiendo formam servi (Phil. II. 7.) ; hic exinanitio quaedam ipsius humanitatis, non deponendo gloriam qua ad dexteram Patris est exaltata, in Ec-

m u Eucharistia dnabns rebns constans, terrena et coelesti » Iren.

clesia triumphante sed assumendo statum victimae in L-  
clesia militante (Tract, de Sacram. Euch. th. IX. Coroll. 3.  
de Sacrific. Euch. th. XVI. n. II.). Ibi apparitio in carne per  
nativitatem operante Spiritu Sancto, vita abscondita per  
triginta annos in humanitate nondum glorificata, praedi-  
catio publica verbo sensibili et miraculis manifestis in or-  
dine naturae, sacrificium cruentum ad consummationem re-  
demptionis, haecque omnia pro Ecclesia fundanda; hic per-  
petuo renovata praesentia per transubstantiationem trans-  
mutante Spiritu Sancto creaturas (1); vita abscondita in  
humanitate iam glorificata, donec iterum veniat; praedi-  
catio spiritalis verbo interno in animabus et miracula in  
ipso ordine supernatural!, sacrificium incruentum ad appli-  
cationem redemptionis consummatae, quae perficiuntur omnia  
in Ecclesia fundata. Ibi crux arbor vitae ad generandam ex  
latere Christi Ecclesiam viventem vita gratiae, resurrectio  
causa et exemplar resurrectionis nostrae Ecclesiaeque glo-  
rificatae; hic ex illa arbore cibus vitae ad nutriendam et  
conservandam vitam gratiae, pignus ac praeparatio resur-  
rectionis et glorificationis. Lignum vitae in paradiso ha-  
bebat alimentum corporale et sacramentum spirituale sed  
typicum ad Christum in arbore crucis et in Eucharistia  
futurum (2); in ipsa Eucharistia sacramentum est antity-  
pum, in se continens corporale et spirituale, humanum et  
divinum, corpore et sanguine Dei Verbi sanctificans mem-

(1) Frequenter a Patribus et in sacris liturgiis indicatur haec simi-  
litudinis ac connexio operationis Spiritus Sancti in incarnatione et in trans-  
substantiatione. « Liqueat quod praeter naturae ordinem Virgo generavit;  
et hoc quoque conficimus corpus, ex Virgine est. Quid quaeris naturae or-  
dinem in Christi corpore (in Eucharistia), cum praeter naturam sit ipse  
Dominus Iesus partus ex Virgine » Ambros. de myster. c. 9. « Quomodo  
fiet istud, aiebat sancta Virgo, quoniam virum non cognosco?.... Et tu  
nunc interrogas, quomodo panis fit corpus Christi, atque vinum et aqua  
sanguis Christi? Dico tibi et ego: Spiritus Sanctus supervenit et efficit  
haec, quae rationem et mentis conceptum superant.... sufficiat tibi audi-  
visse id fieri per Spiritum Sanctum sicut etiam per Spiritum Sanctum  
ex s. Dei genitrice Dominus sibi ipsi et in se ipso carnem substantiavit. »  
s. Damaseen. F. O. l. IV. c. 13. (Tract, de Euch. th. VIII.). SHH

(2) De ligno vitae, in quo erat et sacramentum sicut in ceteris lignis  
alimentum, - vide s. Augustin, in Genes, ad litt. l. VIII. c. 4.



bra Ecclesiae ad futuram eorundem membrorum in anima et corpore vitam gloriosam et immortalem.

Ex his omnibus intelligimus, quomodo Ecclesia ab hoc sacrificio et sacramento eucharistico velut a corde et centro totius vitae suae participet in se ipsa coniunctionem ac compenetrationem humani et divini, dum natura per gratiam, terrena per coelestia, visibilia per invisibilia informantur, sanctificantur et clarificantur.

3°. Quemadmodum Christus Ecclesiam suam militantem et laborantem in terris constituit imaginem sui, ut ipse vivebat et patiebatur in vita sua mortali: ita Ecclesia glorificata est imago et expressio Christi capitis glorificati; Christi resurrectio et gloria est forma exemplaris et causa, a qua participat Ecclesia resurrectionem et gloriam.

Exhibet quidem Ecclesia iam nunc imaginem Christi qui resurrexit a mortuis, spectando simul tum vitam supernaturalem gratiae in terris tum vitam beatam animarum in caelo; verum expressio perfecta resurrectionis Iesu Christi capitis complebitur demum in gloriosa carnis resurrectione. Est itaque Ecclesiae assimilatio ad gloriam Christi in duplici stadio, eaque nobis in sacris libris describitur per duplicem *resurrectionem, regenerationem, renovationem*.

a) Per *resurrectionem spiritalem* referimus imaginem capitis nostri Christi, qui surrexit a mortuis. Secundum hanc rationem adhuc incompletam dicit Paulus: *a* consepulti sumus cum illo (Christo) per baptismum in mortem (mortui peccatis), ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos *in novitate vitae ambulemus* » Rom. VI. 4; et in eundem sensum: *u* igitur *si con-surrexistis cum Christo*, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens... mortui enim estis et *vita vestra est abscondita cum Christo in Deo* n Col. III. 1. 3. Haec eadem in Apocalypsi XX. 5. 6. appellatur *u resurrectio prima* n considerando simul martyrum animas in caelo et sanctam Ecclesiam in terra.

At cum ista resurrectione symbolica et glorificatione incompleta in locis omnibus coniungitur resurrectio corpora membrorum Ecclesiae et in hac ipsius Ecclesiae glorificatio completa tamquam perfecta expressio Christi glori-

ficati. In loco citato Rom. VI. continuo subdit Apostolus: *u* si complantati (συναφυτοι) facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus *n* (complantati seu homogenei) Rom. VI. 5. Nimirum ex imagine imperfecta mortis symbolicae et novitatis vitae in *resurrectione prima* consequitur similitudo perfecta in resurrectione et glorificatione finali. Expressius adhuc in loco altero Coloss. III, exhibetur *u* vitae absconditae cum Christo in Deo » transitus ad vitam manifestatam in resurrectione et assimilata Christo in eius suprema manifestatione: *a* cum Christus apparuerit (φανερωθη fuerit manifestatus) vita vestra (exemplar et causa vitae vestrae glorificatae), tunc et vos apparebitis (φανεωθεσεσθε) cum ipso in gloria *r* Col. III. 4. Caput manifestatum in gloria exemplariter, vitam adhuc absconditam membrorum manifestabit in gloria efficienter: « totum est caput et corpus, *n* Eodem modo coniungitur multis locis assimilatio utraque ad Christum, imperfecta in Ecclesia militante per resurrectionem primam, perfecta in Ecclesia triumphante per resurrectionem finalem. « Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem (resurrectio prima): quod si Spiritus eius qui suscitavit Iesum a mortuis habitat in vobis; qui suscitavit Iesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis » Rom. VIII. 10.11. Paulo post ibi Apostolus expresse loquitur de iis, quos Deus « praedestinavit *conformes* (συμορφου) *fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*; hanc vero *conformitatis* praedestinationem complecti ait tum vocationem et iustificationem, tum glorificationem, quam etiam dicit adoptionem filiorum Dei (completam), redemptionem corporis nostri, et revelationem (ἀποκαλυψιν) filiorum Dei Rom. VIII. 29. 30. cf. 17. 19. 23. Ita etiam alibi in Scripturis: *a* Nostra conversatio (πολιτευμα vita nostra per resurrectionem primam) in coelis est; unde etiam salvatorem exspectamus D. N. Iesum Christum, qui *reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum* (συρ.α.ορφον) *corpori claritatis suae* *n* Phil. III. 20. 21. *u* Charissimi nunc filii Dei sumus: et nondum apparuit (οὐπω ἐφανερωθη) quid erimus;



scimus quoniam cum apparuerit (εάν φανερωθη) similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est » 1. Io. III. 2.

Duplex igitur est stadium configurationis Ecclesiae ad Christum caput et exemplar. Pro primo stadio dicuntur: complantati similitudini mortis eius; consepulti cum Christo; novitas vitae, conversatio in coelis, vita cum Christo in Deo, sed adhuc abscondita; filii Dei sumus, sed nondum apparuit, quid erimus; accepimus Spiritum adoptionis filiorum, sed adhuc omnis creatura exspectat revelationem filiorum Dei, et intra nos gemimus adoptionem filiorum Dsi exspectantes, redemptionem corporis nostri (1). Pro stadio altero dicuntur: complantati resurrectioni eius, vivificata mortalia corpora, configurata corpori claritatis eius; cum ipse apparuerit, apparebimus cum ipso in gloria, cura apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicut est.

6) Duplex ista resurrectio simul est duplex *regeneratio* Ecclesiae ad exemplar Iesu Christi: prior in adoptione, quae iam est sed nondum apparuit; altera finalis quae apparebit «in redemptione corporis nostri.» De illa dicitur; nisi quis renatus fuerit (εάν αη τι γεννηθη) ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei» Io. III. 3; «salvos nos fecit per lavacrum regenerationis (παλιγγενεσία) et renovationis Spiritus Sancti.» Tit. III. 5. «in Christo nova creatura» (καινή ζησι) 2. Cor. V. 17; Gal. VI. 15; «ut duos (circumcisionem et praeputium) condat in semetipso in unum novum hominem (κτιση εν εαυτω ει ένα καινόν άνθρωπον) faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo» Ep. II. 15; «omnes filii Dei estis per fidem quae est in Christo Iesu; quicumque enim in Christo (εις Christon) baptizati estis, Christum induistis.... omnes enim vos unum estis in Christo Iesu» Gal. III. 26. sq.; Eph. IV. 25. 24; Col. III. 10. 11.

(1) Facile pro primo hoc stadio ex historia Ecclesiae non modo universa sed etiam ex singulis eius epochis demonstrari posset assimilatio vitae Ecclesiae in prosperis et adversis ad vitam et passionem Iesu Christi exemplaris ab eius nativitate fere usque ad sepulturam; verum haec non thesim theologiam sed librum historicum postularent.

ii. |

i |

t |

j.

Regenerationem alteram nominat Christus: *a* in regeneratione (έν τη παλιγγενεσία) (1), cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae (έπι θρονού άοξη αυτου), sedebitis et vos super sedes duodecim » Matth. XIX. 28. Haec finalis regeneratio gloriosa in statu originalis iustitiae fuisset eo modo, quo Paulus dicit: *u* nolumus expoliari sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est, a vita » 2. Cor. V. 4. Nunc autem quoad rem ipsam eadem quidem fit regeneratio finalis propter inhabitantem in nobis Spiritum Sanctum ex regeneratione prima: «qui autem efficit nos in hoc ipsum (ο & ε κατεργασααενο ηαα ει αύτο τούτο), Deus qui dedit nobis pignus Spiritus *n* ib. v. 5. cf. Rom. VIII. 11; sed ad exemplar Christi non fit nisi morte intercedente per resurrectionem: *u* oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem..... tunc fiet sermo, qui scriptus est: absorpta est mors in victoria *n* 1. Cor. XV. 52. seq. Haec est imago novissimi Adam hominis coelestis in glorificatione, quae consequitur eiusdem imaginem in iustificatione: *u* igitur sicut portavimus imaginem terreni, (Adam primi), portemus et imaginem coelestis (Adam secundi); hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit ib. v. 42-50.

c) Haec resurrectio et regeneratio pro utroque stadio appellatur etiam *renovatio*, ut iam ex textibus allatis apparet, et *saeculum novum*. De tempore novi Testamenti et renovatione mundi per gratiam scriptum est: « Ecce ego facio nova et nunc orientur... ponam in deserto viam et in invio flumina... populum istum formavi mihi/? Is. XLIII. 19. Hoc idem distinctius Paulus dicit: *a* si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova» 2. Cor. N. 17. Penes Iudaeos non sine fundamento in Scripturis V. T. tempora Messiae dicuntur *u* saeculum venturum» (2), quod tempus gratiae in sacris libris appel-

li) Procul dubio mortuorum resurrectionem nomine voluit regenerationis intelligi; sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum est anima nostra regenerata per fidem » Aug. Civit.



latur temporie plenitudo et tempus novissimum seu ulti-

II. 18; Gal. IV. 4; Eph. I. 10; Tit. I. 3; et « orbis terrae futurus » η οικουχενη ή {Αδλλουσκ Heb. II. ο. Cura hoc autem connectitur *saeculum novum regenerationis finalis*. In loco citato Matth. XIX. 28. illud « in regeneratione » Syrus vertit « in saeculo novo » (1), sicut in locis parallelis Marc. X. 30; Luc. XVIII. 30. dicitur «saeculum venturum ὁ» (έν τω αιώνι τω έρχοα,ενω). Tum « et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei » Rom. VIII. 21 ; « novos vero coelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus » 2. Pet. III. 13; Apoc. XXI. 1. Pro caelo hoc novo et terra nova sensu iam pleniore et glorificatione finali « dixit, qui sedebat in throno i ecce nova facio omnia ὁ» Apoc. XXI. ο.

Habemus igitur spectatis omnibus, quae diximus, in revelatione ipsa Ecclesiam splendidissime descriptam tamquam ectypum et similitudinem Verbi incarnati subsistentis in divina et humana natura, secundum stadium vitae mortalis et secundum statum vitae glorificatae. Cernitur haec imago et similitudo Ecclesiae expresse in membris eius sanctificatione naturae per gratiam; in ministeriis eius, dum potestates visibiles formantur per charisma invisibile veritatis,, virtutis, sanctificationis in magisterio, sacro imperio, sacerdotio ; in Sacramentis elevatione elementi naturalis ad supernaturalem vim et efficaciam sacramenti potissimum in sacramento sacramentorum substantialiter continente et realiter repraesentante ipsum Christum in suis mysteriis ab incarnatione usque àd sacrificium crucis ; cernitur denique in assimilatione vitae et passionis, atque inde glorificationis Ecclesiae configuratae claritati corporis Iesu Christi glorificati.

*Scholion.* Duplicem Apoc. XXI. describi resurrectionem sensu, quem diximus et quem inter Patres potissimum Augustinus Civ. Dei XX. c. 6. seqq. multis declaravit, nostra aetate a quibusdam in dubium vocari solet, et impense ne-

gatur ab iis omnibus, qui obsoletam opinionem de regno millenario ex isto capite XXI. Apoc. instaurare vellent. (Vide Tract, de Tradit, tb. XVI.). Verum distinctio et connexio huius duplicis *resurrectionis*, spiritualis et corporalis, in Scripturis apertissime praedicatur. Sicut Paulus in locis supra citatis iustificationem et vitam in iustitia ad exemplar resurrectionis Christi appellavit *resurrectionem*, eamque distinxit a resurrectione gloriae: ita idem Apostolus commemorat alibi illam primam resurrectionem: *a surge qui dormis et exurge a mortuis et illuminabit te Christus» Eph. V. 14. Christus Dominus ipse primum directe loquitur de resurrectione ad vitam gratiae, quae nunc est eorum tantummodo, qui obedierint voci eius, u Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, et in iudicium non venit, sed transiit (α-εταβεβηκε) a morte ad vitam. Amen, amen dico vobis, quia venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint (nempe non omnes audiunt), vivent n (1). His vero interposita aliqua transitione connectit resurrectionem finalem, quae erit omnium hominum; sed aliorum ad vitam gloriae, aliorum ad iudicium condemnationis, prout praecessit vel non praecessit prior illa resurrectio iustificationis. a Nolite mirari hoc (quod praecesserat) quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii η Io. V. 24-29.*

Iam eodem hoc modo in Apocalypsi duplex Ecclesiae resurrectio describitur. Ad resurrectionem primam perti-

(1) u Nondum de secunda resurrectione idest corporum loquitur, quae in fine futura est, sed de prima quae nunc est. Hanc quippe ut distingueret, ait; venit tora, et nunc est; non autem ista corporum sed animarum est \* Aug. Civ. Dei XX. 6.

Ceterum Christus Dominus utramque resurrectionem in sua oratione intime coniungens, videtur uti [ue iam in prima parte, ubi directe loquitur de resurrectione spiritali, includere etiam resurrectionem corporalem, quam directe declarat in altera orationis parte: vel saltem modum loquendi de resurrectione prima ita conformat, ut sit praeparatio ad declarationem resurrectionis secundae et finalis.



1  
nent simul spectatae per modum unius tum animae sanctorum nominatim ss. martyrum in caelo tum Ecclesia sanctificata in terris, quibus duabus partibus communionis sanctorum constituitur unum regnum Christi per mille annos, dum membra vivunt in hac prima resurrectione et regnant cum capite suo Christo (1), sive iam «mille anni » accipiantur pro plenitudine totoque tempore novi Testamenti, sive intelligantur anni determinati pro speciali manifestatione regni Iesu Christi per suam Ecclesiam in gentibus et nationibus terrae, donec solvatur Satan. « Et vidi sedes et sederunt super eas et indicium datum est illis; et animas decollatorum propter testimonium Iesu.....et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis. Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. *Haec est resurrectio prima.* Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima; in his secunda mors non habet potestatem » Apoc. XXI. 4-6. Ab hac omnino distincta est resurrectio corporum, quae describitur vers. 11. sqq. Per istam resurrectionem complebitur finalis glorificatio Ecclesiae, quae partira, sub imaginibus symbolicis partira locutionibus propriis celebratur duobus ultimis capitibus totius libri.

Ad probabilem explicationem *numeri millenarii* consilere possumus eundem s. Augustinum. Inter duplicem sensum, utrum intelligendus sit numerus divinus plenitudinis, quemadmodum dicitur, « in mille generationes, *n* » dies unus sicut mille anni; *n* an vero numerus sit arithmeticus humanus, anceps haesit s. doctor 1. c. cap. 7. Ne vero cum

(1) *u* Regnaverunt cum Iesu mille annis, animae scilicet martyrum nondum sibi corporibus suis redditis; neque enim piorum animae mortuorum separantur ab Ecclesia quae etiam nunc est regnum Christi..... Regnat itaque cum Christo nunc primum Ecclesia in vivis et mortuis. Propterea enim, sicut dicit Apostolus (Rom. XIV. 9.), mortuus est Christus. ut et vivorum et mortuorum dominetur. Sed ideo tantummodo martyrum animas commemoravit, quia ipsi praecipuo regnant mortui, qui usque ad mortem pro veritate certaverunt, sed a parte totum, etiam ceteros mortuos intelligimus pertinentes ad Ecclesiam, quod est regnum Christi. Quo vero sequitur: qui non adoraverunt bestiam..... simul de vivis et mortuis debemus accipere

milliariis regnum quod erit in aeterno triumpho, transferre videretur in hanc terram militiae, duo animadvertenda monuit. «) Alligatio diaboli per mille annos intelligitur non absoluta sed comparando priorem eius liberam dominationem in gentibus, « Ad hoc ergo ligatus est diabolus et inclusus in abysso, ut non iam seducat gentes, ex quibus constat Ecclesia, quas ante seductas tenebat, antequam esset Ecclesia. Nec enim dictum est, ut non seduceret aliquem, sed ut non seduceret, inquit, gentes, in quibus procul dubio Ecclesiam voluit intelligi... Alligatio diaboli est, non permitti exercere totam tentationem, quam potest vel vi vel dolo ad seducendos homines in partem suam, cogendo violenter fraudulenterve fallendo » ibid. c. 7. 8. Unde b) regnum hoc Christi in terris longe diversum est ab illo, de quo in fine saeculorum dicturus est: venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, « Interea dum mille annis ligatus est diabolus, sancti Dei regnant cum Christo etiam ipsi mille annis eisdem, sine dubio eodem modo intelligendis, id est isto iam tempore prioris eius adventus.....Regnant itaque cum illo etiam nunc sancti eius, aliter quidem quam tunc regnabunt... De hoc ergo regno militiae, in quo adhuc cum hoste confligitur, et aliquando repugnatur repugnantibus vitiis, aliquando cedentibus imperatur, donec veniatur ad illud pacatissimum regnum, ubi sine hoste regnabitur; et de hac prima resurrectione quae nunc est, liber iste sic loquitur n ibid, cap. 9.

Haec si vera sunt, et si deinde numero arithmetico humano assumantur *mille anni*, quibus Ecclesia, nova Ierusalem in terris speciali glorificatione manifestanda sit in nationibus, non quidem adhuc plene sed quantum huic « regno militiae » convenit; fortasse non deerunt, quibus ex historia in mentem veniant quidam probabiles termini huius *millennii Christiani*. In termino *a quo* observabunt quemdam profectum usque ad fastigium, ac vicissim in termino *aci quem* videre sibi videbuntur quamdam declinationem istius manifestationis in vita publica regnorum ac gentium, donec « discessio (η ἀποστασία) venerit » (2. Thess. II. 3.), discessio nimirum vitae publicae nationum a toto ordine



cliristiano et consequenter dissolutio totius ordinis socialis (1).

Ex epochis praecipuis profectus iste regni Christi manifestati *in rita publica nationum* considerari posset ab ineunte saeculo IV. ad saeculum VIII. labens et IX. iniens ac porro deinceps; in altero autem termino defectus vitae publicae Christianae paulatim invalescens cerneretur ab ineunte saeculo XIV. ad saeculum XVIII. labens ac nostrum XIX. cum secuturis, quae nondum in historia sunt aperta sed adhuc clausa in libro scientiae et providentiae Dei (cf. Apoc. V. 1-9.). Gradus vero utriusque inversi processus a tenebris ad lucem, a luce ad tenebras (sensu declarato) possent ita discerni. *Saeculo IV.* ineunte imperatores christiani; imperii idololatrae persecutiones finitae (mulier ebria de sanguine sanctorum et de sanguine martyrum lesu, in interitum ibit, cf. Apoc. XVII.). *Saeculo IV. exeunto ad medium saeculum V.* ultio sanguinis martyrum per reges barbaros, qui ipsi brevi adhuc tempore manent in idololatria (cf. Apoc. XVII. 12-14). *Saeculo V. exeunte saeculo I I. usque ad. IX.* barbari vincuntur ab Agno et uniuntur regno Christi (cf. Apoc. XVII. 14.). *Saeculo VIII. exeunte et IX. ineunte* constituitur imperium Christianum, *cita et res publica Christiana*; gladius sub gladio, spiritualis ab Ecclesia, temporalis pro Ecclesia exserendus:

(1) Sancti Patres non quidem certa sententia, ut nonnullis scholasticis visum est. sed coniectando opinandoque dixerunt, a discessionem de qua Apostolus loquitur, esse defectionem ac interitum Romani imperii. Tertullian. Apolog. c. 32; ad Scapnl. c. 2; de Resurrect. earn. c. 24; Lactant. Institut. 1. VII. c. 15. 25; Hieronym. ad Algasiam ep. 121. q. II; Augustin. Civit. Dei 1. XX. c. 19. (qui optime declarat rem hanc de imperio Romano esse in opinione positam, non ex certa interpretatione); Pseudo-Ambros. in 2. Thess. II. 1-4; Cyrill. Hierosolym. Cateches. 15. n. 12; Chrysostom, in 2. Thess. homil. 4. n. 1. [*discessionem* ait intelligi debere ipsum Antichristum hom. 3. n. 2; sed *quod eum retinet*, esse Romanum imperium). Ita etiam Theodoretus, Oecumenius, Theophilactns, ut fere solent, secuti Chrysostomum. Quae a Patribus explicata sunt de Romano imperio, quo tnm temporis ordo publicus continebatur videntur accipienda esse generalius et intelligenda non de interitu illius specialis formae imperii, sed de dissolutione universali totius ordinis socialis et de apostasia in vita publica ab ordine Christiano.

*u* quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens.<sup>^</sup> (cf. Apoc. XIX. 6; XX. 1-6.); Tota haec constitutio manifestationis regni Christi in vita publica nationum progreditur quidem successive in tempore, sed in consilio Dei se habet ut terminus unus Ecclesiae regnantis in terra. Pari ratione in altero extremo *discessio* (ἡ ἀποστασία) suos habet gradus suasque epochas, quae singulae interiectis mille annis respondent epochis, quas indicavimus in manifestatione regni Christi. *Saeculo XIV. ineunte* usurpationibus ac tyrannide potestatis saecularis in captivitate Avenionensi praeparatio schismatis. *Saeculo XIV. exeunte et XV. ineunto* magnum schisma. Ex connexis cum schismate *saeculo XV. exeunte* proxima praeparatio, *saeculo XVI. completio* magnae haeresis Protestantismi. Ex huius archihaereseos principiis protestantibus contra omnem auctoritatem religiosam ac proinde contra ipsam existentiam visibilis Ecclesiae *saeculo XVIII. exeunte et saeculo XIX.* deismus, pantheismus, atheismus; rebellio primum gallica, deinde universalis; imperium Christianum destructum; status politicus eiusque vita publica in toto orbe terrarum sine Deo, sine Christo, sine Ecclesia. Ligatus erat Satan per annos mille, *u* ut non seducat amplius *gentes*, donec consummentur mille anni; et post haec oportet illum solvi modico tempore... Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satan de carcere suo, et exhibit et seducet *gentes*, quae sunt super quatuor angulos terrae, Gog et Magog (1); et congregabit eos in praelium..... et circuierunt castra sanctorum et civitatem dilectam *n* Apoc. XX. 3. 7. 8.

(1) Gog et Magog ex Ezech. XXXVIII. et XXXIX. (vide Hier., in hh. 11.) nomina sunt hostium populi Dei. - Gentes quippe istae quas appellat Gog et Magog, non sic sunt accipiendae, tamquam sint aliqui in aliqua parte terrae barbari constituti..... toto namque orbe terrarum significati sunt isti esse.... Non utique ad unum locum venisse vel venturi esse significati sunt, quasi aliquo uno loco futura sint castra sanctorum et dilecta civitas; cum haec non sit nisi Christi Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, ac per hoc ubicumque tunc erit, quae in omnibus gentibus erit, quod significatum est nomine latitudinis terrae, ibi erunt castra sanctorum, ibi erit dilecta Deo civitas eius; ibi ab omnibus inimicis suis, quia et ipsi in omnibus gentibus cum illa erunt, persecutionis illius immanitate cingetur » Aug. Civ. Dei XX. c. 11



Verum huiusmodi supputationes mille annorum, ut patet, incertae omnino sunt, ut multo sit expeditius *mille annos* secundum alteram sententiam intelligere numerum divinum de toto tempore novi Testamenti, quaecumque futura sit eius diuturnitas.

## THESIS XX.

### *Gloria Christi finis Ecclesiae.*

c Tota Ecclesia tum in stadio militiae tum in statu triumpho intrin-  
- secus ex sua essentia ordinata est ad gloriam Iesu Christi, ut ad suum  
s finem: unde ipsius Ecclesiae exaltatio et intimus simul nexus intelli-  
■ gitur Ecclesiae veteris testamenti cum Ecclesia Christi in terris atque  
f huius cum Ecclesia finaliter consummata in coelis. ”

Quemadmodum ex Verbo incarnato ut institutore et causa efficiente, ut capite et causa quodammodo formali, atque ut causa exemplari (de quibus hactenus egimus); ita ex eodem Christo ut *causa finali* in se determinatur et a nobis intelligi potest ipsius Ecclesiae natura, vita et exaltatio.

Ecclesia veteris testamenti praeparatio erat et paedagogia ad Christum Gal. III. 24; Heb. VU. 19. Hinc primum quidem omnes gratiae totusque valor institutionum in ea a Christo adhuc futuro tamquam a fine pendebant; « finis enim legis Christus, n Rom. X. 4; III. 25; Heb. IX. 15. Deinde vero tota historia, instituta, sacrificia, sacramenta a Christo futuro tamquam a fine suam formam accipiebant, quoniam umbrae erant ac typi praefigurantes et praenuntiantes ipsum Christum Christique opera et instituta: u quae sunt umbra futurorum corpus autem Christi, » nimirum habent se ad Christum, sicut umbra ad corpus. Col. 11.17;

Multo igitur sublimius Ecclesia novi testamenti, ad quam illa vetus erat a introductio, n et quae est complexus omnium operum et charismatum Christi fundatoris, intelli-

gitur essentialiter in se, in sua forma, in suis donis, in suis institutis, sacerdotio, regno, magisterio, sacramentis, legibus, doctrina, in tota denique sua vita interna et externa finem habere glorificationem Iesu Christi, sui pei' proprium sanguinem redemptoris, acquiritoris et institutoris, sui capituli et exemplaris. Hunc finem gloriae Iesu Christi habet Ecclesia tum in praesenti stadio *militiae* tum in futuro statu pleni *triumphi* ex qua unitate finis, quamvis non ex hac sola, oritur mutua relatio et connexio inter Ecclesiam viatorum tendentium ad finem et comprehensorum quiescentium in fine, qui est gloria Christi et Dei. « Ipse habitat in Sion, quod interpretatur speculatio (1), et gestat (Sion) imaginem Ecclesiae quae nunc est, sicut Ierusalem gestat imaginem Ecclesiae quae futura est, id est civitatis sanctorum iam angelica vita fruientium, quia Ierusalem interpretatur visio pacis. Praecedit autem speculatio visionem, sicut ista Ecclesia praecedit eam, quae promittitur, civitatem immortalem et aeternam. .. Sed eam ipsam, quae nunc est, Ecclesiam nisi Dominus inhabitaret, iret in errorem quamlibet studiosissima speculatio. Et huic Ecclesiae dictum est: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos; et in interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Praecipitur ergo nobis, ut psallamus Domino, qui habitat in Sion, ut concorditer Dominum Ecclesiae inhabitatorem laudemus, annuntiantes inter gentes mirabilia eius. Et factum est, et non desinet fieri » Aug. in Ps. IX. or. 12.

I. Gloriam Iesu Christi ut finem Ecclesiae in stadio iam praesenti vitae mortalis intelligimus ex iis, quae dicuntur de ipso redemptore, de fidelibus redemptis, de Ecclesia ut obiectiva manifestatione Iesu Christi.

V. Christus redemptor sanguinem suum fudit ad sanctificandam Ecclesiam; - ut *ipse sibi* (κῦτο ἐκῦτω) exhiberet gloriosam Ecclesiam ὃ Eph. V. 27. Hinc Apostoli *properando Ecclesiam* velut paranymphe eam despondent « virginem castam exhibere Christo » 2. Cor. XI. 2. Adhuc expressius

(1) didetur Augustinus nomen Sian (P^ ) accepisse velut derivatum a Verbo ÎTV) *meditari* ΠΓΤ»Φ *meditatio*.



iidem Apostoli per evangelism colligendo gentes in Ecclesiam, ipsas gentes in Ecclesia atque adeo Ecclesiam collectam ex gentibus tamquam sacerdotes offerunt Iesu Christo « oblationem acceptam et sanctificatam in Spiritu Sancto » (1) horn. XV. 16. cf. Phil. II. 17.

2°. Progrediendo ex altero termino, qui sunt fideles in Ecclesia, ait Apostolus ipsos fideles esse finem proximum totius ordinis naturalis et institutionum ordinis supernaturalis, fidelium vero atque adeo Ecclesiae finem esse Iesum Christum, cui se totos debent et cui plene consecrati sunt; Christus homo denique -cum suo corpore Ecclesia totus est Dei. « Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura, omnia vestra sunt; *vos autem Christi*, Christus autem Dei » 1. Cor. III. 22. Sunt itaque fideles ex integro dicati et consecrati Christo etiam formaliter ut redemptori: « sive enim vivimus, Domino (τω κυριω) vivimus; sive morimur, Domino morimur; sive ergo vivimus sive morimur, Domini sumus; *in hoc (ει τουτο) enim Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur* » Rom. XIV. 7-9; 1. Cor. VI. 19.20; 2. Cor. V. 15; 1. Pet. I. 18. 19. Unde sicut ab ipso sunt omnia bona Ecclesiae ut a causa exemplari et meritoria et efficiente, ita etiam ad ipsum sunt ut ad causam finalem: Christus Iesus « factus est nobis sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio et redemptio, ut... qui gloriatur, in Domino gloriatur » 1. Cor. 30. 31.

3\ Multiformis sapientiae Dei et consiliorum quae erant ab aeterno abscondita in Deo, suprema manifestatio est in Verbi incarnatione, in investigabilibus divitiis Iesu Christi, in oeconomia salutis omnium gentium. Iam vero Verbi incarnati effectus, immo supernaturalium operum eius complexus, divitiarum Iesu Christi « depositarium dives » (2), oeconomiae salutis concreta realitas est Ecclesia. Hinc Ecclesia

(1) Είναι ἡ λειτουργία τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, ἱεουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον, τοῦ Θεοῦ, ἵνα γενηται ἡ προσφορά τῶν ἐθνῶν εὐπροσδοχτο, ἡγιασθ-ενη ἰν πνευματι ἁγιω. Expressiones omnes λειτουργό, ἱεουργεῖν, προσφορά desumptae sunt a sacrificiis.

(2) Irenaeus 1. III. c. 4.

ipsis etiam spiritibus coelestibus est obiectiva manifestatio harum omnium divitiarum Iesu Christi, et consequenter multiformis sapientiae et consiliorum Dei, adeo ut quemadmodum *finis operis* in mundo creato est manifestatio invisibilium Dei, quae naturaliter cognoscuntur (Rom. I. 20.), ita in mundo sanctificato i. e. in Ecclesia *finis operis* sit manifestatio invisibilium Dei, quae in Christo facta sunt visibilia et supernaturaliter cognoscuntur. Mihi data est gratia haec, ait Apostolus, « in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi (1), et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo (2), qui omnia creavit, *ut innotescat principatibus et potestatibus in coelestibus* (3) *per Ecclesiam* multiformis sapientia Dei, secundum praefinitionem saeculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro *n* (4) Eph. III. 9-11.

Tamquam obiectiva manifestatio gloriae Iesu Christi Ecclesia eo constituitur, quod Christus suam claritatem ei communicat, et a Christo in ipsam velut a sole in suum planetam claritas participata diffunditur. Pater clarificat Filium in divinitate generando, in humanitate exaltando; vicissim Filius est Patris clarificatio in substantia paterna sibi communicata, in humanitate assumpta factus obediens

(1) Τον ανεξιχνίασταν πλούτον του Χριστου divitias nempe ut sunt in Christo omnis plenitudo, et ut effunduntur ab ipso, a quo nos omnes accepimus. » ; i

(2) Φώτισα, παντα; , τι ή οικονομία του μυστηριου του αποζεϋρνααενου απο των αιωνων εν τω Θεω. Nimirum Apostolo data est gratia *illuminare* omnes verbo externo, ut illuminentur interne ab ipso Christo. Oeconomia mysterii absconditi in Deo ab aeterno, et in plenitudine temporum facto ipso manifestati, est mysterium incarnati Verbi cum toto eius opere, cum redemptione et salvatione omnium gentium; vide Coloss. I. 26-27.

(3) Ται άργαι ζαι τα. εξουσια.; εν τοι; έπουρανιοι , Principatus et potestates in coelesti hierarchia etiam alibi nominantur Eph. I, 20. 21; Col. I. 16; II. 10. Gradus, quos secundum praestantiam naturae etiam spiritus lapsi retinuerunt, iisdem nominibus designantur Eph. II. 2 ; VI. 12; Col. II. 15; 1. Pet. III. 22. cf. 1. Cor. XV. 24.

(4) Κατα προθεσιν των αιωνων, ήν έποιησεν εν Χριστω Ιησού. Praefinitio προθεσι; est alterum misericors Dei consilium salvationis per Christum Iesum, quod ab aeterno concepit in Verbo, et in tempore effectu ipso exsequitur per λ erbum incarnatum. De nomine προθεσι cf. Tract, de Deo el. 3. p. 743.



usque ad mortem et exaltatus super omne nomen (1), atque ita secundum utramque rationem licet modo diverso est «splendor (απαύγασμα) gloriae eius. » Filius Iesus Christus clarificat Ecclesiam redimendo morte sua. sanctificando et exaltando participatione claritatis suae in charismatibus internis et in muneribus externis; hac vero ipsa claritate sibi communicata vicissim Ecclesia est *splendor gloriae Iesu Christi*. Hoc totum divina sublimitate ab ipso Domino nostro declaratum habemus in ultima oratione ad Patrem coram Apostolis peracta. « Clarifica Filium tuum, ut Filius clarificet te; sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam aeternam. .. tui sunt, et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt, *et clarificatus sum in eis...* Et pro eis sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.....*Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis...* ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum η Io. XVII. 1. sqq.

II. Nunc clarificatio Ecclesiae in Christo Iesu, et Christi in Ecclesia sua nondum pervenit ad finem, sed augetur contionis incrementis pro mensura sanctitatis et claritatis proficientis in Ecclesia. Completo demum numero sanctorum, quando occurremus omnes in mensuram aetatis plenitudinis Christi, per finalem clarificationem membrorum consummabitur exaltatio nominis et glorificatio Iesu Christi. Haec est illa «revelatio» et «apparitio» et « gloriosa praesentia » Iesu Christi Filii Dei (ἀπο/αλυψι , φάνερωσι , επιφάνεια, παρουσία), quae toties in sacris litteris celebratur. « In revelatione Domini Iesu de caelo... cum venerit glorificari in sanctis suis et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt... ut clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in nobis (2) et vos in illo secundum gratiam Dei nostri et Domini Iesu Christi » 2. Thes. I. 7. sqq.

(1) Vide Phil. II. 6-11.

(2) Κατα την χάριν του Θεού ήμων και κυρίου Ιησού Χριστου. Non dicitur του Θεού και του κυρίου, sed sub uno articulo του Θεού και κυρίου; ideo utrumque praedicatum *Deus noster et Dominus* ad idem subiectum, ad eandem personam Iesum Christum pertinet. Vide Tract, de Trinit. th. III. n. I; de Incarnat, th. VI. n. II.

Finis itaque ad quem omnia ordinantur, est Ecclesia transferenda per statum militiae in statum Ecclesiae triumphantis, ut in hac et per hanc consummetur ultimus finis omnium, qui est gloria Dei et Agni. Omnes angeli, et qui « Deo redempti sunt sanguine eius ex omni tribu et lingua et populo et natione, » et « omnis creatura quae in caelo est et quae super terram et sub terra et quae sunt in mari voce magna omnem gloriam dant sedenti in throno et Agno, qui occisus est. Apoc. V. XXI. XXII.

IIT. Haec ipsa ordinatio et continua progressio Ecclesiae viatorum ad Ecclesiam consummatorum constituit et in se continet eandem relationem Ecclesiae novi Testamenti ad suum salvatorem in secundo adventu glorificationis, quae fuerat Ecclesiae veteris testamenti ad primum adventum redemptionis. Sicut intima ratio ac vita veteris Ecclesiae consistebat in praeparatione, spe et desiderio ad hunc primum adventum, tamquam ad finem suum, ita Ecclesia novi Testamenti habens redemptorem suum iam praesentem et redemptionem completam, continuis progressibus ut ad finem suum tendit et toto desiderio fertur ad *u* revelationem filiorum Dei » et ad manifestationem gloriae Iesu Christi in adventu secundo, ubi ultima inimica (ἔσχατο ἐχθρό) destruetur mors, et cum subiecta fuerint illi omnia, ipse Christus caput cum toto suo corpore in omnibus iam membris glorificato subjicietur ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus 1. Cor. XV. 24. sq.

In veteri Testamento patriarchis et prophetis praemonstratur futurus: *u* in quo benedicentur omnes gentes terrae; *v* venturus *u* qui est expectatio gentium; » oriturus ex Iacob, quem vident *a* sed non modo, *n* intuentur *u* sed non prope; *n* radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur; *v* dandus « in lucem gentium, salus usque ad extremum terrae; » dicitur *u* filiae Sion, ecce salvator tuus venit... et opus eius cum illo; *n* «veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria;» *u* et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis » etc.

17; Is. XI. 13; XLIX. 6; LXII. 11; Agg. I. 8; Mal. III. 1.



In novo Testamento horum promissorum possessio conjungitur cum expectatione consummationis in adventu secundo. « Apparuit (ἐπεφάνε) gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus... *expectantes beatam spem et adventum gloriae* (ἐπιφάνειαν τη δόξε) *magni Dei et salvatoris nostri I. Ch.* » 1. Cor. 1.7. « Conversatio nostra in caelis est, *unde etiam salvatorem exspectamus D. N. I. Ch.* qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae » Phil. III. 20. 21. « Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; *cam Christus appa-ruerit cita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria,* » Col. III. 3. 4. (1). Vide reliqua in thesi antecedenti.

(1) Frequenter Apostoli diem revelationis Domini proponunt fidelibus Christianis duplici scopo, tum ut in angustiis quibus premebantur, inde animi fortitudinem et consolationem haurirent, tum ut vitae sanctitate in illum sollicite se praepararent. Ante missionem Spiritus Sancti Apostoli ipsi sine dubio mox futurum putabant gloriosum regnum Iesu Christi; sed quando adhuc postea, manente iam in ipsis Spiritu veritatis, ita loquuntur, ut diem Domini quam primum exspectandum dicere videantur, tria animadvertentur oportet, a) *Tempus novissimum, ultimi dies* saepe sumuntur pro toto tempore novi Testamenti in comparatione cum veteri Testamento. b) *Finis vitae praesentis et post mortem indicium* particulare sane proxime futurum a singulis exspectari debet, status autem in quo index tum unumquemque invenerit, manet incommutabilis in diem revelationis Domini et in aeternum, c) Sicut in veteri Testamento spes omnis dirigebatur ad primum adventum Domini et ad eius Ecclesiam futuram, ita in novo Testamento spes et omne desiderium sanctorum fertur ad secundum adventum et ad ultimam glorificationem, quae sola huic ultimae in terris oeconomiae superest ut terminus expectationis, et in quam haec transitura est, sicut ipsa erat terminus oeconomiae antiquae. Unde mirum non est, Apostolos quandoque respicientes proximam liberationem per mortem, sine expressa distinctione temporis transiisse ad promissiones a Libertatis gloriae et redemptionis corporis » in secundo Christi adventu (cf. Rom. VIII. 19-28.); eo modo quo prophetae veteris Testamenti saepissime cum redemptione ex captivitate temporali coniungunt redemptionem per Christum, licet nunc ab altera pluribus saeculis esset divisa. Vide I. Cor. X. 11; Eph. IV. 30; Phil. I. 6. 10; I. Thess. V. 2; 2. Tim. I. 12-18; III. 1; IV. 8; Heb. X. 25. 37; 1. Io. II. 18. Iam primis temporibus in hanc Apostolorum praedicationem a quibusdam alienos sensus inductos fuisse discimus ex 2. Thess. II. 2-8. et 2. Pet. III. 9. 12-14. Temporis determinatio, quam Pater reservavit suae potestati. ipsis Apostolis vel omnino vel certe pro publica praedicatione erat abscondita Matth. XXIV. 3b; Marc. XIII. 32; Act. I. 7.

Unde sicut fides et spes sanctorum veteris Testamenti invocat primum adventum ut finem omnium desideriorum: - rorate coeli desuper, et nubes pluant iustitiam» Is. XLV. 8. ita suspiria Ecclesiae novi Testamenti anhelant ad glorificationem Iesu Christi in adventu secundo. «Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina: et spiritus et sponsa dicunt, veni; et qui audit, dicat, veni!» Immo omnium, quae ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, et consolationem Scripturarum spem habeamus, ultima recapitulatio et verba postrema sunt clamor spiritus et sponsae: «veni Domine Iesu!» Apoc. XXII. 17. 20.

Consideravimus hactenus ipsum divinum factum, quomodo Ecclesia a Christo fundatore sit instituta et constituta, ab Apostolis ex Christi mandato sub Spiritus Sancti directione secundum eam divinitus inditam formam propagata et amplificata; quomodo deinde eadem efficienter sit pretium ac opus redemptionis per sanguinem Christi, formaliter sponsa et corpus Christi sponsi ac capitis, exemplariter imago eius ac splendor relucens, finaliter tota ad eius gloriam externam. Nunc ex divina hac constitutione speciales proprietates Ecclesiae, prout in ipsa ea constitutione continentur, singillatim nobis deducendae sunt. Spectabimus nimirum Ecclesiam in sua constitutione visibilem et catholicam, infallibilem et sanctam, indefectibilem et apostolicam, unam et necessariam omnibus ad redemptionis applicationem aeternamque salutem.

### §. I. *De visibilitate Ecclesiae Christi in terris.*

#### Praenotio historica.

Ecclesiam a Christo constitutam esse visibilem nec aliam institutam quam hanc unam visibilem, inspecta ipsa historia institutionis et constitutionis, prout in Scripturis evi-



denter continetur et a nobis in superioribus est exposita, tain manifestum in oculos incurrit, ut speciali explicatione huius rei homini christiano non opus esse videatur. Hoc quidem sine dubio verum est, si res absolute per se spectetur; at vero Deformatores saeculi XVI. quantumvis alioquin Scripturam a claram et sufficientem n iactarent, hoc ipsum dogma in Scripturis lucidissimum penitus perverterunt; unde necessitas explicationis ac defensionis huius doctrinae inducta est maxima. Imo sicut apostatis illis tamquam fundamentum polemicum ad ceteras suas haereses adstruendas erant errores de Ecclesia, ita horum errorum ac consequenter totius haereseos fulcimentum in molimine adversus fidem catholicam erat ipsa haec negatio visibilitatis Ecclesiae, adeo ut hoc dogmate rite explicato et constituto haeresis ipsa tota etiam in ceteris suis partibus consistere non potuisset. Quoniam porro non nisi dira necessitas polemica adversus catholicos induxit haeresiarchas in hanc negationem, ex altera vero parte simpliciter persistendo in negatione visibilis Ecclesiae Christi in terris neque ipsi societatem aliquam saltem nomine et specie Christianam colligere neque eam quomodocumque collectam tueri potuissent adversus alias sectas ex ipsis eorum principiis in dies pullulantes, et quoniam insuper institutio visibilis Ecclesiae Christi in terris nimis erat evidens ex dictis et factis Christi ipsius et Apostolorum; hinc orta est quoad hoc caput doctrinae inter Protestantes incredibilis quaedam confusio et variatio sententiarum et explicationum inde a primis auctoribus usque ad hanc nostram aetatem, ita ut non modo diversi eorum magistri et diversis aetatibus, sed iidem homines uno tempore, ut ipse eorum haeresiarcha Lutherus, aliter atque aliter loquerentur pro diverso scopo polemico; negantes visibilitatem verae Ecclesiae in disputatione adversus catholicos et in defensione suae apostaseos, affirmantes eandem adversus alias sectas fanaticas; iterum negantes in defensione sui principii de independentia interpretationis privatae Scripturarum, affirmantes in conatu aliquam adhuc partem dogmatum Christianorum retinendi; porro negantes in defensione alterius sui principii de iustificatione per solam fidem, tum vero

iterum Ecclesiam visibilem affirmantes, quando disciplinam aliquam et scelerum repressionem in suis coetibus necessariam esse comperiebant (1).

Trimum nempe Deformatores toti erant in *destruenda* Ecclesia, affirmantes eam ex multis iam saeculis corrupisse

(1) Illi Protestantes qui hac nostra aetate ad destruendam necessitatem fidei dogmatum insistunt fundamentalibus principiis ipsius sic dictae Reformationis, saepe conqueruntur de inconstantia iam primorum « Reformatorum - et ceterorum deinceps theologorum suorum in retinendis et per omnes consequentias explicandis illis principiis, quorum primum ac totius aedificii velut lapidem angularem dicunt esse illud de *sola fide* nempe de *sola fide speciali* (fiducia peccati non imputati) instificante, quam propterea dicunt . vitam Christi in fidelibus. - Ex hoc autem principio *de sola fide iustificante* deducunt genuinam indolem miri negotii illius, quod ipsi fingunt et appellant Ecclesiam, ac nominatim eius invisibilitatem. - Ecclesia Protestantica, inquit, aedificatur in fide (singulorum), quae nullatenus, sicut in Ecclesia catholica, est fides dogmatum ab Ecclesia propositorum; sed est immediata vita Christi in singulis fidelibus. At dolendum est, neque a Reformatorebus neque deinceps ab Ecclesia evangelica hoc suum principium fuisse sincerum integrumque servatum; passim namque relabebantur ad notionem catholicam, concipientes fidem velut eam, qua credantur dogmata ab Ecclesia proposita.... Ex Protestantica notione *fidei* omnino vindicari potest sententia auribus orthodoxorum utique molestissima: potest quispiam esse *vere fidelis*, etiamsi ne unum quidem dogma Ecclesiae amplius admittat. Consideremus iam consecutaria quae ex hoc principio Protestantismi promanant quoad constitutionem Ecclesiae. Ecclesia nullo umquam momento suae existentiae in tempore potest spectari velut adaequata expressio ideae Ecclesiae; sed habet in se spiritum Christianum, efficacem in universitate fidelium, velut principium profectus in indefinitum..... Habitus quoque singulorum ad Ecclesiam omnino alius est in Protestantismo ac in Catholicismo. Singuli salutem suam habent non communione cum Eccle.-ia, sed immediata sua relatione ad Christum seu ad regnum coeleste: non Ecclesia facit eos Christianos, sed Christiani faciunt Ecclesiam; Ecclesia non est institutum aliquod supra singulos et supra communitatem, quod in se completum de coelo ad nos descenderit; sed ea a singulis semper nova producit, sicut historia teste prius erat fides et erant singuli fideles, atque horum demum conventionem inter se orta est Ecclesia..... Singuli in se habent principium salvificum, singuli sibi ipsis sunt sacerdotes coram Deo, unusquisque opus reconciliationis cum Deo ipse inter se et Deum suum perficiat oportet liberum habens accessum ad thronum gratiae. Hoc fecundissimo principio universalis sacerdotii Christianorum omnis specifica differentia inter Clericos et laicos sublata evanuit » Berolinenses Ephemerides Ecclesiae Protestanticae 29. Septembris 1855. (Ioerg Geschichte des Protestantismus in seiner neuesten Entwicklng. T. I. p. 136.). ■ ■ 'I



veram fidem Iesu Christi et pro fide divina induxisse in orbe terrarum inultos errores humanos totamque haerere in idololatria, Romanum Pontificem esse Antichristum, Episcopos catholicos, sacerdotes ac monachos esse ipsius Antichristi Apostolos sensu proprio, quo in Scripturis Antichristus praenuntiatus reperitur.

At vero si haec ita essent, Ecclesia a Iesu Christo fundata eiusque sanguine redempta ex multis iam saeculis tota periisset. Nihil ergo remansisset *reformandum*; sed instituenda fuisset omnino nova Ecclesia, quae hoc ipso non Iesu Christi fuisset sed alia Ecclesia novi institutoris, opus proinde meri hominis. Ex altera parte Christus Deus suam a se fundatam Ecclesiam evidenter promisit indefectibilem et hoc ipso in fide ac doctrina infallibilem fore sub sua ipsius perpetua tutela omnibus diebus usque ad consummationem saeculi et sub directione Spiritus veritatis cum ipsa docente et credente Ecclesia manentis in aeternum. His angustiis pressi apostatae illi, ne, id quod evidens erat, faterentur se ab Ecclesia Iesu Christi indefectibili ac proinde adhuc tum existente defecisse, ac dogmata Ecclesiae infallibilis atque adeo veritates certe a Christo revelatas negasse, cogebantur comminisci novam doctrinam de ipsa natura Ecclesiae, seu potius negare rem ipsam retento solo nomine Ecclesiae, fictione non minus quidem evidenter contraria Scripturis, sed interim tamen sufficienti ad speciem aliquam pro vulgi ignorantia impiae rebellionis obducendam.

*Ecclesia promissionum*, aiebant, quae sola est vera Ecclesia Christi ex eius promissis indefectibilis, sancta et universalis, non constat nisi *solis membris sanctis* (iuxta Lutheranos) vel *praedestinitis* (iuxta Calvinianos). *Sola fide speciali* singuli Christiani apprehendunt merita Christi et iustitiam qua ipse iustus est, per eamque sibi imputatam ipsi singuli *iusti non sunt*, sed coram Deo *habentur velut iusti*. Isti igitur sunt sancti et (iuxta Calvinianos) praedestinati (nam qui praedestinati non sunt, nullam umquam fidem et nullum fructum ex verbo et sacramentis percipiunt, sed ex eis ad suam damnationem magis indurantur); atque ex horum omnium et solorum numero *vera Ecclesia*

*promissionum* constituitur (Γ, ? on potestate aliqua vel ministerio divinitus instituto formantur ab Ecclesia et generantur. sed ipsi formant et generant Ecclesiam; singulique sibi ipsis sunt sacerdotes, non per ministerium Ecclesiae et in Ecclesia sanctificati, sed per suam quique fidem specialem immediate conceptam virtute Spiritus Sancti quae verbo inhaeret, Christi meritum apprehendentes et ita Christo capiti uniti tamquam sola vera eius membra. In hac immediata singulorum unione cum Christo excluso ministerio Ecclesiae stulte gloriari solent consistere praestantiam suae Ecclesiae (quae revera *Ecclesia* non est) prae Ecclesia catholica, quam dicunt intercedere mediam inter Christum et singulos fideles. Quasi vero infallibilis doctrina fidei, sancta disciplina, gratia sacrificii et sacramentorum

(1) In libris symbolicis Deformatores ab articulo fidei de Ecclesia cursim. ac si in ferro ignito incederent, conantur se expedire. « Praedicamus beneficium Christi, quod fide (fiducia speciali) in Christum consequamur remissionem peccatorum, non cultibus excogitatis a Pontifice. Porro Christus, prophetae et Apostoli longe aliter definiunt Ecclesiam Christi, quam regnum Pontificum. Nec est ad Pontifices transferendum, quod ad veram Ecclesiam pertinet, quod videlicet sint columnae veritatis, quod non errent..... Quare nos iuxta Scripturas sentimus, Ecclesiam proprie dictam esse congregationem sanctorum, qui vere credunt evangelio Christi (quo intelligent promissionem factam singulis peccata eis propter Christi merita non imputari, et habent Spiritum Sanctum. Et tamen fatemur. multos hypocritas et malos his in hac vita admixtos habere societatem externorum (massa ecclesiastica)..... Neque videmus, cum Ecclesia proprie dicta appelletur corpus Christi, quomodo aliter describenda fuerit, quam nos descripsimus; constat enim impios ad regnum et corpus diaboli pertinere, qui impellit et habet captivos impios s Apolog. Confess. August, ad articulum VII. (Libri symbolic! Lutheran, ed. Meyer p. 92.).

- Ab initio fuisse et nunc esse et in consummationem usque mundi futuram unam Ecclesiam constanter credimus, id est, societatem et multitudinem hominum a Deo electorum, qui illum recte per veram fidem in Iesum Christum colunt et **amplectuntur**, qui eiusdem Ecclesiae solus est caput, quae etiam est corpus et sponsa Christi Iesu, quae Ecclesia est etiam **catholica**, id est, universalis, quia electos omnium saeculorum, regnorum. nationum et linguarum continet, sive sint ex Iudaeis, sive ex gentibus..... Haec Ecclesia est invisibilis soli Deo nota, qui solus novit, quos elegit; comprehenditque, sicut dictum est, tam electos defunctos, qui vulgo Ecclesia triumphans vocantur, quam eos qui adhuc in hac vita supererunt militantes adversus peccatum et Satanam, et posthac sunt victuri » Confess. Scotiae I. n. 16. (Confessiones Reformatae ed. Niemeyer p. 348.).



quae non Ecclesiam habent auctricem sed a Christo auctore per Ecclesiam ministrantur singulis, non illud ipsum esset, quo Spiritus Sanctus fidem, spem et charitatem infundit et conservat in singulis sanctificatis eosque unit immediate cum Christo et Deo, et quasi unio membrorum inter se impedimento esset, et non potius tum conditio necessaria ad unionem immediatam eorundem cum capite, tum eius effectus: « ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.... ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum » (Io. XVII. 21. 23.).

Secundum istam igitur haeresiarum theoriam homines quidem sunt utique visibiles, sensibilis est etiam Scriptura et verbi praedicatio et sensibilia sunt « verbi adminicula » sacramenta; et ista sunt « signa externa » dumtaxat, et quatenus visibilia, non sunt propria attributa verae Ecclesiae, sed communia etiam massae damnatae quae solo nomine non re ipsa, non ex veritate sed per dissimulationem veritatis dicitur Ecclesia Christi; nam illa omnia, quibus homines uniuntur Christo atque ita ingrediuntur numerum componentium veram Ecclesiam, fides suscepta, per hanc fidem imputata iustitia, sacerdotium proprium omnibus et solis iustis, aut denique absoluta antecedens praedestinatio, haec inquam omnia soli Deo comperta sunt, hominibus vero occulta ac prorsus invisibilia, hocque ipso invisibilis est Ecclesia vera, cum haec non sit aliud quam numerus computatus omnium sanctorum aut praedestinatorum. Quum itaque auctores rebellionis furiosam suam praedicationem, qua debacchabantur in totam per orbem terrarum Ecclesiam tamquam Christo inimicam et synagogam Antichristi, necesse haberent conciliare cum institutione et promissis Christi quibus certi reddimur, ipsum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi futurum cum sua per hanc ipsam, institutionem ac praesentiam indefectibili Ecclesia, atque adeo quum oporteret ostendere aut aliquid saltem dicere, ubinam sit et per tot saecula dominantis Antichristi fuerit vera illa Ecclesia promissionum; respondebant Deum sibi semper conservasse aliquos sanctos sed occultos et in medio nationis pravae latentes, horumque numerum per orbem terrarum diffusum fuisse et esse veram Ecclesiam.

Huic suo dogmati eum ceteris connexis de verbo Dei claro et non indigo interpretationis, quo unusquisque sibi ipsi sit sacerdos sibi que solus sufficiat, ac de sola fide speciali iustificante, insistebant primo in stadio, quando ad avertendos populos ab Ecclesia, et (si fieri potuisset) ad destruendam Ecclesiam omnibus viribus contendebant. At vero cum rerum omnium perturbatio, sectarum diversarum infinita colluvies, et fanaticarum multitudinum cruentae rebelliones ex illis ipsis principiis exortae mox manifestum redderent, in istis fundamentis nullam societatem religiosam, nullum ne ad speciem quidem ordinem ecclesiasticum posse constitui, resque civiles ipsas in ruinam trahi; tum demum de ministerio ecclesiastico eiusque auctoritate, ac proinde de Ecclesia visibili et de Ecclesiae constitutione nova substituenda antiquae solliciti esse coeperunt. Sed hoc opus, hic labor, ut evidenter contradictoria simul conciliarentur! Nimis absurdum est, quod aliquando conarentur, et pauci illi adhuc superstites, qui se Protestantes orthodoxos dicunt, usque ad haec tempora conantur in pugna quidem adversus catholicos retinere notionem Ecclesiae invisibilis in ipsis principiis fundamentalibus totius haereseos expressam, simul autem ad suam religiosam societatem continendam et adversus alias eiusdem originis sectas defendendam asserere et serio vindicare sibi Ecclesiam visibilem et indefectibilem a Christo institutam atque inde ab Apostolis permanentem usque ad ipsos hos « orthodoxos » perductam. Hac enim catholica notione visibilis Ecclesiae promissionum constituta, ex ipsa « Reformationis » origine et historia evidens est etiam caecis, totam defectionem saeculi XVI. ac proinde sectas istas omnes, inclusa « orthodoxa, » non esse nisi synagogas rebelles adversus veram indefectibilem Ecclesiam Iesu Christi (1). Ut hanc evidentem consequentiam, quam in primis et ante omnia amoliri eis ratum et fixum est, quomodo demumcunque effugiant,

(1) Protestantismus se ipsum destrueret (ait Protestans Winer in u Comparatione professionum diversarum Ecclesiarum §. 19.)» si Ecclesiam agnosceret secundum suam essentiam ut externam institutionem, » nempe ut ab ipso Christo institutam visibilem



plerique integrum, conservant principium fundamentale, ex quo velut ex matrice suam trahunt originem, Ecclesiam promissionum a Christo institutam fuisse et esse invisibilem. Tum vero ab hac vera Ecclesia sanctorum seu praedestinatorum distinguunt « massam ecclesiasticam, » quae est utique visibilis. Ad hanc « massam, » visibilem in qua vera Ecclesia latet invisibilis, aliqua disciplina ac τζολιφειζ continendam, requiruntur ministeria quaedam et instituta ecclesiastica, quibus componitur « constitutio Ecclesiae, » Sed haec « constitutio » humanae est originis, et ideo mutabilis, pro diversis temporibus et locis diversa. Hoc posito, ratio sane nulla erat, hanc Ecclesiam visibilem cum sua constitutione humana distinguendi velut sui iuris diversam a civitate terrena ac regimine politico; unde necessario consequeretur id, quod in Protestantismo ubique factum esse videmus, ut reges seu principes politici sub nomine ab Ecclesia catholica mutuato *supremi Episcopi* non minus et eodem iure sic dictam Ecclesiam nationalem gubernent, sicut sub nomine *principis* regunt alias res politicas ac civiles. Quod vero dicunt, principem non *regia* potestate sed velut *membrum praecipuum Ecclesiae* fungi supremo illo *episcopatu*, patet hanc fictionem ad illudendum plebibus excogitatam quoad rem ipsam nullius esse pretii, praesertim cum ex principiis Protestantismi paulo ante expositis de nullo sive rege sive magistratu constare possit, ipsum esse membrum verae Ecclesiae; si autem eum dicunt solummodo « membrum praecipuum » massae illius quae non est vera Ecclesia, evidenter totum hoc negotium « *supremi episcopatus* » politicum est, fundatum in potestate regia et civili, nequaquam vero in praerogativa membri Ecclesiae. Ex hac historica expositione status quaestionis tria sunt manifesta.

Γ. Ex ipsis fundamentalibus principiis Deformationis excluditur omnis notio Ecclesiae divinitus a Christo institutae; atque adeo in sectis istis sive singulis sive omnibus nulla est, ne specie quidem, Ecclesia Christi. Si enim Ecclesiam dicant illam congregationem visibilem, ea cum tota sua constitutione opus humanum est ac terrenum; illa vero quam aiunt esse divinae originis sed *invisibilem*, profecto

*Ecclesia* non est, cum ibi singuli ab omnibus aliis independentes et aliis incogniti per se consistant sibi que sufficient, adeoque *numerum* quidem soli Deo notum, nequaquam autem *Ecclesiam* constituent, in qua divinis institutis, ministeriis ac potestatibus formata *u* multi *unum corpus* sumus iu Christo, singuli autem alter alterius membra » Rom. XIII. 5.

2°. Evidens est contradictio in ipsis principiis ex quibus coorta est et quibus innititur tota Deformatio. Ne de aliis multis antilogiis nunc dicamus, ex una parte affirmabant claram esse ac omnibus perspicuam Scripturam, ut quoad credenda et sequenda nullo opus sit interprete; tum vero ex altera parte dogmata ipsa fundamentalia de Ecclesia, quae saltem quoad rei summam revera in Scripturis sunt clara et perspicua (1), negabant; bisque substituebant principia ad suam apostasin necessaria, quae in Scripturis non solum non continentur nec clare nec obscure, sed manifestissime excluduntur.

3\ Patet ex ipso statu quaestionis, quanti doctrina de visibilitate Ecclesiae promissionum sit momenti tum ad totam doctrinam revelatam retinendam ac vindicandam adversus omnes haereses, tum ad rite perspicendam non solum impietatem sed etiam absurditatem rebellionis saeculo XVI. coeptae et in ultimis suis consecutariis in dies magis manifestae. Ad huius igitur dogmatis declarationem nunc progredimur.

(1) - Quomodo autem confidimus in divinis litteris accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus et Ecclesiam manifestam? \* Aug. ad Vincent, ep. 93. n. 23.



## THESIS XXI.

### *Visibilitas Ecclesiae in incommutabili Christi institutione.*

¶ Ecclesia novi Testamenti non facta humano sed institutione divina est religiosa societas visibilis; Christus enim Deus-homo divinam religionem pro hominibus non solum in animis latentem sed in visibilibus rebus et institutis velint incorporatam fundavit, quae ipsa per professionem unius fidei, per disciplinam morum, per sacramenta sanctificationis ac cultus divini unam societatem hominum religiosam coningunt. Unde Ecclesia in terris non alia visibilis alia invisibilis est, sed ipsamet Ecclesia Christi visibilis proprietates habet etiam invisibiles; nec alia Ecclesia est conspicua alia per fidem credenda, sed ipsamet Ecclesia quae visibilis est, ut obiectum divinae revelationis et subiectum supernaturalium attributorum fide creditur; ac proinde « eadem una visibilis Ecclesia est etiam Ecclesia divinarum promissionum. »

I. Quaestio non est, si diligentius rem inspiciamus, utrum Ecclesia *quam* Christus instituit, sit visibilis, sed quaestio est, an Christus Ecclesiam *ut visibilem* instituerit; non *materialiter* de visibilitate Ecclesiae Christianae, sed *formaliter* de Christiana visibilitate Ecclesiae agitur. Nulla datur societas humana, nulla inter homines societas religiosa, et ut comparisonem arctius restringamus, nulla datur secta haeretica, quae non contineatur suis nexibus, compositae humanae naturae ad formandam societatem quamcumque ac nominatim religiosam necessariis, adeoque externis etiam ac sensibilibus. « In nullum nomen religionis seu verum seu falsum *coagulari* homines possunt, *nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur*, quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum » (s. August, cont. Faust. 1. XIX. c. 11.). Verum compages et nexus illi sensibiles sequuntur naturam ipsius societatis, cuius (quatenus est *societas*) sunt ratio formalis propria ac proinde in naturalibus societatibus humanis institutis huiusmodi vincula sunt humanae

institutionis; in religionibus falsis et in sectis haereticis (ut religiones ipsae) sunt non solum hominum inventa sed etiam impietatis commenta; si quae vero a sectis retenta sunt velut reliquiae ex religione divina, ea non ad sectas formaliter ut tales, sed ad societatem religiosam pertinent divinitus institutam, a qua defecerunt et cui tamen semper quamvis rebelles obligantur (1). Certe igitur etiam in societate a Christo instituta, in Ecclesia Christi compages unionis, quibus ipsa societas unitorum formatur et intrinsecus constituitur, secundum naturam huius societatis humano-divinam visibiles sint oportet, secus *humana societas et Ecclesia in terris* non esset, et sint ab ipso Christo fundatore inditae, secus societas et Ecclesia *divina* non esset et *Christiana*. Sine huiusmodi enim « signaculorum visibilium consortio » mente forte concipi potest (per quamdam abstractionem) *numerus* Deum religione divina colentium, sed nulla hominum Deum colentium *societas*, cum desit ipsa essentialis forma societatis; et si numerus deinde hominum ipsa velut natura cogente per talem visibilium signaculorum formam in consortium coiret, *societas* foret non divinitus sed opera humana instituta. Ipsum igitur nomen *Ecclesia*, quando agitur de Ecclesia inter homines, implicitam habet significationem essentialis *visibilitatis*, non solum ratione materiae, quia hominibus visibilibus constat, sed maxime et proprie ratione formae, quia est *societas* hominum. Quam ob rem quaerere utrum Christus instituerit Ecclesiam *visibilem* perinde prorsus est ac quaerere, utrum instituerit *Ecclesiam in terris*; qui vero loquuntur de instituta divinitus *Ecclesia in terris invisibili*, coniungunt terminos se invicem excludentes. Hinc est, quod Lutherus eiusque sectatores in illis documentis, in quibus tuentur suum conceptum *invisibilitatis*, etiam ipso sacro nomine *Ecclesiae* expuncto dixerunt nomine profano *communitatem* (gemeinde). Nam praeciso numero sanctorum quem soli Deo cognitum, nobis vero omnino invisibilem et incompertum dixerunt, Ecclesia quam deinceps ipsi efformare conati sunt, non poterat esse aliud quam

(1) De hac re inferius pluribus dicemus



e communitas » politicis institutis coagulata. Idcirco sine ulla contradictione tam multa de mutandis constitutionibus suarum *u* communitatum *n* disputare possunt; eo vero maior est contradictio in verbis et iniqua crudelitas in factis, dum nunc palam profiteri solent, se *a* non contra Ecclesiam catholicam sed contra hierarchiam, » qua sacra constitutio a Christo incoinmutabiliter suae Ecclesiae indita continetur, bellum movere, atque salva catholica fide et Ecclesia constitutionem eiusdem mutari posse sibi fingunt.

II. His praenotatis iam ex tota antecedenti tractatione nostra non minus manifestum est, Christum suam Ecclesiam condidisse ut *visibilem*, quam certum est, Christum aliquam suam Ecclesiam in terris instituisse. Absolute loquendo potuit Deus revelationem et religionem suam supernaturalem ita dare hominibus ut singulos ipse per se revelatione aut inspiratione immediata constitueret prophetas in doctrina, sanctos in disciplina, sacerdotes in divino cultu sibi sufficientes, adeoque nullo authentico magisterio, nullo divinitus instituto regimine, nullo peculiari sacerdotio coniuuctos. Quae in tali hypothesis foret convenientia inter multos in fide, in disciplina, in cultu divino, ea non vinculis visibilibus contineretur, sed tota deberetur soli invisibili internae singulorum inspirationi, quae in omnibus ioret eadem ab uno Spiritu; nec proinde foret unitas *socialis* divinitus instituta, ac propterea nulla divinitus instituta *Ecclesia* sensu biblico vocabuli, quia licet dici posset *numerus* fidelium, singuli tamen per se consistentes non forent partes ac membra alicuius totius organice uniti, cuiusmodi *Ecclesia* in Scripturis exhibetur, *a* Ipse dedit Pastores et Doctores ad consummationem (1) sanctorum i

(1) Προ καταρτισμόν ad membrorum conjunctionem et ordinatam dispositionem datum est a Christo ministerium Pastorum et Doctorum: per has enim iuncturas subministrationis a Christo capite descendentes totum corpus harmonice compactum est et connexum (συναρμολογούμενον και συμβι-  
^αζόμενον δια "αση άση τη επιχορηγια); et per has inacturas quae sunt organa visibilia subministrationis invisibilis fit, quod Christus rogavit et utique impetravit non pro Apostolis tantum « sed et pro iis qui credituri sunt per verbum eorum, » ut omnes « sint consummati in unum » (Io. XVII. 20-23.).

opus ministerii, in aedificationem (ἐπι οἰκοδομήν) corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei.....ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in astutia hominum... Caput Christus ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis.. .. augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate » Eph. IV. 11-16.

Illa vero mere spiritualis in singulis propria ac independens oeconomia forte beatis in termino (1) non autem hominibus redemptis in via congruens, iam a *priori* saltem undequaque improbabilis esset; *a posteriori* ex historia, ex revelatione ipsa, ex perpetuo evidenti facto certum prorsus est, numquam sive in veteri sive multo minus in novo Testamento a Deo revelationem ac religionem generi humano communicatam fuisse modo illo descripto, qui non nisi per providentiam extraordinariam nobis occultam in specialibus quibusdam casibus quadamtenus admitti potest (2). «Quid cum singulis agatur (providentia illa extraordinaria), Deus qui agit, atque ipsi cum quibus agitur, sciunt; quid au-

(1) In ipsa etiam Ecclesia coelesti, ubi Dens est omnia in omnibus, hierarchiae sunt et ordines diversi secundam diversa dona, secundum diversas operationes et secundum illuminationes inferiorum a superioribus. - Etenim non solum superioribus et inferioribus mensuris, sed etiam coordinatis (nisi sunt unius eiusdemque hierarchiae) a supersubstantiali rerum omnium primordiali ordinatore lex ista constituta est, ut per singulas hierarchias primi essent ac medii novissimique ordines ac virtutes, inferioribusque diviniore (Deo propinquiore) mystice essent et manductores ad divinum accessum, divinamque illustrationem ac communionem» (in illustrationibus nempe et communicationibus accidentalibus, non in beatifica visione essentiali). Κχ' γὰρ οὐ μόνον ἐπι τῶν ὑπιοζειαένων τε ζαι ὑφειαένων νοῶν. ἀλλὰ ζ.άν το:: ὁχοταγεσ.. / οὐτο ὁ θεσμὸ ὠρ'-σται παρα τζ πάντων υπερουσίου ταξιαρχία , το καθ' ἐζαστην ιεραρχίαν πρωτα και μεσα και τελευταία εἶναι τάξει τε και δυνάμει , και των ἡττωνων εἶναι του Θειοτερου; μυστα και χειραγωγού επ: την Οηιαν προσαγωγήν και ελλαμύιν και κοινωνίαν, Dionys. Cocleat. Hierarch, c. 4. n. 3, Eodem autem auctore a nostra sacratissima hierarchia est coelestium hierarchiarum quaedam snpermundana imitatio. \* των ουράνιων ιεραρχιών υπερκόσμιο μιμησι . Ibid. c. 1. n. 3. Vide Clement. Alex, supra f. 45. p. 2. et consule Petav. de Angelis l. II. c. 5. cf. s. Th. 1. <[. 106. a. 1. a H H

(2) Confer s. Thornam de Verit. Veritat. qu. 14. a. 11: 3. dist. 25, q. 2. a. 1. x



tem agatur cum genere humano (providentia ordinaria), per historiam commendari voluit et per prophetiam » (supernaturalibus factis ac revelatione publica). Aug. de vera Religione c. 25. n. 4G.

Atqui hisce factis et hac revelatione certissime constat, Christum Dominum (quoniam de Ecclesia novi dumtaxat Testamenti agimus) totam suam religionem non aliter instituisse nisi velut formam exstantem et sese exhibentem in visibili Ecclesia, ut sit Christiana religio velut incorporata in Ecclesia et per eam ipsa religio facta visibilis (1), atque adeo ut totum opus Christi revocari possit ad foundationem huius suae Ecclesiae socialis ac proinde visibilis, quam acquisivit sanguine suo et sibi (αὐτὴν ἑαυτῷ) exhibuit gloriosam (vide thés. VI. η. 1 ; VII. η. II.).

Sane tota religio Christiana continetur veritate doctrinae revelatae ad credendum in fide, sanctitate praeceptorum et disciplina ad vivendum opere operantis in spe et charitate, mysteriis sacrificii et sacramentorum ad adorandum Deum in perfecto cultu, et ad sanctificandos homines in gratia opere operato. Atqui haec omnia ac proinde totam suam religionem Christus non instituit nisi ut elementa informantia suam Ecclesiam *in authentico magisterio* Apostolorum et successorum apostolicorum usque ad consummationem saeculi, cui ex eadem institutione respondeat totius Ecclesiae non interna solum fides sed unitas etiam praedicationis et professionis; *in sacro imperio* seu potestate regiminis eorundem legatorum Christi, quo per proprias leges, per indicia, per sanctiones vita Christiana in tota Ecclesia dirigatur non solum virtutibus internis sed disciplina quoque et actibus externis, qui tum ut fructus manifestantes tum ut incitamenta et adiumenta virtutum sunt proximum obiectum sacri regiminis; *in peculiari sacerdotio* tandem, quo iidem sacri doctores et pastores sunt insi-

(1) Tertullianus definit Ecclesiam « corpus de conscientia religionis » Apologetic, c. 39. Sicut Paulus de Filio Dei qui « invisibilis in suis factus est visibilis in nostris, » dicit (Col. II. 9.) in ipso incarnato « habitare omnem plenitudinem divinitatis *corporaliter* η (σωμ.ατιζω); ita dici potest plenitudo divinae religionis exstare in Ecclesia Christi *corporaliter*.

iti, ut sacrificent corpus Christi reale sub visibilibus speciebus nomine et cum participatione totius Ecclesiae ad divinum cultum, pro tota Ecclesia ad communem fructum; atque ut corpus Christi mysticum seu ipsam Ecclesiam in singulis suis membris sanctificent visibilibus sacramentis.

Haec porro omnia elementa, ex quibus et in quibus Christus suam Ecclesiam formavit, ita mirabili complexione in unitatem coalescunt, ut iidem qui sub una ratione doctores, pastores, sacerdotes dati a Christo ad docendum, regendum, sanctificandum praesunt, ipsimet singuli sub ratione alia subsint docendi, regendi, sanctificandi, atque adeo pertinentes sub una ratione ad Ecclesiam docentem, sub ratione alia pertineant ad Ecclesiam discentem seu audientem, si excipias supremum pastorem et doctorem, visibile caput Ecclesiae, de quo tamen ipso id quadamtenus valet, quoad definitiones scilicet doctrinae a magisterio iam factas, quoad iurisdictionem fori interni, et quoad sanctificationem per sacramenta (1).

Talem, ut nunc indicamus, Ecclesiam, ac proinde non nisi sub hac forma concreta religionem a Christo esse institutam, ex antecedentibus thesibus est manifestissimum, ut ulteriori demonstratione non indigeat. Vide th. VI-IX. In hisce igitur visibilibus elementis Ecclesia ab ipso suo divino fundatore est instituta et ex his componitur, ita ut si vel unum detrahas, eoque magis si omnia visibilia elementa quatenus societatem informant et efformant, neges et auferas, quemadmodum a Protestantibus factum est et ex eorum principiis necessario consequitur, nulla amplius

(1) Audivi canonistam quem iam satis aliquin eruditum magna contentione disputantem, Romanum Pontificem non esse nec recte dici posse - membrum Ecclesiae, - ac si caput corporis sive physici sive moralis membrum corporis praecipuum non esset, a quo reliqua omnia membra dependeant et in unitatem vivificam couiungantur ac contineantur. Si corpus Ecclesiae in suis membris subordinatis consideras *distinctum* a suo capite visibili, illud consideras inadaequate; si consideras a capite « *parturatum*, ipsum « corpus a Christo compactum et connexum » dissolvis non secus ac illi Gallicani quondam et Febroniani, qui Concilium oemmenicum ponebant seorsum imo et discors a Romano Pontifice, ac visibilem formam essentialem Concilii universalis atque adeo Concilium ipsum destruebant.



supersit Ecclesia Christi Proinde character visibilitatis est ita essentialis, ut sine illo Ecclesia Christi in terris ne mente quidem, concipi possit; sed ea vel nulla vel visibilis dici debeat.

Longe aliud vero est dicere elementa Ecclesiae esse visibilia atque idcirco non aliam dari Ecclesiam Christi in terris nisi visibilem, et aliud esset dicere in his elementis nullas esse proprietates, nullas virtutes ac vires efficaces, quae sint per se invisibiles. Hoc alterum iam ex data descriptione elementorum Ecclesiae manifesto apparet absurdum; neque enim Ecclesia cadaver est sed supernatural! virtute ac vigore vivens corpus Christi. Sicut Christus caput et exemplar non est Christus, §i cum Photinianis aut Nestorianis visibilis humanitas tantum spectatur, nec Christus est si cum Monophysitis spectetur sola invisibilis divinitas; sed est unus Christus in et ex invisibili ac visibili natura « (ex duabus et in duabus naturis inconfuse et indivise) : *n* ita corpus Christi mysticum Ecclesia non est, nisi quatenus elementa eius visibilia informantur et in sua propria ratione constituuntur proprietatibus ac dotibus divinis, quae in ipsis elementis visibilibus per se invisibilia non nisi fide et intellectu per fidem illustrato percipiuntur. Sic doctores et pastores et sacerdotes a Christo instituti externis etiam signis ex eadem Christi institutione in perenni successione discernuntur; sed infallibilitas magisterii, auctoritas sacri imperii, potestas sacerdotii inest quidem ipsis visibilibus gestoribus et exseritur visibilibus actibus, in se tamen ipsa invisibilis manet obiectum solius fidei. Idem valet de visibilibus sacramentis et sacrificio prae efficaci virtute sanctificandi et prae victima sub alienis speciebus; nec minus de membris Ecclesiae in sua visibili initiatione, professione, disciplina ac vita Christiana, si haec elementa visibilia comparentur cum interna per se invisibili fide et sanctificatione. Brevissime dici potest Ecclesia *tota* quidem sed non *secundam totum* visibilis. Vide haec plenius demonstrata superius.

Non igitur in eo posita est haeresis Protestantium, quod affirmant esse essentialia aliqua elementa invisibilia in Ecclesia Christi; id enim verissimum est et ex fide ca-



tholica certissimum; imo longe plura sunt et nobiliora et efficaciora elementa illa invisibilia, quam quae Protestantes admittunt; unde non minus errant negando aut pervertendo id, quod vere per se invisibile ex institutione Christi et dono Spiritus Sancti inest Ecclesiae, quam negando aut pervertendo id, quod ex eadem Christi institutione et Spiritus Sancti operatione est ac perenniter manet elementum Ecclesiae conspicuum.

IV. Ex dictis iam etiam apparet, quomodo visibilis Ecclesia Christi sit obiectum fidei, de qua re dicendum est, non solum ad amovendam illam ultra omnem captum absurdam adversariorum conclusionem, « vera Ecclesia fide creditur, ergo est invisibilis; » sed multo magis ad ipsam genuinam visibilitatis notionem illustrandam.

Sicut in obiectis ordinis naturalis visibilitas relata ad actum humanum spectanda est non pro mera perceptione sensili, sed pro perceptione sensili coniuncta cum intelligentia **rationali**, siquidem ipse humanus actus perceptionis per sensus rationalis est, non autem mere materialis sicut in brutis; ita res religiosae etiam quae sunt visibiles, constituuntur, quatenus religiosae sunt, obiectum intelligentiae non mere naturalis sed illustratae per fidem. Dicere possumus: sicut considerationem humanam a perceptione mere animalis eorundem obiectorum sensibilibus distinguit ratio, ita obiectorum sensibilibus ad revelatam religionem pertinentium considerationem *christianam* a mere humana perceptione distinguit fides, adeo ut eadem sensibilia per illud ipsum quo constituuntur obiecta revelatae religionis, constituentur etiam obiecta supernaturalis fidei. Sic sacramentum christianum sine dubio est sensibilis ritus, infideli non minus quam fideli conspicuus; at illud quo ritus ipse sensibilis constituitur in ratione sacramenti christiani (divina nempe eius institutio et supernaturalis efficacia) non sensibus patet sed fide credendum est; et hac fide consideratio Christiana fidelium ab humana perceptione infidelium quoad eundem ritum visibilem omnino differt. Neque vero ideo quia supernaturalis dignitas et virtus sacramenti non sensibus percipitur, quisquam negabit sacramentum in quo creditur illa dignitas et virtus, esse visibile; aut vicissim

dicet sacramentum quod est visibile, non esse obiectum fidei divinae. Fide nimirum creditur hunc conspicuum ritum esse sacramentum divinitus institutum et efficax sanctificationis; non fide sed sensibus percipitur, hic et nunc *fieri actionem* e. g. ablutionis et prolotionis verborum. Ita ergo etiam universim in Ecclesia non dividitur sed tamen distinguitur formalis ratio, sub qua est humano modo i. e. sensibus cum intellectu coniunctis visibilis, et formalis ratio sub qua divinae fidei obiectum est.

1. Visibilis est Ecclesia ut hoc determinato modo ac ordine existens et per historiae decursum propagata societas.

) Profecto enim visibilis est hierarchia cum vindicatione, professione et functione tum magisterii et doctrinae in omnibus formis praedicationis tum et populorum professionis; tum regiminis cum sacra disciplina et externa vita Christiana; tum sacerdotii cum sacrificio, sacramentis ac cultu divino.

) Evidentia historica constat, in hac sua constitutione Ecclesiam fuisse visibilem omnibus aetatibus usque ad Apostolos, et eandem continua successionum serie ad nos usque propagatam fuisse. Non ergo solum in praesenti Ecclesia visibilis cernitur, sed simplici intuitu historico, qui aequivalet visioni, et longe diversus a fide divina etiam ab infidelibus ratione utentibus haberi potest, Ecclesia intelligitur visibilis omnibus saeculis antecedentibus. Pro tempore praesenti sensibus physicis cum intellectu, pro omnibus temporibus sensui historico intellectuali Ecclesia est visibilis.

c) Eodem modo huc pertinent et in se sensibilia sunt facta et charismata externa, quae in Ecclesia et ex Ecclesia velut fructus ex arbore omnibus aetatibus progerminant; ex una parte mirabilis Ecclesiae conservatio et propagatio, transmutatio mundi pagani in mundum Christianum per spiritum Apostolicum absque respondentibus praesidiis humanis, martyria cruenta in persecutionibus omnium hostium, victoriae incruentae in pugnis et insidiis omnium errorum; ex altera parte multitudo non interrupta miraculorum in factis corporeis, manifestationes charismatum et virtutum heroicarum in factis spiritualibus et in vita perfecta. Quae quidem omnia, quatenus visibilia sunt,



non sunt obiectum fidei sed *notioa credibilitatis* eorum, quae de Ecclesia fide divina creduntur, adeo ut Ecclesia *quae creditur et cui creditur*, in se ipsa in suis nimirum elementis et factis sensibilibus sese exhibeat omnibus gentibus fide dignam tum ut obiectum credendum tum ut testem fide sequendum. Simili prorsus modo, ac Christus ipse visibilis in terris, fundator et exemplar et caput Ecclesiae, suis factis sensibilibus a nativitate usque ad ascensum in coelum sese exhibuit tum testem veritatis *cui credendum*, tum veritatem ipsam ac Filium Dei, *in quem credendum*. - Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, *et si mihi non vultis credere, operibus credite*, ut cognoscatis et credatis, *quia Pater in me est et ego in Patre* η Io. X. 39. Sicut de Christo scriptum est: - testem populis dedi eum, ducem et praeceptorem gentibus; η ita de Ecclesia eius continuo subiungitur. « Gentes quae te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum et sanctum Israel, quia glorificavit te» Is. LV. 4. 5. Sicut de Christo dictum est: « dedi te in foedus populi et in lucem gentium » Ib. XLII. 7; ita de Ecclesia dicitur: ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui » Ib. LX. 3. Sicut « radix lesse stat in signum populorum... et levabit signum in nationes » Ib. XI. 10; ita Ecclesia est civitas in monte Sion, quam vident omnes gentes, et ad quam confluunt omnes, qui quaerunt veritatem et salutem, « Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes; et ibunt populi multi et dicent: venite et ascendamus ad montem Domini et ad Domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exhibit lex et verbum Domini de Ierusalem » Ib. II. 2; Mich. IV. I. Cf. Concil. Vaticanum sess. III. cap. 3.

2°. Haec ipsa Ecclesia eo, quo dictum est, modo visibilis. cum sua constitutione hierarchica, cum suo magisterio et professione fidei, regimine et disciplina, sacerdotio, cultu divino et charismatibus sensibilibus etiam describitur ac revelatur verbo Dei, adeoque ipsamet Ecclesia quae sub una ratione est visibilis et historice intelligibilis, sub alia

ratione est obiectum fide divina credendum propter auctoritatem Dei revelantis; seu est obiectum non iam solum in suis elementis et factis, quatenus sensibilia sunt, videntum et naturali intellectu intelligendum, sed in iisdem elementis et factis et omnibus suis attributis, quatenus verbo Dei revelata sunt, intellectu fide illustrato credendum.

I Etenim a) Divina Auctoritas in magisterio et imperio, veritas, sanctitas, efficacia in sacerdotio, sacrificio et sacramentis proprietatesque aliae supernaturales solo Dei verbo innotescunt, atque adeo fide creduntur, b) Huius Ecclesiae, quam nunc praesentem cernimus, existentia per decursum saeculorum usque ad Apostolos, eius per Apostolos propagatio, imo eius institutio per Christum visibilem in terris  
I  
I historice quidem citra fidem divinam innotescere potest, quod ex dictis ad visibilitatem pertinet; sed sicut ipsius Christi divinitas, ita *divinitas* institutionis Ecclesiae tum generatim et in abstracto, tum determinate et in concreto huius Ecclesiae, sola fide creditur. Imo illa quoque quae historice et naturaliter intelligi possunt, institutio per  
I Christum, propagatio per Apostolos et reliqua facta obiectum sunt fidei divinae, quatenus in historia non mere humana sed in historia revelata continentur.

Ex his manifesta apparet absurditas distinctionis inter veram Ecclesiam invisibilem, quae fide credi debeat, et visibilem a massam ecclesiasticam, » ut aiebant, ad quam naturalis sensus, nullatenus vero supernaturalis fides refertur. Quin potius ipsa Ecclesia visibilis est obiectum fidei, quamvis sub alia ratione ac consideratione sit visibilis ac naturaliter intelligibilis, et sub alia ratione per fidem supernaturalem credenda. Ita etiam in capite Ecclesiae Christo Domino Apostoli non *alium* videbant et *aliam* credebant; sed eum ipsum quem videbant sub ratione sensibilis humanitatis, credebant sub ratione divinitatis, non *alium et alium*, quae haeresis deinde erat Nestorii, sed *aliud et aliud*, u Hominem vidit et Deum confessus est (Thomas) dicens: Dominus meus et Deus meus. Videndo ergo credidit, qui considerando verum hominem, hunc (ipsum hominem) Deum, quem videre non poterat, exclamavit. „ s. Gregor. in Evang. 1. II. hom. 26. n. 8.



V. Hanc ipsam Ecclesiam visibilem esse *Ecclesiam promissionum*, cui nempe factae sint et ad quam solam referantur promissiones omnes a Christo Domino de Ecclesia et pro Ecclesia sua enuntiatae, ulteriori probatione non indiget, cum ex demonstratis alia Ecclesia Christi in terris praeter visibilem nec instituta fuerit nec proinde unquam exstiterit. Imo verbis iisdem, quibus Christus Deus institutionem suae Ecclesiae visibilis enuntiavit, etiam declaravit eiusdem infallibilitatem, auctoritatem, potestatem perennem ac indefectibilem in doctoribus, pastoribus, sacerdotibus a se institutis suaque legatione functuris, adeo ut his promissionibus detractis verba institutionis Ecclesiae nulla supersint aut nullum habeant sensum; vicissim vero detracta in iisdem verbis institutione Ecclesiae visibilis, pro promissionibus nullum amplius remaneat subiectum, ipsaeque propterea promissiones evanescant.

Sane Christus Dominus numquam dixit: doctrinam meam sine doctore, vitam religiosam sine pastore et sine sublectione, activam sanctificationem et cultum divinum sine ministris et sacerdotibus conservabo in quibusdam sanctis nulli mortalium cognoscendis, qui singuli independentes sibi ipsis sufficient, et horum numerum mihi soli notum in medio massae ecclesiasticae, quae non pertinet ad Ecclesiam meam sed est massa damnata hypocritarum, perpetuo conservandum appellabo Ecclesiam meam. Hic non Christi sed Deformatorum sermo erat, quamdiu nimirum totam visibilem Ecclesiam in orbe terrarum defectionis accusare et infelices populos ab ea divellere propositum habebant, ut superius declaravimus.

Christus Dominus suam Ecclesiam dicit esse eam, quae ab ipso est aedificata in Petro; in hac Ecclesia tamquam in regno coelorum in terris claves seu supremam potestatem committit Petro, ita ut solvendo ac ligando, quidquid ad regnum coelorum pertinet, eam exercent in eodem toto regno. Est ergo Ecclesia Christi non numerus incognitus sanctorum sibi sufficientium, sed regnum omnino cognitum a capite visibili ex potestate a Christo accepta administratum, actibus exercendis a potestate cognita in subditos cognitos, qui actus ergo ipsi externi sint et visibiles. Huic

Ecclesiae in Petro aedificatae et huic regno sub Petro constituto, adcoque suae uni visibili Ecclesiae promittit indefectibilitatem in ipsa ratione ac proprietate Ecclesiae et regni Christi, ut ipsamet visibilis Ecclesia numquam possit desinere esse vera Ecclesia et regnum Christi: « et portae inferi non praevallebunt adversus eam. » Promissa ergo est etiam indefectibilitas fundamenti visibilis, administratoris ac administrationis supremae potestatis, et functionum in solvendo et ligando. Matth. XVI.

Pariter sub Petro et cum Petro omnium ovium et agnorum Christi visibili pastore constitutum collegium Apostolicum Dominus iubet discipulos facere omnes gentes et singulos in eis baptizare, atque baptizatos omnes inducere in observationem totius doctrinae et disciplinae. Ex parte ergo altera iubet obedientiam et subiectionem erga ipsos Apostolos docentes, administrantes sacramenta, inducentes in observantiam omnium mandatorum. Hanc ipsam ita dispositam visibilem Ecclesiam promittit perennem fore et indefectibilem in praedicatione doctrinae et fide, in regimine et disciplina, in sacramentis et sanctificatione sub sua tutela et sub assistentia Spiritus veritatis omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, « Docete omnes gentes, baptizantes eos... . docentes eos servare omnia.... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. » « Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis » Matth. XXVIII. Io. XIV. Vide thés. XI.

Eandem ita dispositam Ecclesiam praecepit audiendam, et rebelles puniendos velut ethnicos et publicanos, promissa potestate universali, quaecumque ad Ecclesiam spectant, alligandi aut solvendi super terram, ita ut ligata aut soluta sint in coelo. Quae quidem auctoritas et potestas quam certo non est ex humana politia sed ex Christi institutione, tam evidenter nec exerceri nec intelligi potest nisi in Ecclesia visibili. Matth. XVIII.

Hoc ipsum repetendum est de descriptione Apostolica Ecclesiae, in qua ab ipso Christo dati sunt pastores et doctores. ne circumferamur omni vento doctrinae, idque usque ad consummationem et plenitudinem corporis Christi. Eo-



dem modo exhibetur Ecclesia velut **domus Dei**, quam administrent Episcopi cum subiectis sibi inferioribus ministris secundum certam legem conversationis, quae proinde visibilis est; et eadem ita descripta praedicatur «columna et firmamentum veritatis» Eph. IV; 1. Tim. III.

Postremo, ne cetera prosequamur, Christus Dominus sacrificium incruentum corporis sui pro nobis dati et fracti, sanguinis sui prout erat in calice, pro nobis effusi in ultima coena eodem modo, ut ipse fecerat, faciendum instituit ab Apostolis in sua Ecclesia et pro Ecclesia in sui commemorationem. Sed hoc sacerdotium seu in concreto hos sacerdotes visibiles ad offerendum visibile sacrificium in ipsa visibili Ecclesia instituit perenni successione usque ad secundum suum adventum, adeo ut ipsum sacerdotium, sacrificium et sacramentum sit unum ex illustrioribus vinculis et manifestatio sublimissima unitatis in visibili corpore, quod est Ecclesia, multo praestantius, quam in veteri Testamento sacerdotium templum et sacrificia constituebant vinculum unius visibilis societatis religiosae populi Israel. « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus: videte Israel secundum carnem, nonne qui edunt hostias, participes (ζ.οινωνοι) sunt altaris? » (1. Cor. X. 18.). Quare etiam promissio indefectibilitatis ad ipsam continuam seriem sacerdotum et perennis sacrificii atque adeo ad Ecclesiam eiusque cultum visibilem pertinet, non autem ad nescio quos sanctos nemini umquam cognitos aut cognoscendos. « *Hoc* facite in meam commemorationem, « in quibus verbis iam quidem ex ipsa natura institutionis includitur, et ab Apostolo diserte insuper declaratur eiusdem perennitas: « quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat » (1. Cor. XI. 26.).

*Scholion.* Protestantes in neganda visibili Ecclesia sese recipiunt ad principia quaedam speculativa et deinde ad positivam doctrinam in textibus nonnullis a contextu et a fidei analogia divulsis. -i

1. Totum negotium sanctificationis, aiunt, est personale pro singulis, illudque internum ac spirituale: « regnum Dei intra a os est » (εντὸ ὕρω)j « caro non prodest quid-

quam, spiritus est qui vivificat; ¶ u regnum Dei non est esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto « Luc. XVII; Io. VI; Rom. XIV. Addunt hanc indolem spiritualem propriam esse novi Testamenti in comparatione ad Testamentum vetus, quod carnale erat in institutis externis positum, et praeparatio dumtaxat ad spirituale: a venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate » Io. IV. Ipsam deinde hanc internam sanctificationem ac unionem cum Deo in alium omnino sensum detorquent ac media ad illam pro arbitrio confingunt praeter et contra manifestam doctrinam Scripturae et totius revelationis. Iuxta hanc enim haeresim, ut iam superius exposuimus, iustificatio hominis perficitur sola fide, qua iustitia Christi homini imputatur, excluso quovis magisterio, ministerio et sacerdotio Ecclesiae; et hanc dicunt immediatam unionem sanctorum singulorum cum Christo, exclusa a mediatione Ecclesiae. » Solis igitur hisce *sanctis*, qui nullo signo externo atque adeo nulli hominum sed uni Deo sint cognoscibiles, constare veram Ecclesiam dicunt. Quod quidem figmentum scopo, ad quem excogitatum est, sufficere sibi persuaserunt, ut lucifugi isti sancti et invisibilis ista Ecclesia per multa saecula in Ecclesia visibili u Antichristi n ubique terrarum latentes perstitisse dici possent.

At vero a) ex hisce principiis si ultima consectaria deducantur, concedendum erit in sententiam quarundam sectarum Gnosticorum, pseudo-mysticorum mediæ aevi et aliorum fanaticorum nostrae aetatis, qui ipsam notionem naturae humanae et totam revelationem supernaturalem pervertentes eliminatam volebant realitatem carnis a Verbo assumptae, redemptionem per passionem eius ac mortem, sacramenta omnia, divinum cultum externum, existentiam denique et utilitatem Scripturae inspiratae, ac omnia revocabant ad contemplationem et sensum internum sub immediata operatione Spiritus Sancti in animis singulorum. U) Proximus finis omnium institutorum divinorum sine dubio est sanctificatio spiritualis, unio cum Deo et salus animarum; sed quae et qualis sit ista sanctificatio, et quae sint ad illam media instituta, non deliris hominum men-



tibus configendum, verum ex tota divinitus revelata oeconomia discendum est; nec media cum line ipso sunt confundenda.

Sanctificatio autem et unio cum Deo profecto non est inanis umbra per stultam persuasionem, Deum non intueri nos ac indicare, (piales re ipsa sumus iusti vel peccatores; sed ea perficitur per veram in anima transformationem infusione gratiae ac virtutum in fide, spe et charitate. «Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini spèculantes in eandem imaginem transformamur a claritate (Domini) in claritatem (nobis propriam ac inhaerentem) tamquam a Domini Spiritu n 2. Cor. III. 18. (1).

(1) Ἡοεῖ; δε ἄντε; ἀνακεκαλυααενω προσωπφ την δόξαν χορίου κατοπρ:-ζοαενοι, την αὐτη {χεταορφουαεβα ἀπο δοξη; st; δόξαν, καΟαπερ ἀχο κυρίου ζνευαατο . Moyses velata facie loquebatur Iudaeis, quia splendorem eius ex praesentia Dei contractum intueri non valebant (Exol. XXXIV, 29-35.): quoi quidem ipsum symbolum erat velaminis spiritualis seu veritatis nondum plene revelatae in veteri Testamento. Per Christum in Testamento novo velamen est ablatum a lege, haecque transiit in Evangelium manifestum; sed manet velamen nunc super cordibus Iudaeorum infidelium. Fideles autem a gloria Dei manifestata in Christo eiusque evangelicis institutis convertuntur supernaturaliter per operationem Spiritus Sancti in specula et imagines Dei, facti consortes divinae naturae. Egrege Chrysostomus haec commentatur. - Simul ac baptizamur, supra solem anima exsplendescit a Spiritu perpurgata. Ei non solum gloriam Dei prospicimus. sed illinc quo ^ue splendorem quemdam haurimus. Sicut enim purum argentum (imago animae purgatae a peccatis) ad solis radios situm, ipsum quoque radios emittit, non ob suam dumtaxat naturam, sed etiam ob solarem fulgorem (quae imago est gratiae): ita et anima purgata atque argento splendidior effecta, a Spiritu gloria radium suscipit (δεχεται αχτινα τη; του -νευαατο; δοξη ), et vicissim remittit. Un ie et ait, spèculantes in eandem imaginem transformamur a gloria Spiritus Sancti in gloriam nostram, nobis inditam (ἀ~ο δοξη; τη; του -νευρ,ατο;, ει οο αν την ήρετεραν, την έγγινορευνην), quaeque talis est, qualem esse par est a Damino Spiritu .? (*Dominum* Chrysostomus hoc loco ubique intelligit Spiritum Sanctum). Chrys. in 2. Cor. hom. VII. n. 5. '...■\* g

Huc pertinent omnia loca, in quibus iustificatio et iustitia theologica describitur ut « creatio cordis mundi, » - nova creators in Christo in operibus bonis, » nativitas ex Deo, r - nativitas nova ex Spiritu. " « regeneratio, ? - renovatio spiritus mentis, ù conformitas ad imaginem primogeniti in multis fratribus. .? ¶ charitas Dei diffusa in cordibus. o « donatio Spiritus Sancti, - - inhabitatio, mansio Patris et Filii et Spiritus Sancti in nobis. » u consortium divinae naturae n Ps. 4. 12; Io. I.

Media ad hanc sanctificationem et aeternam salutem animarum ab ipso Christo Salvatore instituta esse demonstravimus in visibili magisterio cum sui actis manifestis ad praedicandam, conservandam, explicandam veritatem revelatam; in visibili ministerio ad fideles sacris legibus ac disciplina regendos in via salutis; in visibili sacerdotio ministrante per visibilia sacramenta, sacrificium, et publicum cultum ad sanctificationem fidelium; quae omnia uno verbo dicuntur media sanctificationis a Christo posita in Ecclesia visibili et per Ecclesiam visibiliter ministrata. Intercedit ergo Ecclesia inter Deum sanctificatorem et fideles sanctificatos ut ministra non ut auctrix gratiae, qua illi sane immediate cum Deo inhabitante uniuntur. « Vos autem Christi, Christus autem Dei. Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » 1. Cor. IV. 1. *a* Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri eius, cui credidistis... Dei enim sumus adiutores; Dei agricultura estis Dei aedificatio (οικονομῆ) estis» ib. III. 5. 9. *a* Dedit nobis ministerium reconciliationis... pro Christo ergo legatione fungimur » 2. Cor. V. 18. 20.

c) Illi sancti occulti, quos fingunt, vel dicuntur latuisse in ipsa Ecclesia catholica vel in sectis quibusdam extorribus ab Ecclesia. At vero in Ecclesia catholica omnes omnibus locis et temporibus profitebantur eam fidem, exercebant et participabant eum cultum, qua fide et quo cultu dicunt Ecclesiam totam a Christo defecisse et factam esse Antichrist!. Sive ergo illi, quos occultos sanctos appellant, defectionem istam a Christo in publica professione et cultu externe tantum et per hypocrisim simulasse sive ex animo admisisse dicantur, profecto non minus alieni fuissent a Christo; *u* qui enim negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo. » Quoad sectas vero haereticas nulla umquam extitit, quae vel cum Protestantium principiis consentiret, vel ob eas causas, quas isti praeterebant, ab Ecclesia catholica dissentiret; unde etiam illae

13; HL G: XIV. 23; Rom. V. 5; VIII. 9. 10. 11. 15. 29; 2. Cor. IV. 16; V. 12; Gal. VI. 15; Eph. II. 10; IV. 23; Tit. III. 5; Heb. VI. 6; 2. Pet. I. 4. (cf. Tract, de Trin. th. XLIII.).



omnes a conditoribus Protestantism! non minus quam ab Ecclesia catholica damnabantur ut haereticae et a Christo alienae. Cum ergo omnes asseclae sectarum sive simulate sive ex animo earumdem et professionem et cultum amplecterentur, ficti illi sancti Protestantium non magis in sectis quam in Ecclesia catholica reperiri poterunt. Postremo, quod rei caput est, illa « manus fidei, n̄ seu stulta persuasio, Deum non intueri et indicare hominem qualis in se est, sed fictione quadam iuris reputare hominem iustum, quin eum propria inhaerente iustitia iustum faciat, usque ad deformatores saeculi XVI., vel, ne demonstratione opus sit, certe per multa saecula nemini umquam in mentem incidit, sicut Lutherus ipse de hoc suo invento gloriari solebat. Ergo per multa saltem saecula sancti isti occulti, iustificati per fiduciam meriti Christi sibi imputati manentibus in se peccatoribus, nulli omnino erant; ac proinde nullibi terrarum reperire erat confictum illud portentum, quod Ecclesiam invisibilem appellant. Cum igitur Christus Deus suam Ecclesiam in petra aedificatam indefectibilem promisit et constituit usque ad consummationem saeculi, ea non est alia quam Ecclesia visibilis inde ab ipso et ab Apostolis semper integra conservata ac derivata, quae ipsamet non est alia quam in successoribus Petri et Apostolorum perennis Ecclesia catholica, a qua qui sive per decursum saeculorum sive saeculo XVI. se separarunt ii omnes evidenter ab Ecclesia Christi defecerunt; nec in visibili ergo sunt Ecclesia, a qua prolapsi sunt, nec in invisibili, quam Christus in terris nullam instituit.

2°. Textus Scripturae, quibus occultam illam suam Ecclesiam proponi dixerunt, vix operae pretium est explicare, adeo manifeste ad rem de qua agitur, nihil pertinent. Ut enim Ecclesiam in terris invisibilem esse aut aliquando esse posse, ex Scripturis persuaderent, opus esset ex eis demonstrare, munus magisterii, ministerii et sacerdotii horumque munerum obiectum praedicationem et professionem verae fidei, praepositorum pervigilantiam (Heb. XIII. 17.), ac morum per salutes leges directionem, sacramenta et sacrificium aut a Christo instituta non esse aut aliquando esse desitura. Haec enim sunt, quae *essentialiter* consti-

tuunt *visibilem* Ecclesiam. Qui autem ista munera, non modo persecutionibus hostium Ecclesiae aliquando in exercitio difficiliore ininusque libera reddi (quod utique a Christo ipso, ab Apostolis et prophetis praenuntiatum est) sed aut in se aut in externo exercitio simpliciter defectura affirmaret, is profecto facta et promissa Christi, quibus ipsam suam Ecclesiam constituisse, eiusque sub sua tutela perennitatem promississe ex eisdem Scripturis demonstravimus, fallaciae argueret, atque totam internam historiam Ecclesiae inde a Christo et Apostolis ad nos usque perenni flumine manantem subverteret ac negaret. Si qui ergo reperiri possunt textus verbi Dei, in quibus operatio interna Spiritus Sancti in animis singulorum per oppositionem ad ministeria externa in Ecclesia praedicari videatur, certum est, in illis comparationem quidem invisibilium donorum cum visibilibus institutis, operationis spiritualis cum mediis externis operantibus, adeoque non exclusionem sed imo affirmationem vel suppositionem horum institutorum ac mediorum contineri: vel in eis (ut in textibus quam multis quos olim proferre solebant) ne de elementis quidem invisibilibus Ecclesiae sed de re omnino alia sermonem esse; sicut enim in operibus ita in verbis Dei diversitas quidem, nulla autem realis contradictio concipi potest.

De huiusmodi locis, in quibus gratia et unctio interna celebratur supposito et non excluso magisterio ac ministerio Ecclesiae, satis diximus in Tractatu de Traditione (th. XII. p. 106. sqq. ed. 2.). Quae vero olim a Protestantibus ad demonstrandam invisibilem Ecclesiam proferri solebant de una familia Noe in arca; de septem millibus virorum, *a* quorum genua non sunt incurvata ante Baal *n* tempore Eliae (3. Reg. XIX. 18.); de regno Dei, quod Christus dixit: *a* intra vos est » (Luc. XVII. 21.); de Ecclesia in symbolo mulieris *a* fugientis in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo » (Apoc. XII. 6. 14.), ista omnia nihil omnino pertinent ad rem, de qua agitur, et solummodo demonstrant, cum ad talia confugitur, in Scripturis pro illo commento ad excusandam apostasim nihil ne ad speciem quidem probationis reperiri posse.

Tempora Xoe Gen. VI. VII. (cf. Matth. XXIV. 37. 39.)



nihil continent de constitutione Ecclesiae novi Testamenti, nisi quod ex interitu corporali omnium qui extra arcam erant, Patres deducere solent necessitatem pertinendi ad Ecclesiam eamque visibilem, in qua sola datur salus spiritualis. Cyprianus descripta Ecclesia cuius « probatio ad fidem facilis compendio veritatis est ex verbis Domini : tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, » cuius « episcopatus quoque unus et indivisus est, » quae et ipsa a una est Ecclesia in multitudinem latius incremento fecunditatis extensa, et Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigens, » subdit : « qui relinquit Ecclesiam (eam unam in Petro fundatam et unitate episcopatus cohaerentem), alienus est, profanus est, hostis est : si poterit evadere quisquam qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit » Cyprianus de Unit. Eccles., p. 195. Quod vero visibilitatem Ecclesiae attinet, alia est perfectio Ecclesiae Christi Verbi incarnati, alia imperfectio Ecclesiae patriarchalis. Ceterum etiam in hac patriarchae erant sacerdotes cultu et sacrificiis visibilibus, ac « praecones iustitiae » (2. Pet. II. 5.) ad conservandam, praedicandam et novis incrementis divinitus acceptis explicandam revelationem (vide de Tradit, th. XX.), inter quos sacerdotes et praecones diserte Noe numeratur. Certe ergo etiam patriarchalis Ecclesia, quantumvis longe distans a perfectione institutorum Christi, sacerdotio et magisterio. sacrificiis et sacramentis respondentibus illi imperfectioni (vide supra th. III. et cf. th. II-IV. de Sacram, in genere), fidei praedicatione et professione visibilis erat. Si vero insistant reductioni Ecclesiae ad « paucos, id est octo animas, » respondendum est primo, aliud esse catholicitatem quae, Ecclesiae novi non vero veteris Testamenti promissa est, et aliud visibilitatem quae quovis in stadio Ecclesiae essentialiter competit, modo licet diverso pro diversitate oeconomiae. Secundo quaerendum est ab eis, undenam sciant eos omnes qui tempore Noe peccatores erant, a vero Dei cultu et ab Ecclesia defecisse? Omnem carnem corrupisse viam suam, etiam Noe praedicenti vindictam divinam non credidisse nec tum poenitentiam egisse legimus Gen. VI. 1-12; 1. Pet. III. 20; sed omnes aut plerosque

tunc ad idololatriam prolapsos fuisse, nullibi scriptum est; imo scriptum est, quod contrarium persuadet, plures ex illis qui corporaliter perierunt diluvio, spiritualiter adeoque vera fide et poenitentia fuisse salvatos. 1. Pet. III. 19.

Quod deinde profertur de septem millibus fidelium tempore Eliae, nihil magis ad rem pertinet. In primis enim etiam hic non est permittenda confusio inter catholicitatem seu amplitudinem Ecclesiae (quae pro sola Ecclesia novi Testamenti promissa et instituta est) et inter eiusdem visibilitatem. Deinde attendatur oportet ad diversam perfectionem ipsius visibilitatis in Ecclesia veteris etiam Mosaicae ac novae christianae oeconomiae (th. III.). Tum denique si locus ipse 3. Reg. XIX. 18. qui obiicitur, inspiciatur, in eo de invisibilitate aut visibilitate Ecclesiae Christi nihil docemur, quoniam de hac Ecclesia ibi sermo non est; sed neque species aliqua argumenti pro invisibilitate Ecclesiae ne veteris quidem Testamenti ex eo extundi potest. Hoc unum quippe dicitur, in regno etiam Israel inde a sua constitutione sub Ieroboamo I. politice diviso a regno Iuda, ac religiosis institutis schismatico et idololatra, remansisse adhuc plures fideles, qui religione ac cultu divino uniti essent verae Ecclesiae Mosaicae. Manebant enim illi sub ordinario ministerio sacerdotii, magisterii et regiminis, cuius centrum erat Hierosolymis; ipsumque legitimum cultum in solemnitatibus et sacrificiis in eo ipso centro religionis exercebant, ut apparet ex aliis pluribus locis 2. Paral. XV. 9; XXX. 11. 25; XXXI. 6; XXXIV. 9. 33; Tob. I. 6. Cum ministerio autem ordinario ad sustentandam religionem, pro ratione illius oeconomiae, coniunctum erat extraordinarium prophetarum, quorum plures, ut Elias ipse et Eliseus, potentes sermone et opere florebant in regno Israel.

Quod tertio loco adfertur verbum Christi ad Iudaeos; c regnum Dei intra vos est, si intelligitur de ipsa Ecclesia, profecto significat Ecclesiam visibilem quae iam praeparabatur intra Iudaeos et velut in radice fecunda continebatur in persona, potestate, praedicatione et operibus ipsius divini fundatoris. Quatenus vero regnum Dei significatur internum in anima, illud non est Ecclesia adaequate



spectata, sed aliqua eius proprietas, licet in se invisibilis, manifestanda tamen suis effectibus in ipsa Ecclesia visibili

Postremo in loco Apoc, XII. describitur Ecclesia martyrum, vel sensu litterali secundum persecutiones ultimarum temporum adhuc futuras, vel (ut mihi videtur consideratis contextibus) sensu litterali immediato secundum persecutiones imperii idololatrae primis tribus saeculis nunc iam praeteritas, et sensu typico eoque pleniori secundum persecutiones in consummatione saeculi adhuc futuras. At Ecclesia martyrum in tribus potestatibus harumque functionibus, in quibus (saepe a nobis superius descriptis) essentialiter visibilitas ex Christi institutione consistit, non minus ut regnum Dei in terris manet conspicua, dum « pascitur - a pastoribus suis doctrina et disciplina et sacramentis in *u* solitudine » catacubarum, ibique generat et praeparat « filios masculos » (ὁ ἄρρενας), qui profuso sanguine « rapiantur ad Deum et ad thronum eius, *n* ut cum Agno in cuius sanguine laverunt et dealbaverunt stolas suas (VII. 14.), « regant omnes gentes in virga ferrea, » quam dum tempore pacis lucet etiam splendoribus externis (1), qui connectuntur quidem cum visibilitate et etiam, licet non determinata ratione ac mensura, promissi sunt, non tamen constituunt ipsam essentialem visibilitatem Ecclesiae. Apostoli, eorumque proximi successores Clemens, Polycarpus, Ignatius, Irenaeus, Cyprianus cumque eis presbyteri Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus (vide th. XV.) ipsam hanc Ecclesiam martyrum inter medias persecutiones fugientem in solitudinem describunt, sed eam non noverunt aliam quam « per totum orbem unam ecclesiam *inultorum episcoporum concordie numerositate* diffusam » (Cyprian, ep. 52. ad Antonian.). Unde qui a visibili sacerdotum ac plebis Ecclesia se secernunt, quamdiu manent in crimine haereseos vel schismatis, nec martyres Christi esse possunt. « Quam sibi pacem promittunt inimici fratrum, quae sacrificia celebrare se credunt aemuli sacerdotum? an secum esse Christum cum collecti fuerint, opinantur, qui *extra Chri-*

(1) Vide Scholion ad thés. XIX.

*sti Ecclesiam colliguntur?* Talis etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur; inexpiabilis et gravis culpa discordiae nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est..... Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt. Ardeant licet flammis et ignibus traditi, vel obiecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona sed poena perfidiae, nec religiosae virtutis exitus gloriosus sed desperationis interitus; occidi talis potest, coronari non potest. Sic se Christianum esse profitetur, quomodo et Christum diabolus saepe mentitur.... An esse sibi cum Christo videtur, *qui adversus sacerdotes Christi facit, qui se a Cleri eius et plebis societate secernit?* Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat. *Hostis altaris, adversus sacrificium Christi rebellis... contemptis Episcopis et Dei sacerdotibus constituere audeat aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, dominicae hostiae veritatem per falsa sacrificia profanare,* nec scire quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam divina animadversione punitur n (Id. de Unit. Eccles, p. 198-201.). Haec igitur Episcopatus unitate et successione, sacrificio, sacramentis, cultu, disciplina inter medias persecutiones visibilis Ecclesia sola est, quae (ut in Apocalypsi describitur) parit Christi martyres.

## §. II. *De membris Ecclesiae lesu Christi*

Ad declarationem visibilitatis Ecclesiae pertinet doctrina. de membris eiusdem, partira quidem necessario, ad ipsam scilicet defensionem dogmatis adversus haereticos, ne conditiones membra constituentes ita in donis occultis solique Deo notis reponi sinantur, ut ex hoc ipso Ecclesiae invisibilitas atque adeo negatio dogmatis consequatur; partira vero ad pleniorum dumtaxat intelligentiam, *qualis sit Ecclesiae eiusdem visibilitas.* Hinc quoad partem priorem, cum quaeritur quinam homines, quantumvis destituti internis quibusdam gratiae donis, *certo pertineant,* quinam vero



ob defectum characterum visibilis Ecclesiae *certo non perit-  
neant* tamquam membra ad Ecclesiam, plenus reperitur inter  
omnes catholicos consensus, cum haec res ad ipsa dogmata  
spectet contra haereticos definita. Quoad partem vero al-  
teram, si in tuto iam posita visibilitate Ecclesiae (*an sit*)  
et salvo dogmate, ad distinctiorem intelligentiam, *quomodo  
ea sit*, ulterius quaeritur, quinam inter profitentes ipsam  
integram fidem Ecclesiae non tamen censi possint mem-  
bra eius, aliqua occurrit inter theologos opinionum diver-  
sitas. Nihilominus hi theologo ipsi omnes consentiunt quoad  
rei summam, et, si ita loqui fas est, in quaestione practica,  
quibus relationibus ac nexibus homines illi ad Ecclesiam  
referantur vel non referantur; quidquid enim participatio-  
num ab Ecclesia derivatarum e. g. meris schismaticis, ex-  
communicatis, catechumenis tribuitur a theologis eas ho-  
minum classes inter Ecclesiae membra computantibus, istud  
totum ultro conceditur etiam a doctoribus excludentibus  
eos a censu membrorum Ecclesiae; et vicissim omnes par-  
ticipationes quas hi secundi istis negant, negant etiam  
theologo illi priores. Unde controversia haec inter catho-  
licos reducitur ad quaestionem, utrum illi nexus quos ho-  
minibus, de quibus agitur, cum Ecclesia remanere certo  
constat, sufficient, ut iidem membra Ecclesiae esse, vel ad  
Ecclesiam pertinere merito censi ac dici queant, quan-  
tumvis aequo certo constet, quosdam alios eorundem nexuum  
cum Ecclesia vel abruptos esse vel nondum exstare. Eate-  
nus igitur posset dici quaestio potius de modo loquendi  
quam de ipsa re. Verum si intimam rationem huius dis-  
sentionis inquiras, ea sita est in diverso modo, quo tum  
necessitas medii ut dici solet, pertinendi ad Ecclesiam,  
extra quam nemo salvatur, tum consequenter ipsa visibilis  
Ecclesia Iesu Christi concipitur, ut iam superius (in Co-  
roll.adthes.il.) obiter innuimus; atque ideo dilucidatio  
huius etiam controversiae theologicae non mediocriter con-  
ferre potest ad clariorem intelligentiam dogmatis de ipsa  
Ecclesiae visibilitate, nec non modi quo pertinere ad Eccle-  
siam Christi visibilem sit *de necessitate medii salutis  
aeternae*.

## THESIS XXII.

### *De conditionibus necessariis ad unionem cum Ecclesia, quarum dejectus excludit a censu membrorum Ecclesiae.*

« Quamvis voluntate Dei legifera et antecedente omnes homines sicut ad salutem ita ad agnitionem veritatis et ad Ecclesiam vocentur; ad actualem tamen unionem cum Ecclesia conditiones necessariae sunt 1°. integritas fidei cum fidei sacramento, quod est baptisma; 2°. obedientia hierarchica; 3°. ius permanens communionis ecclesiasticae. Quare Ecclesiae membra et in Ecclesia non sunt haeretici; nec catechumeni; neque schismatici; neque excommunicati. »

I. Ecclesia est mundus supernaturaliter transformatus, regnum veritatis ac velut incorporatio (ένουσιωσι) totius revelatae religionis (th. VI.). Quicumque ergo vocati sunt ad fidem et opera veritatis revelatae, et per hanc ad transformationem salutis inchoatae in via, consummatae in termino (cf. 2. Cor. III. 18.); ii omnes vocati sunt ad Ecclesiam: voluntas vocationis et antecedens destinatio Dei ad salutem et ad Ecclesiam extensione coincidunt. Sed Salvator noster Deus a omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire; unus enim Deus unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus » 1. Tim. II. 4. (vide Tract, de Deo th. XLIX.). Vocati ergo sunt antecedente Dei voluntate ad Ecclesiam Iesu Christi, ex quo tempore eam instituit, omnes qui habent naturam humanam, et in hac natura Deum creatorem Christum mediatorem. Hinc etiam mandatum et institutio Christi, in fundanda sua Ecclesia, « euntes docete omnes gentes baptizantes eos » (Matth. XXVITI.), aliis verbis enuntiatur: a euntes in mundum universum praedicate Evangelium *omni creaturae* (ζκση τη κτισει), qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur » (Marc. XVI.).



Paulus enuntiat universalem eoque ipso antecedentem voluntatem tum *finis* « (vult omnes homines salvos fieri), tum *medii* » (et ad agnitionem veritatis venire) » et connectit duplicem rationem huius universalis voluntatis in Deo, quia nimirum Deus est omnium hominum Deus, et quia Christus Iesus homo hominum, h. e. omnium quorum naturam assumpsit, mediator est *u* (unus enim Deus, unus et mediator Dei et *hominum homo* Christus Iesus). » Penes Marcum ipse mediator praesens qui dederat redemptionem semet ipsum, executionem illius voluntatis universalis mandat Apostolis eorumque perennibus successoribus; et *quoad medium*, rationem universalitatis priorem includit in ipsa appellatione, quia sunt Dei *creatura*, alteram *a* quia unus mediator, « in se ipso praesentem sistit: « praedicate evangelium *omni creaturae*; » *quoad finem* vero, de cuius non amplius voluntate antecedente (ceterum inclusa in mandato universalis praedicationis) sed de assecutione in ipso effectu agitur, Christus Dominus distinguit voluntatem secundum hominum cooperationem, enuntiatque voluntatem consequentem conditionatam: *a* qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. »

Omnes igitur humanae creaturae Dei, omnes homines sicut ad aeternam salutem ita ad regnum veritatis ac fidei, ad Ecclesiam per merita Christi mediatoris antecedente Dei voluntate vocati sunt; deberent esse membra Ecclesiae, atque adeo ratione huius vocationis et officii possumus eos dicere membra Ecclesiae voluntate Dei antecedente. Unde illi, qui licet nondum sint, aliquando tamen futuri sunt actu membra Ecclesiae, dici debent aeterna vocatione consequente, et quamdiu non actu sunt, ut Augustinus loqui solet, *secundum praescientiam membra Ecclesiae* (1). Non

(1) «Secundum eius praescientiam, qui novit quos praedestinaverit ante mundi constitutionem conformes fieri imaginis filii sui, multi etiam qui aperte foris sunt et haeretici vocantur, multis et bonis Catholicis meliores sunt. Et Deo quidem, apud quem sunt praesentia quae ventura sunt, etiam quod futuri sunt, iam sunt » Aug. de Baptism. l. IV. n. 4; de unit. Eccles. c. 19. n. 52. « Secundum istam praescientiam Dei et praedestinationem quam multae oves foris, quain multi lupi intus » Id. in Ioan, tract. 45. n. 12. 'H

in se sed in hac Dei praescientia, non potentia proxima ad ovile et ad populum Christi pertinebant, de quibus ipse dixit: « alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere » Io. X. 16; et ad Paulum primo docentem Corinthi: « quoniam populus est mihi multus in hac civitate » Act. XVIII. 10; pariterque hoc sensu iam ante praedicationem Pauli Antiochiae Pisidiae membra erant Ecclesiae illius, de quibus scriptum est: « crediderunt, quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam » (1) Act. XIII. 48.

At haec universalis voluntas et etiam particularis destinatio Dei per se spectata nihil confert ad propriam rationem visibilis Ecclesiae; sed ad huius notionem collustrandam, quaestio nobis est, *quinam omnes et soli actu pertineant tamquam membra ad Ecclesiam Iesu Christi in terris, hoc est ad Ecclesiam visibilem*, quoniam alia praeter visibilem Ecclesia in terris non datur (th. XIX.). Ut huic quaestioni plenius respondeatur, duplex nobis necessaria est disquisitio. Primum scilicet demonstrabimus, quanam sint conditiones, sine quibus nemo possit esse et dici simpliciter membrum Ecclesiae, seu quod perinde est, quinam homines simpliciter ad Ecclesiam non pertineant. In sequentibus deinde dicemus de conditionibus, quae ulterius non requirantur ad constituendum vere et simpliciter membrum Ecclesiae. Utraque enim consideratio necessaria nobis est, ut intelligamus, quinam homines omnes et soli vere sint membra Ecclesiae.

Conditiones porro illas necessarias, sine quibus nemo ad Ecclesiam simpliciter pertineat, intelligere non possumus, nisi saltem generatim considerando naturam ipsius Ecclesiae, regni Iesu Christi in terris, in superioribus thesibus iam declaratam. Inde vero apparebit, conditiones esse tres unitatem fidei cum fidei sacramento, unitatem legitimae

(1) Ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰ ζωὴν αἰώνιον. Vide huius loci explicationem in Tract, de Deo th. LXVI. n. 3.

Quomodo homines omnes ab initio ad finem usque generis humani vel potentia vel actu diversis gradibus referantur ac pertineant ad corpus Christi mysticum, cuius ipse est caput, vide etiam penes s. Thomam 3<sup>o</sup> q. 8. a. 3.



subordinationis, quam Patres unitatem charitatis (socialis) solent appellare, et unitatem iuridicae seu canonicae communionis, quamvis singulorum detectus non pari gradu vincula cum Ecclesia abrumpat, de qua re dicetur in thesi sequenti.

II. Regnum Iesu Christi in terris ex sua essentia ac fundamentali suo elemento est *regnum veritatis revelatae*, cui respondet *fides divina*. Haec autem *veritas*, quoniam regnum est visibile in terris, non est revelatio immediate in animis singulorum, sed est veritas in custodia, praedicatione et explicatione visibilis magisterii a Christo ad hunc finem et hac auctoritate instituti pro omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Hinc etiam respondens *fides divina* in hoc regno non est fides animo tantum concepta et singulis citra institutum magisterium sive inspirata sive aliunde ab eis effectumata, et manens in independentia ab eodem magisterio sed est « obedientia fidei » et singulorum ac omnium unius fidei *professio*, sub magisterio custodum, praeconum, doctorum depositi, « Corde enim creditur ad iustitiam. ore autem confessio fit ad salutem... quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt (πω δε πιστευσουσιν, ου ουζ ηχουσαν)? quomodo autem audient sine praedicante? quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur (εαν ρ,η αποσταλωσι)?... ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi » Rom. X. 10. sqq. Hinc regula obiectiva fidei est communis et universalis praedictio legatorum Christi: a praedicate evangelium omni creaturae, qui non crediderit condemnabitur: n hanc vero praedicationem seu hoc evangelium docendum a legatis, credendum et exercendum a fidelibus Christus declarat esse a omnia quaecumque ipse mandavit, aut quae a omnia docti fuerint Apostoli a Spiritu veritatis, r, Porro ut haec obiectiva fidei regula semper maneat incorrupta, atque hinc obligatio u obedientiae fidei » semper eadem subsistat erga missos in Apostolis velut in primis radicibus dispensatores mysteriorum Dei; ipsius Christi assistentia et Paracliti permansio in et cum docentibus legatis promissa est u omnibus diebus usque ad consummationem saeculi et a in aeternum » futura. Haec

igitur universalis, perenniter vivens et infallibilis praedicationis legatorum Christi, est illa *u* semel tradita sanctis fides, *n* et « forma doctrinae, *r* » in quam indeclinabiliter tradita est Ecclesia Christi, et in quam propterea tradi et cui obedire necesse est singulos, qui eiusdem Ecclesiae membra esse et manere velint: *u* gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinae, in quam traditi estis» (1). Marc. XVI; Matth. XXVIII; Io. XIV. 16. 17. 26; Rom. VI. 17. Ex hac *u* obedientia fidei » oritur unitas fidei in universalitate, ut fides totius Ecclesiae sit etiam fides singularum partium, sive maiorum ut sunt Ecclesiae particulares, sive minorum ut sunt singula membra; vicissim vero ex necessitate unitatis fidei *u* (unus Deus, una fides),» intelligitur intestina necessitas « obedientiae fidei » a Christo et a Spiritu Sancto per Apostolos institutae in ipsa institutione et declaratione perennis et infallibilis magisterii. « Gratiam et apostolatam accepimus ad obediendum fidei in omnibus gentibus » (εἰ ὑπακοὴν πίστεω ἐν πασὶ τοῖς ἔθνεσι). *u* Secundum praeceptum Dei ad obeditionem fidei in cunctis gentibus cogniti (mysterii) » Rom. I. 5; XVI. 26. Haec ipsa igitur magisterii viventis praedicationis constituitur regula, secundum quam et cui est obediendum fide: «spem habentes crescentis fidei nostrae... secundum regulam nostram » (ἠλπίσαντες τὸν κανόνα ἡμῶν); adeoque « ut idem sapiamus et in eadem permaneamus regula » 2. Cor. X. 15; Phil. III. 16; Gal. VI. 16. Inde sicut necessaria est «una fides,» ita quamdiu permanetur in statuta regula obedientiae fidei, facto ipso conservatur fides una non solum Romanorum, sed et Colossensium et Thessalonicensium parique ratione omnium Ecclesiarum particularium et omnium membrorum, quae fides est in universo mundo. Rom. I. 8. 12; Coloss. I. 6; 1. Thess. I. 7.8. Vide supra th. XI. et Tract, de Traditione th. IV.

Sicut igitur fides pertinet ad ipsam essentiam Ecclesiae ac fidei professio et praedicationis est prima fundamentalis manifestatio totius vitae Ecclesiae; ita proprietas prima

(1. Ὑπηχουσατε Οἱ ἐκ κοφδ.κ ε: ὑν πα:



et conditio, sine qua nemo potest esse membrum huius corporis ac civis huius regni Iesu Christi in terris, est «obedientia fidei» explicita, vel saltem implicita professio totius fidei ab Ecclesia propositae et praedicatae (1).

III. Verum Christus instituit etiam sacramentum fidei, baptismum, quo non modo infunditur habitus fidei, et continetur obiectiva realis professio fidei; sed imprimatur etiam indelebilis character tamquam consecratio in membrum corporis et in civem regni Iesu Christi (cf. de Sacram, in genere th. XIII. η. II.). Hinc fides primum postulatur, sed cum ea. ubique coniungitur sacramentum fidei ad formanda membra Ecclesiae, « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; » « cum credidissent evangelizanti de regno Dei; baptizantur viri ac mulieres; n u quid prohibet me baptizari?... Si credis ex toto corde, licet; n «audientes credebant et baptizabantur n Alare. XVI. 16; Act. VIII. 12. 36; XVIII. 8. Imo huius coniunctionis inter fidem et baptismum sensus expressius etiam declaratur, quod fide suscepta, per sacramentum perficitur obsignatio et unio cum corpore Christi, quod est Ecclesia. «In quo (Christo) et vos., credentes signati estis (ἐσφραγισθητε) Spiritu promissionis Sancto » Eph. I. 13. (2) (cf. de Sacram, th. XII.) «Unum corpus et unus Spiritus, unus Dominus, una fides, unum baptisma n ib. IV. 5. Unum corpus nempe quod Spiritu vivificatur et quod Domini est, non per unam fidem dumtaxat sed aequo necessario per unum Christi baptisma consignata habet sibi inserta membra sua. u Docete (ααθτ,τευσκετε discipulos facite) baptizantes eos » ATatth. XXVIII.

(1) Saltem *implicita* professio totius fidei cum principio obedientiae fidei dicitur necessaria, non solum quatenus in Ecclesia a singulis fidelibus plures fidei veritates inculpabiliter ignorari possunt; sed etiam quia invincibiliter adeoque inculpabiliter ignorantes ipsam veram Ecclesiam, ut qui haeretici mere materiales vocari soient, licet in loro externo exclusi ab Ecclesia, ad eandem tamen in foro interno pertinere possunt, de qua re alibi dicendum erit. /Ωμ

(2) - Ethnicos si converti volunt, in Ecclesiam admittimus, ut doctrinam audiant; non vero iis communicamus, usque dum accepto sigillo perfecti fuerint a w ατ,ν κοινωνουρεν αυτο., μξχ?ι ου την σφοαγ-ζχ λα>/-ZZ τελειωOωα.. Constitué Apost. 1. II. c. 38. cf. Hermae Pastor 1. III. sim. Ü. n. 17.

19: «qui receperunt, sermonem eius (Petri) baptizati sunt, et (hoc baptismo) appositae sunt (ζροσετεΟησζν) in die illa animae circiter tria millia » Act. II. 41. « In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus » 1. Cor. XII. 12. 13. (1).

Sicut ergo fides velut prima conceptio in utero matris Ecclesiae et necessaria praeparatio ad nativitatem praesupponitur, ita nativitas ipsa, in visibili Ecclesia appositio et realis unio ad corpus Christi non perficitur nisi per sacramentum fidei. « Dei Spiritus novum hominem matris alvo agitatum (catechumenum) et *partu fontis exceptum* manibus sacerdotis effundit, fide tamen pronuba » Pacian. serm. de baptism, n. 6. « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non intrabit in regnum coelorum : fiunt ergo inchoationes quaedam fidei conceptionibus similes, non tamen solum concipi sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur aeternam » Aug. ad Simplic. 1. I. q. 2. « Quoscumque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad regnum coelorum, non nisi baptizatos intelligere debemus » Id. ad Seleucian. ep. 265. n.4.

Catechumeni dicuntur esse « in vestibulo » (έν -ροθυροι ), quibus adhuc « in ipsam aulam ingredi necesse sit » (είσω γενεσθαι σε ξει) Greg. Naz. or. 40. n. 16; Cyrill. Hieros. Pro-catech. n. 1. Sunt adhuc « inserendi Ecclesiae » Cyrill. ibid, n. 17. August, de peccat, merit, et remiss, n. 39 ; ad Simpli-cian. 1. I. q. 2. n. 2. Assemanius in codice liturgico T. I. et II. collegit formulas precum super catechumenos iam credentes et mox baptizandos, ex diversis Ecclesiis latina, graeca, syra, chaldaica, armena, coptica, quae omnes in unum conspirant sensum. « Ut renoventur fonte baptismatis, et inter Ecclesiae tuae membra numerentur; n u tibi in Ecclesia tua gratia baptismatis renascantur; » « novo Testamento sobolem novae prolis adscribe:» ex Sacrament. Gelasii et Gregorii usque ad recentissimam recognitionem Pauli V. (T. I. p. 3. 5. 20. 22. 74. T. II. p. 21.). « Qui ad

(1) u Sicut enim de acido tritico massa una fieri non potest sine humore neque unus panis, ita ne? nos multi unum fleri iu Christo lesu poteramus sine aqua, quae de coelo est \* Iren, 1. III. c. 17.



baptismum sunt dispositi, unias illos sanctae tuae catholicae Ecclesiae « (ένωσησιν αυτού τη άγιη σου καθολική εκκλησία); « planta (φυτεύσον) eos in sancta tua catholica et apostolica Ecclesia; *n* *u* ut inserantur in radice olivae pinguis, quae est sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia » (apud Graecos et Coptos et Syros T. I. p. 120. 163. T. II. p. 134. 162. 240. 285.). « Ut sint oves veri Pastoris obsegnatae signaculo Spiritus tui Sancti, et honorabilia membra in corpore sanctae tuae Ecclesiae; » *u* Suscipe eos in ovili tuo » (apud Syros, Chaldaeos, Coptos, Maronitas T. I. . 166.183. 220. 223. T. II. 268. 330. 348.). *u* Ut fiat corpus et membrum Ecclesiae tuae « (apud Armenos T. I. p. 170.172,). Hinc est, quod catechumeni fide iam suscepta, manent tamen *u* expertes participationis et initiationis omnium sacramentorum hierarchicorum (1), quia ex divina natiuitate subsistentiam nondum acceperunt *n* Dionys. hierarch, eccles. . 7. Est enim *u* ipse baptismus initium sacramentorum omnium, in quo complantamur similitudini mortis Christi» s. Bernard, serm. de coena Domini n. 2. Quae omnia simul complectens declarat Eugenius IV. « Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis ianua est; per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae. *n* Decret, pro Armen.

IV. Si in Ecclesia consideretur tantummodo *veritas* revelata quae ipsi a Christo et ab Apostolis tradita est tamquam depositum custodiendum, praeter professionem integrae fidei et fidei sacramentum, de quibus hactenus diximus, non aliud requiri videretur, ut quis tamquam civis fidelis et initiatus ad hoc « regnum veritatis » pertineat. At vero regno Dei in terris non minus quam magisterium infallibile eique respondens unitas professionis per *u* obedientiam fidei, » ex institutione Christi essentialis est *potestas regiminis* seu sacrum imperium in legitima successione apostolica et nominatim ratione monarchiae (th. X.) in successoribus Petri, eidemque potestati respondens obedientia et per hanc unitas seu communio ecclesiasticae conversationis, quae ipsa unitas a Patribus dici solet *u* charitas pacis »

(Aug. de Baptism. 1. III. n. 19. et alibi saepe), charitas nempe socialis. Imo haec potestas regiminis seu iurisdictionis ipsa est, quae ex Christi conditoris Ecclesiae institutione ut *a* glutinum » unitatis, quemadmodum Cyprianus loquitur, format, connectit ac continet totam visibilem Ecclesiam. *a* Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni coelorum, *n* Ipse Christus dedit Apostolos, ac deinde, usque ad completionem mensurae aetatis plenitudinis Christi in suo corpore quod est Ecclesia, pastores ac doctores in opus ministerii ad hunc finem et effectum, ut sancti, filii nempe ac membra Ecclesiae, sint consummati ac intime coniuncti in unum atque ita iugiter aedificetur corpus Christi : « ad consummationem (ἄρσιν τοῦ ζῆταοτισμοῦ) sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis Christi. » Matth. XVI; Ephes. IV. Coloss. II. Qui igitur non vult fundari in petra, non est de magna domo Ecclesiae ; qui recusat subesse potestati clavium, extorris est a regno coelorum, tum proxime ac immediate ab eo quod est in terris, tum consequenter ab eo quod est in coelis ; qui non tenet caput per nexus et coniunctiones illas, quibus continetur et aedificatur corpus Christi (cf. th. XVI. η. II.), ipse non est membrum corporis.

Efficienter itaque (efficientia utique ministeriali) unio cum Ecclesia, cum regno Dei in terris, cum fraternitate quae in mundo est cum ovili Christi, cum discipulis Christi, cum corpore Christi ab iis proficiscitur ac dependet, quibus divina institutione dictum est : *u* tu es petra ; tibi dabo claves regni coelorum ; confirma fratres tuos ; pasce oves meas ; docete eos observare omnia, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus ; attendite vobis et universo gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus Episcopus regere Ecclesiam Dei ; pastores et doctores in opus ministerii in aedificationem corporis Christi.» Matth. XVI. XXVIII ; Luc. XXII ; Act. XX ; Eph. IV ; 1. Pet. V. Huic potestati subiunguntur ac uniuntur quibus ex eadem divina auctoritate et institutione dictum est : *u* et ipsi tamquam lapides vivi supraedificamini domus spiritualis ; si Ecclesiam (illos nempe quibus ibi promissum est, *quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo*) non au-



dierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus; obedite praepositis vestris et subiacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri » Matth. XVIII' Heb. XIII; 1. Pet. II.

Hinc valet utique tum primo de unione et subrectione erga successorem Petri et erga successionem Apostolicam universim, tum de unione et subiectione erga Episcopos singulos, quatenus hi in subordinatione sub Petri successore ac proinde in unione cum tota successione Apostolica legitimam exercent potestatem, quod Patres saepe repetunt, in episcopatu contineri Ecclesiam. « Ubi Episcopus comparuerit, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Iesus, ibi catholica est Ecclesia » (vel simpliciter si spectetur Episcopus universalis repraesentans Christum pro tota Ecclesia, vel pars catholicae Ecclesiae, si spectentur singuli Episcopi particulares manentes in unione cum Episcopo universali) Ignat, ad Smyrn. n. 8. « Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens, » a Scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo; et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse; et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum Dei sacerdotibus non habentes obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia quae catholica est, scissa non sit neque divisa, sed sit ubique connexa et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata» Cyprian, ep. 69. ad Florent. Pupian. Hoc vero *glutinum*, quatenus est glutinum visibile unius visibilis Ecclesiae, ex institutione Christi esse ipsum Petrum in singulis suis successoribus, satis ex superius demonstratis constat, a Ad hanc enim Ecclesiam propter potentioris principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio » Iren. III. c. 3. a Dominus noster... Episcopi honorem et Ecclesiae suae rationem disponens in Evangelio loquitur et dicit Petro: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per

eosdem praepositos gubernetur » Cyprian, ep. 33. ad lapsos. De hoc ita per successionum vices cum Petro cohaerente Episcopatu valet, quod Irenaeus testatur: «Eis qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt; reliquos vero, qui absistunt a principali successione, et quocumque loco colligunt, suspectos habere... Ab omnibus igitur talibus absistere oportet; adhaerere vero his qui et Apostolorum, sicut praediximus doctrinam custodiunt, et cum presbyterii nomine sermonem sanum et conversationem sine offensa praestant » Iren. IV. cap. 26.

In hac porro communionem ecclesiasticae conversationis sub regimine successionis Apostolicae manifestum est includi et contineri communicationem sacramentorum in unitate Ecclesiae sub sacerdotio eidem Ecclesiae unito, inde a Christo institutore et ab Apostolis primis sacerdotibus legitime sibi succedente usque ad secundum magni sacerdotis adventum (1. Cor. XI. 26.). Possunt quippe esse et sunt extra unitatem Ecclesiae vera sacramenta Christi, quae valide sed illegitime atque adeo sacrilege administrantur; administratio autem legitima non potest esse nisi in unitate Ecclesiae, cuius sunt et pro qua sunt instituta ipsa sacramenta. Hoc vero ipsum est non solum generatim propter statum peccati, cuiusmodi sacrilegia, proh dolor! etiam intra Ecclesiam patrantur, sed speciatim quia illi sese subtraxerunt potestati liturgicae, quae partem constituit potestatis regiminis seu iurisdictionis, atque hoc ipso sese separarunt et excisi sunt ab unitate Ecclesiae, cum haec citra subiectionem sub potestate regiminis, qua unitas continetur, consistere non possit. Nec mirum, quod haec unio in sacramentis non minus quam in regimine sociali a vetustis Patribus inde ab aevo Apostolico tam instanter commendetur ut proprius character unitatis Ecclesiae; sunt enim sacramenta vinculum unitatis inter visibilia omnium sanctissimum. « Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa..... ita et Christus. Etenim in uno Spiritu  
77v£uy.av'.) omnes nos in unum corpus baptizati su-



mus et omnes in uno Spiritu (εἰς νευιχα) potati sumus. » a Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus » (1. Cor. X. 17; XII. 13.). Unde facile intelligitur, quod diximus, ipsam divisionem in sacramentis (quia ex parte schismaticorum est violatio unitatis corporis Christi) et non solam indignam participationem, formaliter constituere sacrilegium. «Divisiones fugite ut principium malorum (1). Omnes Episcopo obtemperate, ut lesus Christus Patri; et presbyterio ut Apostolis; diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. Separatim ab Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad Ecclesiam spectant. Illa rata habeatur Eucharistia, quae sub Episcopo peragitur, vel cui ipse concesserit. Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus lesus, ibi catholica est Ecclesia. Non licet sine Episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare (2); sed quod ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut firmum sit ac ratum omne, quod peragitur. » Ignat, ep. ad Smyrn. n. 8. Hoc idem apud Irenaeum dicitur de iis, « qui quocumque loco colligunt; » et eodem modo apud Cyprianum extorres declarantur, « qui latenter apud quosdam communicare se credunt; » et quisquis « audet constituere aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, » dicitur « dominicae hostiae veritatem per falsa (ex parte offerentium sacrilega) sacrificia profanare, »

V. Contumaci negatione doctrinae fidei ab Ecclesiae magisterio sufficienter propositae, defectione ac subtractione a legitima potestate regiminis et separatione a potestate liturgica, quibus Christus Salvator suam Ecclesiam ut regnum visibile instituit, ex ipsa natura rei continetur defectio ab Ecclesia. Evidens autem est, Ecclesiam pro sua potestate iudiciaria et coërcitiva (th. XII. n. IV.) posse, et constat semper consuevisse huiusmodi exclusionem adversus

(1) Ὡς ἀρχὴν κἀζῶν, nempe ut principium fecundum ac fontem malorum.

(2) Ἐκείνη βέβαια εἶναι αὐτοῦ; ἐπιτρέψῃ. Ὅπου ἀναρχοῦ οὐτε Sa

γείσῳ, ἢ ὑπο τὸν ἐπίσκοπον οὐσα, ἢ ὡς τὴν ἐπίσκοπον, ἢ τὸ πλῆθος ἔστω, ὡς περὶ ὅπου ἡ ἐκκλησία. Οὐκ ἔξον εἶναι οὐ ἐπιποιεῖν.



rebelles sua etiam iuridica sententia pronuntiare ac declarare. Unde ab ipso exordio Ecclesiae in Conciliis et Pontificum decretis videmus haereticos et schismaticos tum iure constituto tum etiam plerumque specialibus ac personalibus sententiis *anathemate* damnari. Iam vero ex ipsa ratione ac natura Ecclesiae, quatenus societas est visibilis, et ex notione potestatis regiminis, quae sicut legifera ita etiam iudiciaria est et coactiva, consequitur non modo contra haereticos et schismaticos, qui ipso suo delicto a regno veritatis et unitatis deficiunt, sed etiam ob alia gravia crimina posse decerni exclusionem ab Ecclesia. Huiusmodi porro legitimae sententiae excommunicationis privant quidem immediate et directe externa communicatione in conversatione cum *a* fraternitate quae in mundo est, » in liturgia et sacramentis, quatenus excludunt a *societate visibili*; verum hoc ipso privant etiam participatione illorum bonorum spiritualium et invisibilium, quae in istis visibilibus continentur, quia excludunt a *societate supernaturali*, et ratae habentur a Christo auctore bonorum Ecclesiae tum secundum elementum visibile tum secundum elementum invisibile spirituale, quatenus cum visibili cohaeret: *u* tibi dabo claves regni coelorum; et quodeumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis. *r* Ergo (ut inde concludit Augustinus) *a* cum excommunicat Ecclesia, in coelo ligatur excommunicatus, *r* sicut vicissim ex potestate solvendi *u* cum reconciliatur ab Ecclesia, in coelo solvitur reconciliatus *n* Aug. in Io. tract. 50. n. 12. (1).

Certe sicut Christus in sua Ecclesia, ut est *regnum sanctificationis*, instituit potestatem sacerdotii, quae simul sit iudicialis ad remittenda et retinenda peccata in foro interno conscientiae (Io. XX. 22. 23.), et huiusmodi peccatorum retentio ipsa natura sua ligat conscientiam etiam pro usu sacramentorum et rerum sacrarum visibilium in Ecclesia; ita

(1) *u* Propositio asserens *effectum excommunicationis exteriorem duntaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriori communicatione Ecclesiae*; quasi excommunicatio non sit poena spiritualis, ligans in coelo, animas obligans; ex Augustino ep. 250. Auxilio Epo.; Tract. 50. in Ioan. n. 12. falsa, perniciosa, in art. 23. Luteri damnata, al minus erronea » Pius VI. *Auctorem fidei* contra Prop. 4G.

in eadem sua Ecclesia ut est regnum veritatis et sacrae disciplinae seu conversationis (τη πολιτεια cf. Eph. II. 12: Phil. III. 20.), instituit iudiciale potestatem regiminis etiam immediate pro foro externo ad solvenda et liganda, *quaecumque* in regno Dei solutionem merentur vel ligationem postulant (Matth. XVI. XVIII.). Haec autem, quatenus ligandi potestas spectatur, primo quidem non solum illa sunt, quibus iam per sese contra regnum veritatis et unitatis in sancta conversatione rebellio habetur, sed alia quoque *quaecumque* bono ipsius regni opponuntur. Tum vero ligamina huiusmodi possunt pertingere usque ad interdictionem omnium bonorum et institutorum visibilium, quorum administratio ipsi potestati universali ligandi atque solvendi commissa est, atque adeo usque ad exclusionem ab ipso regno visibili.

Sane Matth. XVIII. Christus Dominus loquitur in primis de - fratre \* pertinente ad societatem religiosam Ecclesiae, quod etiam manifestum est ex poena infligenda, de qua mox dicemus, et ex contextu sequenti, *u* ubi sunt congregati in nomine meo... ibi sum in medio eorum, *n* Porro delictum quod supponitur, est obstinata offensio contra alium, et inde consequens inobedientia, nullatenus vero spontanea separatio ab Ecclesia. Potestas porro indicandi de delicto utroque confertur ipsi Ecclesiae; haec autem *Ecclesia indicans* potestate independente et sine-appellatione ad aliud tribunal extraneum designatur *in Apostolis*, *u* Dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit... Arnen dico vobis, *quaecumque* alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo. » Poenam denique quae ab hac iudiciaria potestate infligenda est, Dominus enuntiat illis verbis: «sit tibi sicut ethnicus et publicanus. » Quod quidem ex ipsa vi verborum in contextu, ubi de fratre agitur societatis religiosae, quae est Ecclesia, et de ipsius Ecclesiae indicio, profecto non aliud est aut intelligi potest, quam exclusio ab Ecclesia, sicut ab ea exclusi sunt ethnici ex ipsa rei natura, et publicani ex sententia synagogae confirmata a Domino per illam coniunctionem et aequiparationem cum ethnicis (1). Hic sensus poenae ecclesiasticae ab ipso Christo

(1) *u* Dic Ecclesiae id est praesidibus ο: οἰδρευουσ.). Quod si Ecclesia non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Talis enim



designatae ea formula a sit ut ethnicus et publicanus η confirmari potest ex aliis locis, in quibus Apostoli iudicium. exercent et sententiam dicunt contra eos, qui certissime erant et declarabantur separati ab Ecclesia. « Circa fidem naufragaverunt... quos tradidi Satanae ut discant non blasphemare. » « Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, *anathema sit.* » « Qui non confitetur Iesum Christum venisse in carne, hic est seductor et antichristus... Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis (1); qui enim dicit illi ave, communicat operibus eius malignis » 1. Tim. I. 20; Gal. I. 9; 2. Ioan. 10.

Exemplum illustre exercitii illius a Christo institutae potestatis ligandi usque ad exclusionem ab Ecclesia ob crimina, quae non ex sua iam natura separationem inducant, exhibet Paulus 1. Cor. V. Delictum indicandum et puniendum est incestus unius ex fidelibus v. 1. Imo nominantur adhuc alia peccata, in quae si inter fideles occurrant, simili poena pro eorum gravitate animadvertendum sit v. 11. Non ergo Christus (Matth. XVII.) sententiam restringit ad solam quae ibi explicite nominatur, obstinatam offensio- nem fratris, quod alioquin manifestum est ex universalitate collatae potestatis: « quaecumque alligaveritis super ter- ram. » Porro Paulus exercet verum iudicium et dicit iuri- dicam sententiam potestate a Christo accepta, potestate ec- clesiastica, cuiusmodi in solos baptizatos exseri potest. « Quid enim mihi est de iis qui foris sunt, indicare? nonne de iis qui intus sunt, vos indicatis? (του έξω κρινειν.....

homo incurabili morbo laborat..... Sed audi sequentia: quodcumque alligaveritis super terram, erit ligatum et in coelis. Non dixit Ecclesiae praesuli (το> προεδρο της εκκλησιας), alliga illum; sed si alligaveris..... tunc vincula indissoluta manent.... Haec porro comminatus est, ne istacc accidant, sed metuens et minas et ab Ecclesia ciecionein (και την απο της εκκλησιας εκβολήν) et periculum ex vinculo partum nec non illud in coelis vinculum (και τον ir.o του δεσμού κίνδυνον και το εν ούσανοι δεδεσΟαι), mi- tior fiat n Chrys. in Matth. horn. al. Gl. n. 2.

(1) Ηοι idem dicit Paulus, quando de haereticis agens iubet fideles . declinare ab eis, » t evitare eos. « Kom. XVI. 17. 2. Tim. III. 5; Tit. III. 10.

†\*

†.

ἔσω κρινετέ). Nani eos qui foris sunt, Deus indicabit» v. 12. Iudices quippe sunt illi, quibus dictum est: « baptizantes eos.,. docentes servare omnia; n et vicissim: u obedite praepositis vestris et subiacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri » (Heb. XIII. 17.). Neque igitur de potestate iudicandi et puniendi agitur extraordinaria et solis Apostolis collata, sed omnino de potestate ordinaria a Christo instituta; nam eam ait potuisse et pridem debuisse exerceri ab ipsa Ecclesia Corinthiorum (1), ab iis nempe qui a Christo (Matth. XVIII.) designantur nomine Ecclesiae, et sunt tum Apostoli tum ab eis derivatam potestatem habentes, u praesides Ecclesiae, » ut contextus Evangelii demonstrat et Chrysostomus cum aliis Patribus explicat. Forma autem iuridica sententiae a Paulo latae est gravissima: « iam iudicavi ut praesens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu Christi » v. 3. 4. Iam poenam ipsam decretam attendamus; de hac enim potissimum nunc nobis sermo est. Ea his verbis exprimitur: « tollatur de medio vestrum (ἐξαρθη ἐκ ρ,εσου ὑ.ων), qui hoc operatus est; » u auferte malum (hominem) ex vobis ipsis » (ἐξαρετε τον -ονχρον ἐ ἡχων αὐτων); addita aliqua declaratione modi: u ne comminisceamini eis; » a cum eiusmodi nec cibum sumere; » non cibum profanum, multo ergo minus cibum dominicum (cf. XI. 32-34.) (2). Similibus omnino formulis superius vidimus a Paulo et Ioanne enuntiari exclusionem haereticorum. Poena denique cum sententia excommunicationis coniuncta vel eam consequens est: « tradere huiusmodi Satae in interitum carnis, » quod ipsum 1. Tim. I. 20. pronuntiavit contra haereticos. Sed quia pro peccatore fidei poena est potissimum medicinalis, ibi additur ad spem erigendam: « ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi; n pro haeresiarchis vero comminatio severior:

.1; « Non magis lactum, habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. »

(-) 'E: δε χο-νη τροφή τοι το.ουτοι οὐ δεῖ ζο:νωνει κη τε ζα- θεια . Theodorei. in h. 1.



4i ut discant non blasphemare; *n* est enim in his et excisio ab Ecclesia plenior, et minor spes reditus.

Ex institutione Christi igitur, ex doctrina et praxi Apostolorum potestas ligandi in Ecclesia exstat huiusmodi, ut peccator, quamvis ratione tantum habita ipsius peccati adhuc manens in Ecclesia, per sententiam illius potestatis possit tolli de medio Ecclesiae, tradi satanae, excludi a communicatione et conversatione cum fidelibus in rebus primo ecclesiasticis atque inde ratione finis huius poenae etiam in rebus civilibus, ut sit extra Ecclesiam sicut extra eam sunt (licet aliis rationibus et modis) ethnici et publicani et haeretici.

Catholicus intellectus et Patrum explicationes in hunc, quem diximus sensum, Christi institutionem et Apostolicam doctrinam accipiendam esse luculenter demonstrant.

Hilarius locum utrumque Apostoli (1. Cor. V; 1. Tim. I.) explicans scribit *a* licet Apostolus tradat (Satanae), scit tamen se et in virtute Christi et in suo spiritu (virtute a Christo accepta) traditurum... *qui enim ab Ecclesiae corpore respuuntur, quae Christi est corpus*, tamquam peregrini et alieni a Dei corpore dominatui diaboli traduntur *n* Hil. in Ps. 118. littera 16. Ain n. 5.

Eodem sensu sed ad praecavendam haeresim Novatiano-runi spem reconciliationis ostendens loquitur Ambrosius. - Venit (Apostolus) in virga, quia a communione sacra convictum removet; et bene dicitur tradi Satanae, *qui separatur a Christi corpore*. Venit etiam in charitate spiritu-que mansuetudinis, vel quia sic tradidit, ut spiritum eius salvum faceret, vel quia eum quem ante sequestraverat, postea (2. Cor. II. sqq.) sacramentis reddidit » Ambr. de poenit. 1. I. c. 15. n. 78.

Pariter Hieronymus: *u* Apostolus loquitur, quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare; et in alio loco, quos tradidi, inquit, Satanae in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit. Non debemus ergo, si forsitan *ob aliquod peccatum de congregatione fratrum et de domo Dei eiicimur*, reluctari, sed aequo animo latam in nos ferre sententiam, et dicere cum propheta (Mich. VII. 9.): iram Domini sustinebo, quoniam peccavi ei, donec iustificet causam meam » Hieronym. in Ezech. XVII. 19. (I. V. in fine).

Augustinus ubi triplicem classem distinguit peccatorum nisi essent quaedam ita gravia, inquit, *ut etiam excommunicatione plectenda sint*, non diceret Apostolus, congregatis vobis et meo Spiritu tradere eiusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Iesu - Aug. de fide et operib. c. 26. n. 48.

Quid sibi velit *excommunicatio*, quam Augustinus memorat, etiam ubi minime de haeresi aut schismate sed de aliis fidelium peccatis agitur, in eadem Africa (ne Tertullianum commemoremus, qui suos Montanisticos errores descriptioni huius censurae inspersione), graviter iam declaraverat Cyprianus. Pomponium episcopum *a* consulte et cum vigore fecisse, » scribit, *abstinendo* diaconum ob peccatum incontinentiae, et ita etiam virgines incontinentes *u* *gradiori censura eliciendas esse*, nec in Ecclesiam postmodum tales facile recipiendas. » Nihilominus contra haereticum rigorem Montanistarum (1) etiam huiusmodi e Christi adultera » si poenitentiam egerit « aestimato insto tempore, postea exomologesi facta ad Ecclesiam redeat. » Verum si in peccato persistent, *u* sciant se cum hac sua impudica obstinatione *nunquam a nobis admitti in Ecclesiam* posse, ne exemplum ceteris ad ruinam delictis suis facere incipiant, » Ergo per ipsam sententiam qua *abstinentur* et *eliciuntur* profecto foris sunt, quare comparando veterem legem et novam oeconomiam ita concludit: *u* Interfici Deus insit sacerdotibus suis non obtemperantes et indicibus a se ad tempus constitutis non obaudientes. Et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc et circumcisio carnalis manebat; nunc autem quia circumcisio spiritualis esse apud fi-

(1) Hanc haeresim Tertullianus tum alibi tum toto libro de pudicitia multis ingeniosis sophismatibus et detersionibus verborum Scripturae defendit. *a* Qui post baptismum et introitum sacerdotum reformatus denuo resumat scabra et maculas carnis, et abiicitur extra civitatem in locum immundum. traditus scilicet Satanae in carnis interitum, nec amplius reaedificatur in Ecclesia post ruinam \* de Pudic. c. 20. Quoi vero Apostolus significat scopum poenae esse, *u* ut Spiritus salvus sit in die Domini, id Montanista non de salute peccatoris sed de spiritu Ecclesiae interpretatur: *u* superest igitur, ut eum spiritum dixerit qui in Ecclesia censetur, salsum id est integrum praestandum in die Domini ab immunditiarum contagione eiecto incesto fornicatore s. ibid. c. 13



deles servos Dei coepit, spirituali gladio superbi et contumaces necantur, *dam de Ecclesia eliciuntur* (1); *neque enim vicere furis possunt, cani domas l)ei una sit, et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit,* n Cypr. ep. 62. ad Pompon.

Patres graeci in eundem sensum, ut latini, loquuntur de separatione ab Ecclesia secundum Christi institutionem ab Apostolis declarata et exercita. « Audi denique ipsum (Apostolum) dicentem de eo qui peccaverat; tradidi, inquit, huiusmodi hominem Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat. Vides ergo, quia non solum per Apostolos suos Deus tradidit delinquentes in manus inimicorum; sed et per eos qui Ecclesiae praesunt, et potestatem habent non solum solvendi sed et ligandi, traduntur peccatores in interitum carnis, *cum pro delictis suis a Christi corpore separantur...* cum delictum eius manifestum fit Ecclesiae, *et per sacerdotes de Ecclesia pellitur,* ut notatus ab omnibus erubescat, et converso eveniat illi, quod sequitur, ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Iesu Christi n Origen, in Iudie, hom. 2. n. 5. (T. II.).

Gregorius Nyssenus orationem habet adversus eos, qui

(1) Inter veterem legem: « peribit de medio populi sui; » « exterminabitur anima illa de populis suis; » et inter legem novam: « auferte malum ex vobis ipsis, » comparatio etiam ab aliis Patribus instituitur. Monet Augustinus Auxilium Episcopum, qui totam domum Classiciani anathemate damnaverat, non recte fieri si innocentes cum reis tam gravi poenae subiiciantur. « Tunc quidem (in veteri lege) ad terrorem viventium mortalia corpora perimebantur, quando pe utique moritura. Spiritalis autem poena, qua fit, quod scriptum est, quae ligaveritis in terra, erunt ligata et in caelo, animas obligat.... Si una anima per istam severitatem, qua tota domus ista anathemata est, sine baptismo de corpore exeundo perierit, innumerabilium mors corporum, si de Ecclesia homines innocentes violenter abstrahantur et interficiantur, huic damno non poterit comparari Aug. ep. 250. n. 1. 2. ad Anxii. Alibi animadvertit s. Doctor, to modo quo scriptum est (Dent. XXIV. 7.): « auferetis malignum ex vobis ipsis τ (LXX. ἐξαρεῖ τον πονηρόν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν), mandasse etiam Paulum Corinthiis ἐξαρεῖτε τον πονηρον ἐξ ὑμῶν αὐτῶν (1. Cor. V. 13.) « Nec ait, (Apostolus) το πονηρον id est, hoc malignum, sed τον πονηρόν, quod est *hunc malignum*. Ex quo apparet, eum voluisse intelligi, qui aliquid tale commisit, ut excommunicatione sit dignus. *Iloc enim nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc (in lege veteri) interjectio* » Aug. in Heptateuch. 1. V. quaest. 39.

poenas ecclesiasticas graviter ferunt, ac speciatim de homine loquitur, qui a cum ab Ecclesia exclusus sit  $\eta$  (χην τη εκκλησία ἀποκλεισθη), pervicacem se ostendit. Sicut Patres alii ad Evangelium et ad Apostolum appellat, ex quibus potestatem Ecclesiae et valorem poenae etiam in coelo atque adeo pro altera vita demonstrat. « Per Petrum Episcopis dedit clavim poenarum, quae in coelo valeant (την κλειδα των ἐπουρανιῶν τυχῶν). Agnosce quod solutus, solutus es; et ligatus vinculis invisibilibus constrictus es. Si oculos haberes ad animae substantiam pertinentes, ostenderem (*ibi excommunicato* (σοι τω ἀφορισᾷχενω) speciem condemnati, gravissimis vinculis cervice depressi, nullum membrum liberum aut solutum habentis. Atque utinam cum vita supplicium terminaretur; nunc vero si quid humanum evenerit, et repente mors accesserit, ut latro de nocte, scito tibi occlusa esse, quae illic sunt. Diligentes sunt et qui non ludant illius regni ianitores, vident animam separationis notas ferentem (την ψυχὴν τὰ του ἀφορισίχου φερουσαν συρφολα); quasi quemdam foetore et sordibus carceris notatum. abigunt eam a semita quae ad bona ducit, non sinunt cernere agmina iustorum et angelicam laetitiam.... Ne excommunicationem arbitraris esse episcopali arbitrio inductam; paterna lex est, antiqua Ecclesiae regula, quae a lege traxit originem et in gratia obtinuit. Considera s. Paulum per epistolam excommunicationis sententias (τα; ἀποφασει; του ἱεροισίχου) contra reos ferentem, et Corinthium iuvenem huiusmodi medicamento sanantem » Gregor. Nyss. 1. c. (T. II. p. 746. 747.). Consentiant reliquis Patribus in explicatione 1. Cor. V. (collato 1. Tim. I.) Chrysostomus, et qui eius interpretationes fere solent in compendium redigere Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus. « Quomodo tradiderit (Satanae), audi. Congregatis, inquit, vobis et spiritu meo cum virtute Domini nostri Iesu Christi tradite huiusmodi Satanae. *Eliciebatur ergo statim a communi consessu, abscindebatur a grege;* erat desertus et nudus, tradebatur lupo. Sicut enim nubes castra Hebraeorum, ita Spiritus Ecclesiam signabat (1). Si quis ergo extra

(1) Intelligi-est bare ex Irenaei .sententia: «ubi enim Ecclesia ibi'et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei. illic Ecclesia \* 1. III. c. 24. n. 1.



eiiciebatur, comburebatur (spiritualiter in nova, corporaliter in veteri lege). *Extra autem eiiciebatur indicia Apostolorum* » (1). Chrys. in 1. Tim. hom. 5. n. 2.

Quoad rem ipsam non aliud quam hactenus expositam doctrinam Scripturae et Patrum continent *u* formulae excommunicationis « paulo recentiores, quae variis non semper et ubique iisdem ceremoniarum solemnitatibus (2) ad poenae gravitatem ob oculos ponendam circumvestiri solebant. In omnibus huiusmodi formulis summa rei ad hanc fere revocatur sententiam: *u* Canonica instituta et sanctorum Patrum exempla sequentes, (ecclesiarum Dei violatores) auctoritate Dei et indicio Sancti Spiritus *a gremio sanctae matris Ecclesiae et consortio totius christianitatis eliminamus*, quousque resipiscant et Ecclesiae Dei satisfaciant” (apud Baluzium Capitular. T. U. p. 670.). Ita s. Gregorius VII. Stephanum siraoniacum : *u* excommunicavimus (inquit) *et a gremio sanctae Ecclesiae separavimus*; » de Venetis excommunicatis: *a extra consortium membrorum Christi et Ecclesiae Jacti estis*; » Ravennates qui deposito Episcopo adhaerere ausi fuerint, *u* *eos relut putrida membra a toto corpore Christi, quod est Ecclesia catholica, anathematis gladio resecamus atque abiicimus* » (3) illi qui conatibus pacis inter filios Raimundi restituendae obstiterit, *a* gratiam s. Petri auferimus, eumque sicut mein-

(1) 'Ε' ε,ιαλλετο ούν εύθεω του κοινού συνέδριου, άπεσ/ιζετο τη αγέλη , ο , παρεδίοοτο τω λυζω, ώσπερ γαρ ή νεφελη το στρα- ΤΟΤ δον των 'Είοαιων ούτω την εκκλησίαν το πνεύμα έγνωριζεν. Εί τι τοινυν έκτο εγινετο, ζα ετο. εγινετο δε τη ζρισει των αποστολών.

(2) Ex hisce accidentalibus solemnitatibus non vero quoad rem ipsam distingui consueverat simpliciter quamvis proprie dicta *excommunicatio*, et *anathema*, et aliquando *maran atha* (H<sup>9</sup> ex 1. Cor. XVI. 22., quae est divini indicii comminatio (exi Baynaudum de Monitor, cedes. P. II. c. 7. T. XIV. p. 444. sqq.).

(3) Ita etiam in statutis Aeduensibus saeculi XIV. dicitur: *a* cum excommunicatus .sit *membrum putridum, ciectum ab Ecclesia*, totiens quotiens satagit interesse divino officio.... praesumptuose agit contemnendo claves Ecclesiae ^Thesaur. Anecdotorum Martenii et Durandi T. IV. p. 516. n. 52.). Ideo inbentur « instantissime moneri *ad redeundum unitati Ecclesiae* » . 388. n. 13: p. 581. n. 21. in statutis Avinion. anni 1509.).

bruni diaboli et desolatorem christianae religionis festinabimus a communione christianae societatis abscindere; n comes Flandriae si a defensione Lamberti inuasoris Ternanensis ecclesiae intra quadraginta dies nollet recedere; - segregatus et excommunicatus foret a corpore et communione sanctae Ecclesiae auctoritate Dei et indicio Sancti Spiritus; » Lambertum inuasorem ipsum «sancta universalis Ecclesia irrecuperabiliter depositum maledixit et anathematizavit, et extorrem omnino a communione totius Ecclesiae esse indicavit, n Harduin. Concil. T. M. P. I. p. 1361. 1367. 1371. 1402. 1408. 1506. 1508. Hinc eos, qui ab excommunicatione absolvuntur, idem Gregorius solet dicere: « ad sinum communis matris Ecclesiae recocari; » u auctoritate beati Petri suscipi et ad gremium matris nostrae Ecclesiae reduci; » u relaxato anathematis vinculo in communionis gratiam et sinum sanctae matris Ecclesiae recipi » Ibid. p. 1343. 1344. 1356. 1384. 1508. In eundem sensum Innocentius III. loquitur de iis, u qui pro suis excessibus ab Ecclesia separati diu non erubuerunt in excommunicatione manere; n et comes Celanus excommunicatus dicitur « expulsus ab Ecclesia extra eam vagari, n Poenitentibus vero excommunicatis (de Philippo Svevico agit) « redeuntibus ad Ecclesiae gremium, inquit, nolumus aditum veniae denegare » Innocent. III. Opp. (ed. Aligne) T. II. p. 1032; T. III. p. 1095. ■

Ex demonstratis constat, professionem integrae fidei una cum fidei sacramento, subiectionem hierarchicam erga visibile caput Ecclesiae et erga legitimos unicuique proprios pastores, communionem denique iuridicam conditiones esse necessarias ad unionem singulorum membrorum cum Ecclesia constituendam, ita ut non modo ii. quibus omnia, sed etiam quibus singula ea unionis vincula desint, simpliciter loquendo in Ecclesia esse tamquam eius membra dici nequeant. Non ergo solum infideles omnino foris sunt, ut sine ambiguitate per se manifestum est; sed neque haeretici, neque catechumeni, neque schismatici, neque ob alia quaevis delicta excommunicari, simpliciter membra Ecclesiae et in Ecclesia esse existimari possunt, quamvis secundum quid iidem omnes cum Ecclesia cohaerere, et eorum aliqui etiam mem-



bra Ecclesiae aliquo sensu dici possint, de qua distinctione agendum nobis adhuc remanet. Interea advertatur, in commemoratis conditionibus ac. vinculis unitatis gradus esse, ita ut integritas fidei sit fundamentum, cui et subiectio hierarchica et communio iuridica innitantur; atque inde est, quod haeresis tum schisma tum excommunicationem, schisma vero excommunicationem non tamen per se haeresim (1), excommunicatio nec schisma nec haeresim comprehendat.

(1) De haeresi, schismate et excommunicatione ob alia delicta, quid inter ea intersit, Hieronymus brevi non minus quam luculenta sententia complexus est. « Fornicator, adulter, homicida, et cetera vitia per sacerdotes de Ecclesia propelluntur. Haeretici autem in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes.... Inter haeresim et schisma hoc esse arbitrantur, quod haeresis perversum dogma habeat; schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur; quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest. Ceterum nullum schisma non sibi aliquam confingit haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur » Hieron. in Tit. III. 10. 11. Propter hanc causam Augustinus dicit, inter schisma et haeresim se approbare « magis eam distinctionem, qua dicitur schisma esse recens congregationis ex aliqua sententiarum diversitate dissensio, neque enim et schisma fieri potest, nisi diversum aliquid sequantur qui faciunt; haeresis autem schisma inveteratum. » Ostendit deinde, Donatistas non modo schismaticos esse sed etiam haereticos: « vel quod in schismate inveterato remansistis, inquit, vel ex tua (Cresconii) definitione, quod de Ecclesia, quae corpus est Christi, vel de iteratione Christiani baptismi diversum sequimini s Aug. cont. Crescon. 1. II. ce. 7. 8.

MS

P  
H\*

THESIS XXIII.

*Distinctius explicantur rationes, quibus alicui sectae ad scripti, excommunicati, ac denique catechumeni ad Ecclesiam referuntur.*

- Facta distinctione inter id quod est pertinere ad Ecclesiam Christi in terris *simpliciter* et ex integro, et quod est pertinere seu referri ad illam *secundum quid* et ex aliqua parte, tenendum est, omnes illos quos nominavimus, *ex aliqua parte* cohaerere cum Ecclesia. Namque 1°. qui in secta aliqua *materialiter* tantum versantur, ii in foro interno et in iudicio Dei per veram fidem et characterem baptismi sunt membra unius catholicae Ecclesiae Christi, in foro tamen externo et in iudicio Ecclesiae adulti inter eos *praesumuntur* haeretici aut schismatici; haeretici et schismatici *formales* ipso characterem baptismi manent iurisdictioni ac legibus Ecclesiae subiecti, et eodem characterem omnibusque institutis Ecclesiae propriis quae sibi retinuerunt, eo strictius obligantur, ut redeant ad ovile, cuius signum gerunt impressum, sicut vicissim Ecclesia oves cum signo errantes eo diligentius quaerit, 2°. Excommunicat! ex ipsa intentione ac indole poenae *medicinaliter* non *mortaliter* sunt exclusi, ut quam primum satisfaciendo quaerant reconciliationem, et vi poenae bonis quidem visibilibus Ecclesiae visibilis, non tamen per se spiritualibus, nisi quatenus haec cum illis cohaerent, privati sunt. 3°. Catechumeni quantumvis fide, spe et charitate cum spiritu Ecclesiae, atque ita voluntatis *voto* cum ipsa visibili Ecclesia in terris uniri possint, quoniam tamen eidem *actu ipso* et characterem sacramenti fidei incorporati non sunt, ideo nec visibilium mysteriorum Ecclesiae participes esse possunt nec eius iurisdictioni ac legibus obnoxii sunt, sed ex lege divina et naturali obligantur magisterio Ecclesiae eiusdemque magisterii disciplinae. »

OH

I. Quae in superiori thesi demonstrata sunt valent utique, quando haeresis, schisma, excommunicatio stricto sensu una cum perseverante animi pertinacia considerantur, et vicissim praedicata *pertinere ad Ecclesiam et esse membra Ecclesiae* sensu proprio pleniore et. ut supra diximus, *simpliciter loquendo* accipiuntur. Ex altera vero parte vincula multa sunt, quibus iidem haeretici, schismatici, excommunicati, et catechumeni nondum baptizati cum Ecclesia *aliquatenus* cohaerent, vel pro diversa eorum dispositione cohaerere pos-



sunt, adeo ut sine distinctione huius rei liquida declaratio fieri nequeat. Et sane diversitas opinionum ancipitesque in hac disputatione theologorum sententiae ex neglectis his distinctionibus derivari videntur.

Univ\ersim «) valet distinctio, ut aliud sit *simpliciter pertinere* ad Ecclesiam et esse tamquam membrum in corpore Ecclesiae, tamquam civem in visibili regno Dei, atque rursum aliud sit *secundum quid* et ut Augustinus loquitur, *ex aliqua parte pertinere*, ad hanc Ecclesiam et ad hoc regnum Dei in terris. Sed hoc ipsum quod dicimus *secundum quid pertinere* ad Ecclesiam, indiget explicatione. Igitur *b)* aliud est esse ex iure subiectum legis, iudicariae, coactivae potestati Ecclesiae; et aliud est esse participem bonorum, quae Christus in Ecclesiam *u* quasi in depositarium dives » contulit. (Cf. Iren. III. 4. n. 1; 24. n. 1.). Porro *c)* distingui debet inter eos qui in foro etiam externo, in quo iudicat Ecclesia iudicio externo sociali, sint et habeantur membra Ecclesiae, et inter alios, si qui in foro tantum interno coram Deo, in quo Ecclesia non iudicat nisi sacramentaliter, ad ipsam pertineant. Postremo *d)* aliud est participem esse bonorum et donorum visibilium, quae Christus in sua Ecclesia et pro solis membris Ecclesiae instituit ad finem quidem gratiarum ac charismatum invisibilium ipsiusque beatitudinis aeternae; et aliud est harum gratiarum aeternaeque beatitudinis posse fieri participem sine actuali participatione illorum donorum visibilium. Hoc ultimum fieri quidem potest, sed (ob ipsam connexionem visibilium et invisibilium donorum a Christo ordinatam) non nisi cum relatione ad ipsa dona visibilia, adeoque ad Ecclesiam cuius illa sunt propria; ac propterea non nisi per *votum* saltem implicitum unionis visibilis in defectu hic et nunc inculpabili donorum visibilium.

Secundum has distinctiones iam examinemus, quomodo illi quos in superiori thesi demonstravimus, non esse actu membra Ecclesiae adeoque simpliciter ad eam non pertinere, nihilominus *secundum aliquid* ad eam pertinere dici possint, et quomodo illud *aliquid* et proinde ipsum illud *pertinere ad Ecclesiam* in diversis aliter atque aliter se habeat.

II. Sacramenta a Christo utique in sua Ecclesia et pro sua Ecclesia sunt instituta; imo sunt unum ex principalibus elementis, quibus Ecclesia Christi in terris fundatur et aedificatur (th. XIX. η. II. 2.). Hinc sacramenta, etiamsi a ministro haeretico aut schismatico extra Ecclesiam catholicam atque adeo illicite et sacrilege conferantur, ipsa tamen manent sacramenta Christi institutoris et principalis dispensatoris, et sacramenta Ecclesiae catholicae, pro qua et in qua sunt instituta (1) (vide Tract, de Sacr. in genere th. X. XV.). His igitur sacramentis et ceteris Christi institutis, si quae ab Ecclesia catholica, cuius sunt propria, velut a materna domo rebelles asportaverunt, relationem habent ad ipsam Ecclesiam (2).

1°. Ob rationem modo dictam sacramenta Ecclesiae ubicumque valide conferuntur omnes illos effectus habent, quos *obex in suscipiente* non impedit. Si ergo nominatim de baptismo loquamur, is a ministro haeretico aut schismatico collatus infantibus, in quibus *obex* nullus esse potest, omnes habet effectus essentielles eosdem, ac si collatus esset a ministro catholico. Non modo igitur insigniuntur caractere

(1) *a* Nos baptismum vestrum acceptamus, quia non est baptismus ille schismaticorum vel haeticorum sed *Dei et Ecclesiae, ubicumque fuerit incenius et quocumque translatus* n Aug. de Baptism. l. I. c. 14. n. 22.

(2) Haec est illa relatio, per quam haeticos et schismaticos ex aliqua parte - in texturae compage detineri, » dixit Augustinus: « qui se ipsos a societate ceterorum separantes caritate violata unitatis vinculum rumpant, si nihil faciunt eorum quae in illa societate acceperunt, in omnibus separati sunt; et ideo quem sibi sociaverint, si venire ad Ecclesiam voluerit, debet omnia quae non accepit, accipere. Si vero nonnulla eadem faciunt, non se in eis separaverunt, et ex ea parte intexturae compage detinentur, in cetera (parte) scissi sunt. Proinde si quem sibi sociaverint, ex ea parte nectitur Ecclesiae, in qua nec illi separati sunt; et ideo si ad Ecclesiam venire voluerit, in eu sanatur, ubi laniatus errabat; ubi vero sanus connectebatur, non curatur sed agnoscitur, ne cum sana curare volumus, potius vulneremus. Itaque illi quos baptizant, sanant a vulnere idololatriae vel infidelitatis; sed gravius feriunt vulnere schismatis » Aug. de Baptism. l. I. n. 10. Quo sensu sectarii « ex parte aliqua non separati et nexi Ecclesiae » intelligendi sint, hac ipsa in thesi mox explicamus. Quod vero Augustinus dicit *sanum* in haeticis, non aliud est quam *calida* administratio sacramentorum, horumque effectus ille, qui a dispositione non pendet. - K |



Christi, sed etiam filii Dei regenerantur per gratiam et incorporantur sanctae matri Ecclesiae, cuius membra saltem in foro interno et coram Deo tamdiu manent, quousque actu proprio (qui sit mortale peccatum) haeresi aut schismati non adhaeserint. De his qui haeretici aut schismatici *materialis* (h. e. in foro tantum externo) dicuntur, pleno sensu valet, quod multis locis docet Augustinus de sacramento, quo mater Ecclesia non modo per uterum suum sed etiam per uterum ancillarum generat filios, *u* Est una Ecclesia, quae sola catholica nominatur, et quidquid suum habet in communionibus diversorum a sua unitate separatis, per hoc quod suum in eis habet, ipsa utique generat non illae. Neque enim separatio earum generat, sed quod secum de ista tenuerunt; quod si et hoc dimittunt, omnino non generant. Haec itaque in omnibus generat, cuius sacramenta retinentur, unde possit tale aliquid ubicumque generari; quamvis non omnes quos generat, ad eius pertineant unitatem, quae usque in finem perseverantes salvabit... Ergo ipsa generat et per uterum suum et per uteros ancillarum ex eisdem sacramentis, tamquam ex viri sui semine... Sed qui superbiunt et legitimae matri non adiunguntur, similes sunt Ismaeli, de quo dictum est, eiice ancillam et filium eius; non enim heres erit filius ancillae cum filio meo Isaac. Qui autem pacifice diligunt legitimam patris sui coniugem, cuius legitimo iure generati sunt, similes sunt filiis Iacob, quamvis de ancillis natis sed tamen eandem hereditatem sumentibus » Aug. de Baptism. l. I. c. 10. n. 14.

Qui igitur « superbiunt *n* seu ex quibusvis pravis cupiditatibus et culpabili negligentia veritatem, ut deberent, non quaerunt, aut sufficienter eam propositam amplecti recusant, ii iam formaliter aut aequipollenter errori adhaerent, atque ita contra Deum eiusque Ecclesiam rebelles, ab hac utpote haeretici aut schismatici *formales* non modo in foro externo sed etiam coram Deo et in foro interno, divulsi sunt et omnino extorres. Contra vero *materialis* tantum haeretici aut schismatici h. e. ratione solum externae professionis non autem culpabili animi adhaesione, censendi sunt etiam adulti, si in illis vere existit illa bonae fidei dispositio, quam Augustinus in quibusdam Donatistis sup-

ponit, *a* Qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, et praesertim quam non audacia praesumptionis suae pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi. Tales ergo vos nisi esse crederem, nullas fortasse vobis litteras mitterem *n* Aug. ep. 43. (al. 142.) n. 1. Facile autem patet, hanc bonam fidem, quae aequiparat ignorantiam invincibilem, non habere locum in apostatis (vide Cone. Vatie. Constit. *Dei Filius* cap. 3. et inter canones η. III. can. 6.); in illis vero, qui inde a teneris annis in haeresi educati sunt, limites figere, ubi ignorantia invincibilis desinat, plerumque non valemus; sed reatus conscientiae indicio Dei scrutatoris cordium relinquendus est, quamvis ex rerum et personarum adiunctis saepe facilius, qui malae quam qui bonae fidei sunt, humana etiam aestimatione discerni possint. *a* Tenendum quippe ex fide, extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse... sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini. Nunc vero quis tantum sibi arroget, ut huiusmodi ignorantiae designare limites queat iuxta populorum, regionum, ingeniorum aliarumque rerum tam multarum varietatem? *†* Pius IX. Allocut. *Singulari quadam* 9. Dec. 1854.

In foro externo omnes, qui plenum rationis usum adepti adhuc perstiterunt in secta haeretica, ab Ecclesia praesumuntur et habentur haeretici, *a* Quamquam qui in infantia baptizatus apud haereticos et apud eos in falsa doctrina nutritur, postea factus adultus possit aliquamdiu non peccare contra fidem catholicam, quamdiu non ei *proponitur sufficienter, ut obligetur ad eam amplectendam*; postquam tamen ei fides catholica sufficienter proponitur, et obligatio eam amplectendi et relinquendi errores contrarios, si adhuc in iis perseveret, erit haereticus » Lugo de Fide disp. 20. p.2. n.149. Hinc testatur Albit. (de inconst. infide c. 14. n. 08.), minores annis quatuordecim sola professione fidei, maiores vero abiuratione haeresis ex sectis in Ecclesiam suscipi consuevisse.



2°. Ex principiis positis porro intelligimus, quid de haeresi mere interna concludendum sit, si qui sine ulla animi haeretici manifestatione in ipsa visibili Ecclesia Christi se versari profitentur. Huiusmodi homines in foro externo quidem et coram Ecclesia militante reputantur membra Ecclesiae, neque excommunicatione neque aliis poenis ecclesiasticis ligati sunt, cum Ecclesiae iudiciales et poenales sententiae ad peccata mere interna non referantur; sed sicut culpa et poena ligantur coram Deo, ita huiusmodi interna peccata *in Ecclesia* ad illud solum sacramentale iudicium pertinent, quod a Christo indice infinitae misericordiae est institutum ad « remittenda et retinenda peccata » (Io. XX. 23.). At coram Deo et coram Ecclesia triumphante culpa peccati ligat *secundam totam suam propriam rationem*, et si ita loqui fas est, secundum totam suam intensionem culpae et respondentem extensionem reatus poenae. « Ex sola culpa ligatur quis, quoad Deum apud triumphantem Ecclesiam; *ex sola vero sententia* (iudiciali) ligatur, quoad homines apud Ecclesiam militantem; » Innoc. III. loco infra citando. Iam vero qui fidem divinam in animo suo negat, is in se ipso primam essentialem conditionem membri Ecclesiae, civis *in regno veritatis*, fundamentum totius vitae religiosae et ecclesiasticae coram Deo et in foro suae conscientiae subvertit omnino. Ergo quamvis sententia ligatus non sit, nec proinde desinat quoad homines apud militantem Ecclesiam in foro externo computari inter eius membra; culpa tamen haereseos, quamdiu homo in ea pertinax est, ex ipsa sua propria ratione est huiusmodi, ut quoad Deum apud triumphantem Ecclesiam et in foro conscientiae ab unitate fidei, hocque ipso ab unitate *regni veritatis*, quod est Ecclesia, defecerit. Haec in Constitutione dogmatica *Ineffabilis Deus* exstat doctrina lucidissima, in qua intelligenda nescio cur nonnulli difficultatem repererint. « Si qui secus ac a Nobis definitum est (de immunitate B. Virginis ab omni originalis culpae labe), quod Deus avertat, praesumpserint sentire, ii noverint ac porro sciant, se proprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiae defecisse; ac praeterea facto ipso suo semet poenis a iure statutis subiicere, si quod corde sentiunt, verbo



aut scripto vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint. » Cf. August, de unitate Eccles, n. 74. quem locum inferius citamus. **J**

3'. In ipsis sectarum asseclis, qui sive iam in receptione baptismi sive progressu temporis culpabili assensu formales sunt haeretici aut schismatici, sacramentum non omni caret effectu, et per hunc ipsum gignit relationem aliquam ad Ecclesiam. Christus enim sacramentum fidei et regenerationis ad formanda membra Ecclesiae ita instituit, ut eius efficacia simul imprimeretur indelebilis character tamquam sigillum signans membra Ecclesiae, qui quidem character in se et in sua realitate independens est a dispositione atque adeo a fide et charitate non modo ministri conferentis sed etiam hominis recipientis (vide de Sacr. in genere th. XII.). Ut quispiam actu constituatur membrum Ecclesiae, civis regni Dei in terris, requiruntur *fides, charitas socialis* h.e. per agnitionem et submissionem sub potestate regiminis Ecclesiae. unio cum communione sanctorum, et sigillum fidei ac charitatis h. e. *character baptismatis*. Adulti autem sive dum scientes in secta haeretica aut schismatica baptizantur, sive dum postea ad eam deficiunt, fide simul et sociali charitate (ut haeretici) vel hac saltem charitate (ut schismatici) destituti, hoc ipso ab Ecclesia sunt exclusi; at tamen per characterem indelebilem baptismi coram Deo, et angelis, et hominibus signum gerunt impressum, quo Ecclesiae in perpetuum obligantur; atque ita relatio iurisdictionis Ecclesiae erga ipsos, et proinde respondens relatio ipsorum erga Ecclesiam, cuius legibus, iudiciis et poenis quantumvis rebelles obstringuntur, simul cum characterem et vi characteris manet incommutabilis pro hac vita, pro qua nimirum potestas regni Dei in terris est instituta.

Quinimo character non quomodocumque est sigillum unionis cum Ecclesia, atque idcirco, ubi culpa hominis sancta haec unio non perficitur vel abrupta est, velut igne Spiritus Sancti inusta perenniter manens tessera obligationis ad Ecclesiam; sed praeterea est ex sua essentia participatio sacerdotii Christi, non quidem ut in sacramento Ordinis active ad offerendum sacrificium et administranda mysteria Dei, sed ad cultum divinum, ut institutus est in

Ecclesia Christi et ad validam perceptionem sacramentorum. *a* Totus ritus christianae religionis derivatur a sacerdotio Christi. Et ideo manifestum est, quod character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum characteres sacramentales, *qui nihil aliud sunt quam, quaedam, participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatae.* » s. Thorn. 3. q. 43. a. 3. Haec « configuratio » ad Christum magnum sacerdotem et ontologica deputatio ad cultum Christianum et ad mysteria Christi quae pro Ecclesia et in Ecclesia sua instituit, a Patribus dicitur perpetua *consecratio* permanens etiam, ubi seiungitur a sanctificatione per gratiam, etiam in haeticis, *u* Christiani baptismi sacramentum, quando unum atque id ipsum est, etiam *apud haeticos valet et sufficit ad consecrationem*, quamvis ad vitae aeternae participationem non sufficiat; *quae consecratio reum quidem, facit haeticum extra Domini gregem habentem dominicum characterem*, corrigendum tamen admonet sana doctrina, non iterum similiter consecrandum » August, ad Bonifac. ep. 98. n. 4. (1).

Hac igitur obligatione ad Ecclesiam, hac configuratione ad Christum sacerdotem, cuius est baptismus; hac consecratione ad cultum Christianum in sola Ecclesia verum ac legitimum, quae omnes relationes ipso characterem essentialiter et indelebiliter constituuntur, non fit quidem, ut haeretici et schismatici formales sint actu in Ecclesia; fit tamen certissime, ut veluti res furto haereseos aut schismatis ablata clamet ad dominum, ad Ecclesiam scilicet legitimam matrem, extra cuius gregem dominicum habentes dominicum characterem errantes vagantur. Hinc vicissim non magis potestas iurisdictionis quam viscera charitatis Ecclesiae ad eos referuntur, ut propter « characterem christianitatis » (Innoc. III. cap. *Maiores*) tamquam ex speciali ratione eo diligentius filios rebelles ad sinum suum revocet, *u* Qui foris sunt in diversis erroribus constituti,

(1) Hoc testimonio Augustini Cardinalis Seripandus in Concilio Tridentino maxime usus est ad illustrandam doctrinam de characterem sacramentali.



currant dum tempus est, ad legitimam matrem, quae sicut ex utero suo natos filios continet diligenter et nutrit, sic ex ancilla natos non solum redeuntes non respuit, quin etiam misericordiae visceribus errantes inquirit, et pro affectu incessanter invitat, quos in societatem paternae haereditatis inducat. Neque enim in eis attendit ancillaris uteri conditionem, sed paterni recognoscit seminis veritatem. Quae est enim veritas paterni seminis, nisi baptisma perceptum in nomine Trinitatis? Hoc illa in quocumque repererit, tamquam legitima mater sui iuris esse cognoscit. Novit enim, sicut Rachel, non solum proprio utero, filios parere, verum etiam ex ancilla genitos suo nomine, tamquam genitos legitima vindicare. <sup>r</sup> Fulgent, de remiss, peccator. 1. I. c. 23. His visceribus misericordiae Augustinus pluribus locis haereticos et schismaticos compellat. « Respondes et dicis mihi : *sed habeo sacramentum*. Habes, agnosco ; propter hoc te quaero. *Magnam causam addidisti, quare te diligentius quaeram; oris es enim de grege Domini mei, cum signo errasti*; ideo quaero magis, quia ipsum signum habes... Unum signum habemus, quare in uno ovili non sumus?..... Ideo te quaero, ut non pereas cum signo ; salutis enim signum est, si habeas salutem, si habeas charitatem ; hoc enim signum extra tibi inesse potest, prodesse non potest. <sup>r</sup> Aug. serm. ad pleb. Caesarens. n. 4. <sup>u</sup> Eos (Donatistas) oportet advertere, quam pie ramum a se fractum tanto studio radix catholica inquirit... Ideo sudamus ideo laboramus... dum arbor quaerit ramum, dum grex ex ovili Christi ovem perditam quaerit. Si pastoralibus visceribus praediti sumus (1), per sepes et spinas

(1) Hisce visceribus Pius IX. S. P. principem haereticum, in cuius regno lideles catholici gravissimae persecutioni subiiciebantur, admonuit etiam ad ipsum, utpote Christi baptismo obsignatum, suam universalem sollicitudinem pastorem pertingere. Ille vero epistola in publicam lucem emissa respondit omnem respuens charitatem et curam Pastoris, cuius iura et officia haeretici negare (quidem, non tamen abolere aut minuere possunt. A erba Pontificis haec sunt: u Pario con franchezza, giacchè la verità è la mia bandiera, e pario per esaurire un mio dovere il quale m'impone di dire a tutti il vero, e anche a chi non é Cattolico, *glacchè*

nos coarctare debemus ; membris laceratis ovem quaeramus, et pastori principique omnium cum laetitia reportemus *n* Id. 1. de gestis cum Emerito n. 7.12. In haereticis igitur et schismaticis baptizatis supra non baptizatos est novus veluti *u* titulus pacis » (quemadmodum Augustinus characterem appellat 1. c. ad pleb. Caesar.) ipsis, ut redeant, Ecclesiae ut magis quaerat. Nam sicut signum impressum militibus, quo officii ad castra imperatoris redeundi admonentur; ita character Regis Christi, ubicumque sit impressus, manet, quo Deo et angelis et Ecclesiae « manifestus fias, etiamsi desertor fugeris» (κκν λειποτακτηση , κχταδηλο γτυvj πασιν) (Chrys. in 2. Cor. hom. 3. n. 7. ad finem.). Vide de Sacram, in genere th. XII. η. II; XIII. η. II. III.

III. Excommunicati qui (ut supponitur) fidem catholicam retinent, quamvis ex demonstratis in superiori thesi et ipsi ab Ecclesia, regno Dei in terris sint exclusi, pluribus tamen vinculis quam haeretici et schismatici et interioribus relationibus ad Ecclesiam referuntur.

1°. Hac in causa maxime advertendum est ad ipsam propriam indolem et ad finem excommunicationis. Est haec poena ex institutione sua, ex fine legislatoris et indicis non *u* interfectoria percussio » ad eradicandum sed *u* ustio *medicinalis* » ad sanandum, ut scilicet peccator ipsa gravitate poenae moveatur ad poenitentiam et citius reconcilietur Deo et Ecclesiae; adeoque per se et ex suo fine, nisi pervicacia obstet peccatoris, est exclusio *temporaria*, *u* Cum quisque fratrum, id est Christianorum intus in Ecclesiae societate constitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est... sed corripite ut fratrem, *non enim ad eradicandum sed ad corrigendum..*,. Ita enim et salva pace corrigitur, *et non interfectorie percutitur, sed medicinaliter uritur*... Ut per correptionem separationis de congregatione fratrum malus quisque aufendus sit, *studio tamen sanandi non odio perimendi esse*

*chiunque è baltezzajo, appartiene in qualche parte e in qualche modo, che non è qui luogo a spiegare, appartiene, dissì al Papa, n* (Vide Nicol. Siegfried. Actenstiicke betreffend den preussischen Kulturkampf. p. 197.)



faciendum, nemo dubitaverit» August, contr. ep. Parmen. 1. III. η. 13-15. Eodem sensu s. Doctor alibi loquitur «Ipsa quae damnatio nominatur, quam facit episcopale indicium, qua poena in Ecclesia nulla maior est, potest, si Deus voluerit, *in correptionem saluberrimam cedere atque proficere.....* Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam; ab illo cui nihil est impossibile, *ipsa forsitan separatione sanandam* n Aug. de corrept. et grat. c. 15. n. 46. (referitur etiam a Gratiano Caus. 24. q. 3. can. 17.). Totum comprehendit Bonifacius VIII. hoc decreto: *u Cum medicinalis sit excommunicatio non mortalis, disciplinans non eradicans*, dum tamen is in quem lata fuerit, non contemnat (1), caute provideat index ecclesiasticus, ut in ea ferenda *ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit medentis* n De sent, excom. in 6. (Decretal. 1. VI. tit. IX. cap. 1.).

2°. Excommunicat! tenentur utique, pro ipso scopo poenae medicinalis, per poenitentiam et satisfactionem praestandam Ecclesiae aliisque modis, qui aliquando sint necessarii vel opportuni, quaerere reconciliationem; et quousque rite absoluti non fuerint, manent etiam coram Deo et in conscientia privati iis bonis externis et visibilibus, a quibus excommunicatio excludit, pariterque bonis internis et spiritualibus illis, quae cum iisdem externis necessario sunt connexa. At excommunicatio licet externa quaedam media ad gratiam, non tamen per se aufert vel impedit charita-

(1) Nimirum si contemnatur, utique contra suum scopum et contra Ecclesiae intentionem evadet mortalis et eradicans, idque si usque ad mortem contemnatur, eradicans in aeternum, sicut Ioannes de « peccato ad mortem » et Christus ipse de peccatis « fteque in hoc saeculo neque in futuro remittendis » locutus est (Matth. XII. 32; 1. Io. V. 16.). Ceterum, in eo, quod tam Augustinus quam canon Bonifacii dicunt excommunicationem non esse *ad eradicandum*, alluditur ad parabolam evangelicam Matth. XIII. 29. Hinc in decreto Gratiani obiectio contra excommunicationem inducitur ex ipsis illis verbis, « ubi de zizaniis non eradicandis Dominus praecepit; » responsio vero est secundum eadem principia. « Apparet liquido, aliud esse excommunicationem, aliud eradicationem; qui enim excommunicatur, ut Apostolus ait, ad hoc excommunicatur, ut spiritus eius salvus fiat in die Domini; disciplina enim est excommunicatio, et non eradicatio » (Caus. XXIV. q. 3. can. 27.).



tern et gratiam Dei; unde potest sane esse absolutus a culpa apud Deum et Ecclesiam triumphantem, qui quoad communionem bonorum quae diximus manet ligatus apud Ecclesiam militantem (1). Qui ita sunt dispositi ex sua parte sincere quaerentes reconciliationem et absolutionem, licet nondum actu, certe tamen *voto* ad Ecclesiam pertinent, atque adeo non sunt extra viam salutis. De his enim fere idem valet, quod Augustinus aliique scribunt de iis, quos aliquando sententia iniusta, valida tamen excommunicari contingat (2). *u* Talium virorum propositum est aut sedatis remeare turbinibus: aut si id non sinantur, vel eadem tempestate perseverante, vel ne suo reditu talis aut gravior oriatur, tenent voluntatem consulendi etiam eis ipsis, quorum motibus perturbationibusque cesserunt, sine ulla conventionum segregatione usque ad mortem defendentes et testimonio iuvantes eam fidem, quam in Ecclesia catholica praedicari sciunt. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt; immo plura sunt quam credi potest » (tempore Augustini in Africa et alibi aliis temporibus, quibus

(1) *u* Cum ex sola culpa ligetur quis, quoad Deum, apud triumphantem Ecclesiam; ex sola vero sententia ligetur, quoad hominem, apud Ecclesiam militantem: quando vinculum culpae remittitur, absolvitur apud Deum; sed apud homines non absolvitur, nisi quando vinculum sententiae relaxatur. Alioquin Ecclesiae absolutio (a censuris) nullatenus necessaria videretur, si in sola cordis contritione praeter sacerdotale officium rigor relaxaretur ecclesiasticae disciplinae... Indicium Dei veritati, quae nec fallit nec fallitur, semper innititur; indicium autem Ecclesiae nonnumquam opinionem persequitur (in criminibus et factis particularibus), quam et fallere saepe contingit et falli. Propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus; et qui liber est apud Deum (a culpa et ideo a iudicio aeterno), ecclesiastica sit sententia innodatus. Vinculum ergo quo peccator ligatus est apud Deum, in culpae remissione dissolvitur; illud autem quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur. » Unde concluditur, excommunicatum qui poenitens sed ante absolutionem defunctus est, esse post mortem ab Ecclesia absolvendum, ut nempe ecclesiasticae sepulturae et publicorum suffragiorum particeps fiat. Innocent. III. 1. II. ep. 61. (Migne T. I. p. 600.). Exstat etiam inter decretales (t. V. tit. 39. cap. 28.).

(2) Vide s. Th. 4. dist. 18. q. 2 a. 1. sol. 4.



Deus magnas quasdam in Ecclesia perturbationes permisit) August, de vera Relig. c. 6. n. 11. cf. de Baptism, cont. Douât. 1. I. c. 17. n. 26. In eandem sententiam monet s. Gregorius: *u* Pastor vel absolvere indiscrete timeat vel ligare; is autem qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel iniuste, nec Pastoris sui indicium temere reprehendat, ne etsi iniuste ligatus est (valide tamen, secus enim ligatus non esset), ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa quae non erat, fiat, *n* Gregor, in Evang. hom. 26. n. 6. (1).

IV. Sicut excommunicatio est quidem poena gravissima *ex iustitia* ad vigorem disciplinae pro bono communi conservandum, sed simul habet rationem medicinae ad sanandum *ex charitate* erga singulos; ita quidquid cum Catechumenis agit Ecclesia, totum est ex sola charitate, et si quid rigoris, praesertim antiquis temporibus, interveniebat, hoc ipsum non poenae sed poenitentiae rationem habebat ex sollicitudine et cura materna erga infantes (2), quos

(1) Ex his patet merito damnandas fuisse Propositiones Quesnellianas (91.92.), etiam ut iacent avulsae a contextu; multo vero magis falsae et proscribendae erant in contextu et sensu Ianseniano. « Excommunicationis iniustae metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro; numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Iesu Christo, atque ipsi Ecclesiae per charitatem affixi sumus. 7 - Pati potius in pace excommunicationem et anathema iniustum, quam pro Iere veritatem, est imitari s. Paulum; tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem, *n* £ ■. Viwl

Sectarii isti « debitum suum 7 appellabant pertinaciam qua decretis dogmaticis s. Sedis negabant assensum et subscriptionem; « nequitia hominum 7 erat Pontificis et Episcoporum, qui urgebant executionem sub poena anathematis; et hanc dicebant «excommunicationem iniustam - quam ipsi pati se aiebant « in pace 7 h. e. persistendo nec quaerendo absolutionem ne « proderent veritatem 7 Iansenianam, quae tota continebatur erroribus ab Ecclesia damnatis. <5

(2) Hoc nomen *infantium* apud Patres et in ritibus liturgicis commune est Catechumenis; unde sunt sermones e. g. Augustini «ad infantes; 7 et in *Ordine* baptismi passim praescribitur « Oratio super infantes, 7 etiam ubi catechumeni supponuntur adulti, e. g. « oratio super infantes in quadragesima: 7 - aj catechizandum (certis orationibus et exorcismis) infantes, Sabbathorum mane reddentes symbolum *n* (CoJ. II-turg. p. 22. 21.). ■ JH'S.

pia mater nondum natos velut in utero efformabat, ut quam optime dispositi ad sacramentum regenerationis pervenirent.

Haec cura materna multipliciter sese prodit, et ipsamet partim constituit partim demonstrat eorundem Catechumenorum habitudinem ac propinquitatem ad Ecclesiam, quamvis, ex demonstratis in superiori thesi, nondum sint membra corporis Ecclesiae et cives visibilis regni Dei in terris.

1°. Ex ipsa fide qua in Christum iam credebant, (1) antiquitus nomen etiam habebant *Christianorum*, « Qui aliquando fuerit cathecumenus... Si eum de Clero quisque cognoverit esse *Christianum*, aut testes aliqui exstiterint fideles, placuit ei baptismum non negari » Concil. Illiberit. can. 45. Eadem appellatio extat in can. 7. adscriptis Concilio Oecumenico II. In Sacramentario gothico et gallicano praescribitur *a* oratio ad *Christianum* faciendum : signo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, *ut sis Christianus n* (Assemani Cod. liturgie. T. I. p. 29. 43. et penes graecos ex citato canone 7°. ibidem p. 108.). Quin etiam in distributione ordinum Ecclesiae, inter hos gradus ultimo Patres recensent catechumenos. Tres enim sunt ordines Ecclesiae, primus quidem praepositorum (των ηγουμένων), « duo vero (ordines) sunt subditorum (των ὑ-οβεβηκοτων), cum populus Ecclesiae Christi in duos ordines diribatur, fidelium scilicet et eorum qui nondum regenerationis per baptismum digni habiti sunt » (των πιστών και των μηδεπω τη δια λουτρου παλιγγεννησια ή ιωμενων). Euseb. demonstr. evang. 1. VII. c. 3; Origen, horn. V. in Ezech. n. 4. Eodem sensu dixit Augustinus catechumenos iam esse de magna domo, verum non ut liberos et membra familiae, sed tamquam servos, qui bonorum familiae non sunt participes. « Quod signum crucis habent in fronte catechumeni, iam de domo magna sunt; sed fiant ex servis filii. Non enim nihil sunt, qui iam ad domum magnam pertinent... Trans-eant per mare rubrum, manducent manna, ut quemadmo-

(1) *a* Si dixerimus catechumeno, credis in Christum? respondet, credo, et signat se; iam crucem Christi portat in fronte, et non erubescit de cruce Domini sui ». Aug. in Ioan. Tract. 11. n. 3; tract. 44. n. 2.



dum crediderunt in nomine Iesu, sic se ipsis credat Iesus»  
Aug. in Ioan, tract. 11. η. 4. 9

2'. Modus quo ad ordinem Christianorum et ad domum magnam catechumeni pertineant, apparet ex disciplina in eis observata, quae tota pertinet ad inductionem fidei per instructionem in elementis doctrinae Christianae (unde et nomen των κατηχουμένων derivatur; cf. Act. XVIII, 25; Gal. VI. 6.), ad impetrationem charitatis per conversationis et morum sanctitatem, ad praeparationem pro baptismo regenerationis et pro insertione in Ecclesiam, per ipsam fidem et vitae sanctitatem atque etiam per multas sacras caerimonias, quae ad ipsum sacramentum baptismi referuntur eique veluti viam sternunt. Ritus isti sacri descripti sunt in libris sacramentariis, eorumque aliquos, et inter hos - sacramentum catechumenorum, » commemorat Augustinus. « Et catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi et orationem manus impositionis puto sanctificari; et quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen (sal nempe quod alibi a specie benedictam» appellat de catechiz. rudib. c. 23. cf. Confess. 1. I. c. 2.), et sanctius quam cibi quibus alimur, quia sacramentum est.... (1). Sanctificatio catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum in regnum coelorum, aut ad peccatorum remissionem. » Aug. de peccat.

Rigor disciplinae praesertim in ultimo stadio catechumenatus *{illuminandorum των φωτιζομενων* seu apud Latinos *competentium* i. e. petentium cum aliis baptismum) quandoque severius observabatur, « Baptizandi nomen suum dent, et diu abstinentia vini et carnum, ac manus impositione crebra examinati baptismum percipiant, » (can. 85. in « Statutis Ecclesiae antiquae, » quae perperam Concilio Cartbag. IV. tribui solebant. Harduin. I. p. 984.). Eadem commemorat Augustinus de diebus, « quibus gratiam (baptismi) percepturi suis nominibus datis, abstinentia, ieiu-

(1) u Sacramentum catechumenis non detur nisi solitum sal » Cone. Cone. Carthag. III. sub Aurelio can. 5. Harduin. T. I. p. 961. (vid. Card. Bona Rer. liturg. 1. I. c. 16.). I

nite, exorcismis purgantur » Aug. de fid, et operib. c. 6, n. 8. Eodem autem loco demonstrat, ista omnia tandem ad inducendam poenitentiam et emendationem vitiorum, *u* ne sanctum canibus detur, *n* pertinere. « Quid autem aliud agit totum tempus, quo catechumenorum locum et nomen tenent, nisi ut audiant, quae fides et qualis vita debeat esse Christiani, ut cum se ipsos probaverint, tunc de mensa Domini manducant, et de calice bibant? (perceptio nempe Eucharistiae coniuncta est cum baptismo)... Quod autem fit per omne tempus, quo in Ecclesia salubriter constitutum est, ut ad nomen Christi accedentes catechumenorum gradus excipiat (al. accipiant), hoc fit multo diligentius et instantius his diebus, quibus *competentes* vocantur, cum ad percipiendum baptismum sua nomina dederunt.» Ibid. n. 11.

Si igitur quaerimus, quomodo catechumeni fuerint et sint subditi Ecclesiae, quoniam (ut Eusebius ait) *u* populus subditorum in duos ordines diribetur fidelium et nondum baptizatorum » seu catechumenorum; discrimen est inter utrosque. Baptizati enim (etiam qui ab Ecclesia exclusi sunt) per ipsum sacramentalem characterem (ut superius demonstravimus) non solum magisterio sed proprie dictae potestati *iurisdictionis* legiferae, iudiciariae, coactivae seu punitivae subduntur; catechumeni vero magisterio quidem, atque ideo omnibus illis dispositionibus Ecclesiae, quae ad instructionem et ad congruam praeparationem pro baptismo referuntur, etiam ipsi tenentur, non praecise vi legis ecclesiasticae et humanae, sed ex obligatione legis divinae et (ea supposita) naturalis, qua ad fidem, ad poenitentiam, ad baptismum, atque ad mores hisce legibus conformes obstringuntur: «poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum. » Act. II. 38.

Ex eodem principio explicandae sunt, et ad eundem finem ordinatae erant etiam poenae, quibus catechumeni subiiciebantur. Omnes enim illae *poenae*, quae catechumenis impositae dicuntur, tandem revocabantur ad protractionem catechumenatus et ad dilationem baptismi, ut scilicet ii qui commissis gravioribus delictis nondum satis dispositi videbantur, diligentius pro baptismo et pro vita Christiana sese praepararent. Ita in canone o'. Xeo-caesareensi ob cri-



mina commissa (1), in 14<sup>o</sup> Nicaeno (2) ob lapsum in persecutione relegantur catechumeni ad primum gradum catecliumenatus, qui erat *audientium*. In Concilio Illiberitano, in quo alia etiam plura sunt vel obscura vel abnormia, ob adulterium et infanticidium can. 68<sup>o</sup>. catechumenae baptismus differtur usque ad finem vitae : *u* in fine placuit baptizari. *n* Ceterum non nisi eos, qui vel factis vel etiam aperta professione peccatis renuntiare se nolle ostendunt, a baptismo repellendos esse, et ad hanc *a* renuntiationem » omnem catechumenorum disciplinam referri, s. August, toto libro „ De fide et operibus » demonstrat. Huiusmodi homines qui post congruam probationem emendationis spem nullam faciant, etiam ab ordine catechumenorum eiiciendos esse per se patet, et citato canone Neocaesareensi praescribitur.

3. Clarum est, catechumenos posse concipere et potissimum sinceros *competentes* iam concepisse veram fidem et

(1) « Catechumenus, qui ingreditur ecclesiam stat in ordine catechumenorum; si peccet (persistat in peccatis), siquidem fuerit inter *genuflectentes* "prostratos" ponatur inter *audientes*, ut non amplius peccet; si vero etiam in gradu *audientium* peccet, expellatur. \* Κατηχομενο; sxy εισερχόμενο ει το των ζατη/θυμένων τάξει στηζη, ουτο οε (φαντβ αμαστανων, = ων. άζήρασθω αηζετι άμαρτανων. εα x3 χχι άζρωμενο ετι ωθειςθω.

A duobus gradibus *audientium* quibus lectioni dumtaxat et instructioni in elementis fidei interesse fas erat, et *genuflectentium* seu *prostratorum*, qui orationis etiam et benedictionum usque ad *missam* (dimissionem) *catechumenorum* erant participes, et qui saepe, ut in nostro et in Nicaeno etiam canone, velut nomine specifico dicabantur *catechumeni*, inde saltem a quarto saeculo ii. qui iam nomen dederant ad baptismum, distinguebantur appellatione propria *illuminandorum* vel apud Latinos *competentium* aut *electorum*. Quod vero Bingham (Orig. eccl. 1. X. c. 2. §. 2.) ex ipso hoc canone statuere vellet quartum et infimum gradum quem appellat των εξωθούμενων, quibus ipse ingressus in ecclesiam interdictus esset, nihil habet probabilitatis; quamvis utique *ante admissionem ad catechumenatum* examina et probationes aliquas praecessisse, concedi debet et ex ipsa rei natura consequitur.

(2) *u* De catechumenis lapsis visum est sanctae et magnae synodo, ut tribus annis sint inter *audientes tantum*, post hos vero orent (admittantur ad orationes cum catechumenis - (i. e. cum *genuflectentibus*).

εοο ε " ωστε τριων ετών μονον, ·ιετχ :ων

votum unionis cum Ecclesia, extra quam nulla salus est; supposita autem fide praesertim simul computatis tam multis adiutoriis externis, quibus gratia interna coniungitur, posse etiam proficere ad actus perfectae charitatis, atque ita coram Deo iustificari ante realem susceptionem sacramenti. Id vero multo magis liquet in martyrio pro Christo, quod catechumeni, antequam baptizari possent, aliquando subierunt. Unde a theologis distingui solet baptismus aquae, sanguinis, et flaminis seu poenitentiae, ut s. Thomas (3. q. 66. a. 11.) et Alexander Halensis (P. IV. q. 8. m. 9. a. 4.) appellant, vel ut alii cum s. Bonaventura (4. dist. 4. P. II. a. 1. q. 1.) loquuntur, baptismus fluminis, flaminis et sanguinis. Hoc utrumque (votum ac martyrium) non proprie sed metonymice *baptisma*, appellatur, quatenus implicito voto baptismi relationem habet ad illum, atque adeo semper in hac vita manet obligatio ad ipsum sacramentum baptismi (1); potissimum vero nomen accepit baptismi, quatenus in vicem baptismi proprie dicti substituitur non quidem ad omnes eius effectus sed ad effectum iustificationis. Martyrium vero etiam metaphorice ex similitudine baptismus vocatur, *a* Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius (εἰ τὸν θάνατον χύτου) baptizati sumus... si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et (complantati similitudini) resurrectionis erimus, *1*) Rom. VI. 3. 5. Haec autem, quae in baptismo symbolica est, perficitur similitudo realis in martyrio per imitationem passionis et mortis cruentae Iesu Christi, quam ipsemet baptismum appellavit: baptismo quo ego baptizor, baptizamini. Marc. X. 39. cf. Luc. XII. 50. S. Thomas explicat similitudinem et efficaciam mortis Christi: « passio mortis

R

■  
□  
v

h.  
i

(1) Hoc sensu verissimo dixit Augustinus: - quantuiucumque catechumenus proficiat, adhuc *sarcinam iniquitatis suae portat*; nou illi dimittitur (visibiliter et coram Ecclesia), nisi cum venerit ad baptismum \* Aug. in Io. tract. XIII. n. 7. *u* Cornelius si etiam Spiritu Sancto iam accepto baptizari nolisset, contempti tanti sacramenti reus fieret... e segura esset (ad putandum non sibi necessarium et minus curandum sacramentum) iustitia catechumeni, dictum est: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum coeloru Id. de Baptism.



Christi operatur quidem in baptismo aquae per quamdam figuralem repraesentationem... sed in baptismo sanguinis per imitationem operis » s. Th. 3. q. 66. a. 12.

Effectus itaque iustificationis omnino certus est tum in baptismo flaminis *a* sive (s. Thomas 1. c. a. 11.) Spiritus Sancti, in quantum scilicet alicuius cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum, et diligendum Deum et poenitendum de peccatis, tum eo magis in baptismo sanguinis, qui imo etiam in infantibus efficaciam habet ex opere operato. (Vide Suarez de Sacram, disp. 29. sect. 1.).

- Catechumenos nobis opponunt, si quis ex his antequam in Ecclesia baptizetur, in confessione nominis apprehensus fuerit et occisus, an spem salutis et praemium confessionis amittat, eo quod ex aqua prius non sit renatus. Sciant igitur... catechumenos illos nec privari baptismi sacramento (i. e. eius effectu), utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo, de quo et Dominus dicebat habere se aliud baptismum baptizari » (Luc. XII. 50.) s. Cyprian, ep. 73. ad Iubai. p. 136.

Quamvis vero Patres solum martyrium aliquando memorent, quo sine actuali perceptione baptismi salus obtineri possit (1); certum nihilominus est, inchoatam salutem seu iustificationem etiam tribui actui charitatis, qui ex natura sua, ex voluntate nempe observandi omnia divina praecepta, votum baptismi inclusum habet. Iam saeculo III auctor libri de Rebaptismate coevus Cypriano data opera distinguit unius baptismatis (ut ait) tres species, baptismum Spiritus, aquae et sanguinis. Ex Act. X. 44. In primis demonstrat effectum baptismi Spiritus. « Atque hoc non erit dubium, in Spiritu Sancto homines posse sine aqua baptizari, sicut animadvertis baptizatos hos (Cornelium cum suis) prius quam aqua baptizarentur... quandoquidem et hi sine manus impositione Apostolorum et sine lavacro, quod postea

(1) - Si quis baptismi non recipiar, salutem non habet, exceptis solis martyribus (κατὰ τὴν αἰώνιον ἢ τὴν αἰσθητὴν ἢ τὴν νοητὴν ἀνάγκην), < qui etiam sine aqua regnum recipiunt... ut alii quidem pacis tempore in aqua, alii vero persecutionum temporibus in propriis sanguinibus baptizentur - Cyrill. Hier. Catech. III. n. 10. Ita etiam quandoque Augustinus de Civit. Dei l. XIII. c. 7; Fulgentius de Fide ad Petrum n. 41. et alii. <<

■adepti sunt, gratiam repromissionis acceperint, et sic paulo ante emundatis cordibus eorum Deus per fidem ipsorum etiam remissionem peccatorum simul eis largitus sit. λ Tum de baptismo sanguinis ex Matth. X. 32. ita disserit, u Quid autem statures in personam eius verbum audientis (catechumeni), qui forte adprehensus in nomine Christi statim confessus, ac priusquam baptizari aqua permetteretur ei, fuerit punitus, utrum periisse eum pronuntiabis, quia non est aqua baptizatus?... Nihil interest utrum hic verbum audiens an fidelis sit, qui confitetur Domino, » (confessione nempe martyrii) Anonym, inter Opp. Cypriani ed. Baluzii p. 356. 361. Notissima est Ambrosii a consolatio de obitu Valentiniani n iunioris, qui adhuc catechumenus fraudibus Arbogastis comitis in Gallia periit. « Aut si quia solemniter non sunt celebrata mysteria, hoc movet; ergo nec martyres si catechumeni fuerint, coronentur; non enim coronantur, si non initiantur. Quod si suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas, n S. Ambros. de obitu Valentin, n. 53. cf. n. 30. 51. 52. 75. Eandem doctrinam tradit Augustinus, u Invenio non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.... sed tunc impletur invisibiliter, cum ministerium baptismi non contemptus religionis sed articulus necessitatis excludit. » Aug. de Baptism. 1. IV. n. 29. cf. in Leviticum q. 84. Egregie veritatem hanc demonstrat s. Bernardus in Tract, de baptism, et aliis quaest. ad Hugonem Victorinum cap. 2. Concilium denique Tridentinum sess. VI. c. 4. postquam definivit iustificationem esse translationem in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei, subdit: u quae quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est, *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* v Pertinet huc damnatio propositionum Baii 31. 32. 33. 43. 71.

4°. Sine dubio, qui fide vera iam imbuti, eoque magis qui iam charitate iustificati sunt, et qui veram fidem sanguine martyrii obsignant, etiamsi sacramento fidei initiari



non potuerint, pertinerent ad Ecclesiam Dei latiori sensu acceptam, de qua in thesi IT. diximus, si huiusmodi *Ecclesia in terris* nunc tempore novi Testamenti existeret. At postquam Christus suam universalem Ecclesiam in terris propria visibili forma, propriis institutis ac legibus fundavit, praeter hanc Ecclesiam Christi visibilem alia in terris non extat (th. XXI.). Omnes ergo isti non initiati baptismo, qui est ianua ad Ecclesiam, simpliciter ad Ecclesiam Christi visibilem pertinere dici non possunt, nec eius mysteriorum visibilium participes nec eius legibus (formaliter ut sunt leges Ecclesiae) subiecti sunt. Unde catechumeni sive martyrium immineat sive sine eo charitate iustificati sint, tenentur praecepto divino per baptismum « incorporari Ecclesiae » (quae verba sunt Augustini), quantum in ipsorum est potestate; quod quidem si ipsi scientes et volentes implere nollent, iam etiam conditio necessaria charitatis et proinde justificationis deficeret. Ideo dixit Augustinus per conversionem cordis tunc impleri invisibiliter effectum sacramenti, *a* cum ministerium baptismi non contemptus religionis sed articulus necessitatis excludit, *n* At eodem loco monet s. Doctor, catechumenum quantumvis iam iustificatum, ut Cornelium qui iam Spiritum Sanctum acceperat (Act. 2. 4. 44.), nondum esse in Ecclesia, priusquam baptizetur. - Non debemus improbare iustitiam hominis, quae prius esse coepit *quam coniungeretur Ecclesiae*, sicut esse coeperat iustitia Cornelii *priusquam ipse esset in plebe Christiana* *n* Aug. 1. c. n. 28. (1). De eodem Cornelio alibi declarat necessitatem baptismi ad hunc effectum, ut incorporaretur Ecclesiae; et ideo si baptismus culpa ipsius catechumeni negligatur, neque antecedentem iustitiam sufficere ad obtinendum regnum coelorum, quia nimirum ipsa illa iustificatio per culpam aboleretur. « In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum coelorum, sicut in catechumenis (nisi

<sup>1</sup> 1, De hae supernaturali iustitia Cornelii loquitur Concilium Arausicanum II. (in epilogo post canones). - Manifestissime credendum est, quod... et Cornelii centurioni.', ad quem angelus Domini missus est, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae largitatis donum. -

scilicet adsint conditiones, de quibus superius audivimus Augustini doctrinam), sicut in ipso Cornelio (manente obligatione baptismi), *dantequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiae* » Id. 1. I. q. 2. n.2. ad Simplician.

Quod igitur dixit Apostolus de membris Ecclesiae, *a unum corpus, unus Spiritus... in una spe vocationis vestrae, unus Dominus, una fides, unum baptisma*» (Eph.IV. 4.), in istis iustificatis, de quibus loquimur, verificatur secundum totum, quod est spirituale; unus nempe spiritus est adeoque una charitas in una fide et in una spe vocationis, et ideo uni Domino adhaerent (cf. 1. Cor. VI. 17.); attamen id, quod Apostolus visibile coniungit cum invisibili, et quod per se ex institutione et lege Christi coniunctum esse debet, in eis non verificatur actu sed solo voluntatis voto, *u unum corpus et unum baptisma, n* Nam quia docente Apostolo *u iu unum corpus baptizati sumus, n* quibus baptismus deest, ii non actu sed solo voto adeoque non *simpliciter* sed *secundum quid* pertinent ad *unum corpus*, ipsa tamen charitate et ipso voto voluntatis sunt in *uno spiritu*; hic est, quod dici solet distinguendo corpus et animam Ecclesiae. Qui ergo in eo statu sive per martyrium sive sine martyrio decedunt, iuncti cum Domino et cum spiritu, quem dedit Ecclesiae suae, quamvis elemento visibili eiusque caractere sine sua culpa careant, uniuntur Ecclesiae triumphanti et communioni omnium Sanctorum (vide th. II.). Unde intelligitur, sicut martyres antiqui Testamenti ita etiam martyres catechumenos non secus ac martyres baptizatos ab Ecclesia militante esse honorandos; cognoscuntur enim et agnoscuntur ex visibili actu martyrii ab ipsa Ecclesia militante ut membra sua *secundum quid* perfectione dispositionis, quod in sequenti thesi declarabimus, et ex eadem dispositione *simpliciter* ut membra Ecclesiae triumphantis (1).

(1) In decretalibus 1. III. tit. 43. « de presbytero non baptizato \* tria extant capita, in quibus haec duo statuuntur. 1°. Qui tota vita sua pie in Ecclesia vixisse videbatur, post obitum vero deprehenditur non fuisse valide baptizatus, ei suffragia Ecclesiae non sunt neganda. Nam,



## THESIS XXIV.

### *De unione cum Ecclesia ut medio necessario ad iustificationem et salutem.*

- Quamvis modo quo in superiori thesi dictum est, aliqui iustificari et salvari possint, qui in foro externo agnoscantur ad Ecclesiam visibilem pertinere; attamen 1°. illi ipsi non salvantur nisi *per Ecclesiam*, cuius est verbum fidei et cuius intuitu dantur gratiae salutiferae, et non salvantur nisi in *Ecclesia*, cuius non solum spiritu sed etiam visibilibus elementis continentur voluntate, quae -apud Deum pro facto reputatur. - Haec enim elementa visibilia 2°. ex institutione divina non sunt *de necessitate praecepti* dumtaxat sed *de necessitate medii* ad iustificationem et salutem; quocirca iustificatio in novo Testamento numquam efficitur sine relatione ad illa et spirituali saltem hominis coniunctione cum iisdem elementis visibilibus, atque ita coram Deo et Ecclesia triumphante existit non sine unione cum Ecclesia in terris. Neque vero 3°. huiusmodi aliquorum membrorum unio cum Ecclesia et - sine visibilibus sacramentis sanctificatio - quidquam officit dogmati de visibilitate Ecclesiae Christi. » [Sel.]

Cum Ecclesia Christi, ut superius vidimus, una et sola divinitus constituta expressio sit ac velut incorporatio totius revelatae religionis, qua Deus vult omnes homines in hoc ordine reparato salvos fieri et sine qua nemo salvatur, eo ipso constat, uniri ac pertinere ad hanc Ecclesiam non

ut ibi ait Innocentius III. iuxta doctrinam Augustini et Ambrosii, « quia in s. matris Ecclesiae file et Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum et caelestis patriae gaudium adeptum (vel iam re vel saltem expectatione in purgatorio) asserimus incunctanter, » 2°. Ordinis sacramentum (quod utique valet etiam de sacramentis aliis) collatum non baptizato est invalidum, « Si quis presbyter ordinatus prehenderit se non esse baptizatum, baptizetur et iterum ordinetur. » Quoi vero ibi cap. 3. Innocentius III. videtur dicere sacramenta Eucharistiae et matrimonii - a non baptizatis suscipi posse, - imo etiam Ordinis sacramentum in non baptizato fortasse valere, et ideo solummodo ait, « nos tutius sequentes mandamus, quatenus ipsum (ordinatum ut dicebatur sine baptismo praecedente) per singulos ordines usque ad sacerdotium promovere procar... »; - hoc totum ex contextu ipso illius capituli, simul spectato consensu omnium theologorum subsequentium, haud difficulter explicatur. In primis enim Innocentius non ex sua sententia omnia

solum esse *aliquod medium*, sed esse *medium absolute necessarium* ad salutem. Ecclesia ergo *societas* est non optioni hominum moraliter liberae permissa, sed *necessaria*. Hoc autem loco nexus cum hactenus disputatis omnino postulat, ut declaretur, *qualis* unio cum Ecclesia intelligi debeat ex dogmate catholico, dum profiteamur « neminem extra Ecclesiam salvari. » Ex qua ipsa declaratione quaestio altera oritur, *quomodo* actualis unio cum Ecclesia dicatur non solum *necessaria ex praecepto* divino sed etiam ut *necessarium medium* salutis aeternae. Postremo umbra quaedam discutienda erit, quae ex ista doctrina circa ipsam visibilitatem Ecclesiae non nemini incidere posset.

I. Ex superius demonstratis certum est, catechumenos et excommunicatos antequam illi per baptismum « incorporantur, « hi per absolutionem restituantur Ecclesiae, supposita vera fide, quae nempe explicita sit saltem in articulos necessarios et implicita in omnes veritates revelatas, posse per Dei gratiam pervenire ad actum charitatis et contritionis, qua cum charitate tamquam proxima dispositione iustificatio, et cum hac, si ita ante actualem unionem cum Ecclesia Christi visibili decedent, salus aeterna infallibiliter connectitur. « Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.... Si autem filii, et haeredes » Rom. VIII. 14. 17. Manifestum est autem, hoc perinde valere, si haeretici baptizati aut sine baptismo infideles sive

ista adfert sed velut aliquorum opiniones, et quamvis de eis nihil definiat, tamen simpliciter decernit, illum putativum presbyterum esse ad omnes ordines promovendum; quam rem solum tunc in quaestione, dicat ut *tutius* sequendam esse explicatur ex iis, quae habentur in fine istius capituli, ubi ostenditur dubium fuisse, utrum ille presbyter revera non fuerit baptizatus ac proinde iam etiam valide ordinatus. De coniugii porro sacramento in non baptizatis manifesto falsa esset illa nonnullorum disputatio, quam Pontifex refert, nisi intelligeretur de solo valido contractu matrimonii inter non baptizatos. Ad Eucharistiam denique quod attinet, manet utique corpus Christi et in re sacramentum, quoniam hoc non in susceptione sed consecratione sacerdotis conficitur, et est sacramentum in se permanens, quamdiu visibiles species panis perdurant; sed a non baptizatis materialiter tantum et non sacramentaliter et proinde neque cum effectu gratiae ex opere operato susciperetur. Vide Card, de Lugo de Euchar. disp. XIII. sect. 1.



interna propositione cum interna gratia sive modo extraordinario sola interna illustratione, quae suppleat verbum externum (vide ad Tract, de Trad, et Script. Append, cd. 2. c. 3. p. 609 ; c. 5. p. 691. et doctrinam ibi citatam s. Thomae de Verit. q. 14. a. 11; 3. dist. 25. q. 2. a. 1. sol. 1.), couvertantur ad veram fidem ; huiusmodi enim haeretici iam fidelibus excommunicatis infideles vero catechumenis pares essent, Haec simul consistunt in sua veritate et concilianda sunt cum altera doctrina catholica in Concilio Lateranensi IV. adversus Albigenses et alias saepius definita: - Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur « (cap. *Firmiter credimus*). Ne vero in huiusmodi definitionibus nomen *Ecclesia* latiori sensu accipiatur, quo fides assumitur ut unicum essenziale ac sufficiens vinculum membrorum Ecclesiae (cf. th. II.), tum alia multa faciunt tum etiam diserta declaratio Pii IX. in sollemni allocutione (habita ad Cardinales et Episcopos 9. Decemb. 1854, qui ex toto orbe interfuerant definitioni de immaculata conceptione B. Virginis); his enim verbis Pontifex dogma enuntiavit: « Tenendum quippe ex fide est. *extra Ap-jst dicam Romanam Ecclesiam saluiri fieri neminem posse,* » Conciliatio tota eo reducitur, ut ex indubia doctrina catholica explicentur vincula et connexiones cum Ecclesia, quibus fiat ut illi ipsi qui tantummodo «ex parte » et *secundum rpiid* cum Ecclesia Christi cohaerent, salvi fieri possint, iidemque misericordiae gratia Christi per Ecclesiam et non sine intuitu eorum relationis ad Ecclesiam salventur.

1. Vera fides, quae in illis omnibus, de quibus loquimur, supponenda est ut fundamentum, cui charitas et iustificatio et proinde salus aeterna innititur, considerari potest secundum propositionem externam *a* (fides ex auditu) » et secundum gratiam internam illuminationis et motionis *u* (nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum). »

*a)* Verbum Dei obiectum fidei in praesenti oeconomia secundum Christi institutionem primitus Christo et Spiritu Sancto revelante per Ecclesiam promulgatum, ab eadem Ecclesia Spiritu veritatis assistente per saeculorum decursum custoditum est sincerum et integrum ut depositum

sibi commissum. Credibilitas ipsa verbi constituitur per charismata Ecclesiae; ad ipsam enim in qua divinitus revelata religio incorporata est, referuntur et ex ipsa progrediuntur omnia motiva credibilitatis, adeo ut Ecclesia sit horum quidam complexus, et ipsamet in se magnum ac perfectum credibilitatis motivum. (Concil. Vatican. Const. *Dei Filius* cap. 3. Cf. Tract, de Traditione Append, cap. V.). Ad eos igitur omnes, qui veram fidem « ex auditu verbi Dei » concipiunt, praedicatio non pervenit, nec eis (ipsis etiam insciis) verbum ut credibile ac credendum proponitur, nisi quatenus conservatum est per veram Ecclesiam Christi; minime vero haec propositio *verbi credibilis et credendi* fit aut fieri potest per sectas ab Ecclesia hoc est a sola divinitus constituta custode et praecone veritatis atque a magno illo semper conspicuo motivo credibilitatis lapsas et extorres, de quibus non solum valet exprobratio: « an a vobis verbum Dei processit? » sed illa multo gravior sententia: « veritatem Dei in iniustitia detinent, » (Rom. I. 18; 1. Cor. XIV. 36.) (1).

b) Gratia interna illuminationis et motionis latius utique patet quam Ecclesia visibilis; secus enim omnis conversio ad ipsam Ecclesiam esset impossibilis, cum fides et ipsum initium fidei sine hac gratia a nemine, sicut oportet, suscipi queat (Cone. Arausic. II. can. 5.). Unde etiam propositiones Quesnelli (26. 27. 29.) et Pistoriensium (22.) damnatae sunt, quibus gratiae adiutoria ad solos fideles restringebantur: « Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia » (2). At vero sicut finis ultimus, quem Deus ex sese

(1) Quae hic de verbo Dei revelato Ecclesiae dicimus, a fortiori valent de sacramentis in Ecclesia et pro Ecclesia institutis. « Non sacramenta Christiana faciunt te (Donatistam) haereticum, sed prava dissensio. Non propter malum quod processit ex te, negandum est bonum quod remansit in te, quod malo tuo habes, *si non ibi habes, unde est bonum quod habes. Ex catholica enim Ecclesia sunt omnia Christiana sacramenta, quae sic habetis et datis, quemadmodum habebantur et dabantur etiam prius quam inde exiretis. Non tamen ideo non habetis, quia ibi non estis, unde sunt quae habetis,* » Aug. ad Vincent, ep. 93. n. 46.

(2) Quoniam iidem Ianseniaui solos iustos et sanctos ad Ecclesiam pertinere docebant (Quesn. propos. 72-78.), consequenter ulterius statuebant: « Prima gratia quam Deus concedit peccatori, est peccatorum re-



in omnibus gratiis largiendis intendit, est salus aeterna, ita omnium gratiarum quae extra Ecclesiam conceduntur, finis propinquior est conversio ad ipsam Ecclesiam. Duo enim stadia, regnum Dei inchoatum in terris quod est Ecclesia, et regnum Dei consummatum in coelis sese invicem excipiunt et in divina oeconomia connectuntur ad nuam communionem sanctorum: « qui crediderit *et baptisatus fuerit (in regno sanctificationis)*, salvus erit;» «vult omnes homines salvos fieri, *et ad agnitionem veritatis (in regno veritatis) venire.* » (Marc. XVI. 16; 1. Tim. II. i). Sicut ergo gratiae extra Ecclesiam conceduntur *ad formanda membra Ecclesiae*, si homines cooperari voluerint, ita gratiae eadem omnes verissime dici possunt donari *intuitu Ecclesiae*. Quicumque igitur extra corpus Ecclesiae ad fidem et ad charitatem perducuntur, atque ita videntur salvari posse extra Ecclesiam, re ipsa ad supernatûrales illas dispositiones et consequenter ad iustificationem et salutem non perveniunt nisi *per verbum Ecclesiae* tamquam custodis depositi et *per gratiam Ecclesiae* non quidem tamquam dispensatricis sed tamquam proximi finis, pro quo et cuius intuitu a Deo gratiae conceduntur. Hic primus sensus est isque fundamentalis, quo dici debet omnino neminem salvari nisi *per Ecclesiam* (1). **K**

2. Iste sensus verissimus quidem, supplendus tamen est per aliam considerationem, ut intelligamus dogma, quo neminem atque adeo neque illos ipsos, de quibus modo diximus, *extra Ecclesiam* salvari profiteamur. Vidimus in thesi XIX. totam Ecclesiam et singula eius instituta, ad exemplar capitis sui Verbi incarnati, componi duplici elemento, uno visibili ac per se naturali, altero invisibili et essentialiter ex sese supernatural!, quo illud prius informatur et supernaturaliter elevatur: « unum corpus et unus spiritus. » Finis autem horum institutorum omnium et totius Ecclesiae militantis est transformatio ac sanctificatio

missio - (propos. 23.). Unde eis vel cum Calvino sentiendam erat, nullam peccatorem nunquam consequi remissionem peccatorum; vel cum Pelagianis, peccata remitti sine supernatural! peccatoris dispositione. **I-ôo**

(1) Vide etiam Tract, de Traditione Append, cap. V. §. 2. η. 2. 3. p. 698. cd. 3\*.

*mundi* eiusdemque glorificatio ad Ecclesiam triumphan-  
tem, et in his omnibus gloria Christi ac Dei: «ut sit  
Deus omnia in omnibus 7» (th. XX.). Coniunctio porro  
utriusque elementi, visibilis et invisibilis, corporis et spi-  
ritus in Ecclesia ita est intima, ut sanctificatio et conse-  
quenter salus aeterna seu glorificatio sicut omnium ita sin-  
gulorum hominum nulla sperari aut haberi possit, nisi per  
unionem cum ipsa Ecclesia, quatenus est non spiritus tan-  
tummodo sed *corpus et spiritus*: «Christus caput est Ec-  
clesiae, ipse *salvator corporis eius...* et se ipsum tradidit  
*pro ea, ut illam sanctificaret...* et exhiberet ipse sibi glo-  
riosam Ecclesiam. » Sicut ergo corpus seu elementa visibilia  
in Ecclesia nec sanctificant nec salvant sine spiritu h. e.  
sine informantibus elementis divinis et invisibilibus, ita  
spiritus non operatur sanctificationem et salutem sine unione  
et relatione ad corpus Ecclesiae. Verumtamen in modo ne-  
cessario huius unionis cura corpore, atque adeo in usu ne-  
cessario elementorum visibilium distingui debet iustificatio  
*ex opere operato* et *ex opere operantis*. De *opere operato*  
nihil hoc loco necesse est dicere; constat enim illud non  
perfici nisi per visibile sacramentum baptismi, quo ipso  
completur (fide supposita) incorporatio in Ecclesiam, aut  
per sacramenta alia quae iam supponunt iustificandos esse  
actu Ecclesiae membra. Unde pro illis qui *operis operantis*  
sunt incapaces, alia praeter hanc in Ecclesia iustificatio-  
nem via salutis nulla est reliqua. Si vero de *opere ope-*  
*rantis* agitur, necessitas usus elementorum visibilium et  
generatim unionis cum corpore Ecclesiae manet quidem,  
non eandem tamen habet rationem.

Ad aliquam huius rei eliquationem consideremus pri-  
mum iustificationem peccatoris in ipsa Ecclesia. Potestas  
iurisdictionis sacramentalis seu potestas clavium in foro  
interno atque adeo sacramentum poenitentiae ex divina  
Christi institutione *medium* est necessarium ad remissio-  
nem peccatorum pro ipsis fidelibus in Ecclesia; nihilomi-  
nus peccator remissionem peccatorum iustificationemque *ex*  
*opere operantis* consequi potest et toties consequitur, quo-  
ties perfectae charitatis et in ea contritionis actum elicit,  
quin potestate clavium in sacramei      Kieccatis absolvatur.



— 430 —

Attamen in hac iustificatione manet non solum *dirinuni praeceptum* sed ea necessitas sacramenti quae dicitur *zicessitas medii*, de qua ratione paulo post dicemus; atque ideo manet non solum obligatio peccata omnia subiiciendi clavibus sed etiam ipsius iustificationis intestina relatio ad eandem clavium potestatem et ad sacramentum (1), quae ipsa causa est, cur in omni actu perfectae contritionis de peccatis nondum *absolutione* remissis implicita sit voluntas sacramenti suscipiendi. Haec doctrina catholica certissima demonstrat, actuale usum *medii* externi et visibilis posse suppleri per actus internos charitatis in iustificatione *ex opere operantis*, in hoc tamen ipso peccatorem ex divino iure positivo ligamen et coniunctionem habere cum visibili sacramento ut *medio necessario* iustificationis (2).

Iam vero in ratione *medii necessarii* ad iustificationem et consequenter ad salutem par est conditio peccatoris in Ecclesia quoad sacramentum poenitentiae, ac est eorum qui sunt extra Ecclesiam, in ordine ad baptismum et universim ad unionem cum Ecclesia visibili. Sicut ergo in illo ita etiam in his perfecta dispositio *ex opere operantis* ad iustificationem potest supplere actu susceptum sacramentum fidei et actuale unionem cum visibili Ecclesia, ita ut haec unio perficiatur in foro interno et coram Ecclesia triumphante, quin sit in foro externo coram Ecclesia militante. Hanc appellat Augustinus (1. qq. 50. in Levitic. cap. 84.). *« invisibilem sanctificationem sine visibilibus sacramentis. »* Quamvis autem verissimum quidem sit, huiusmodi homines uniri cum elementis invisibilibus, cum spiritu, et ut dici

(1) S. Th. 3. q. 86. a. 6. per actus poenitentis ait posse quidem obtineri remissionem peccatorum, - tamen prout hi actus *aliqua-  
nantur ad clave» Ecclesiae.* n ?χ --T·i

(2) Docet Concilium Tridentinum (sess. VI. c. 14.), christiani hominis poenitentiam post lapsum agenda includere - sacramentalem confessionem *saltem in voto et suo tempore faciendam et sacerdotalem absolutionem;* n et paulo post addit, poenam aeternam « Sacramento vel *Sacramenti voto* una cum culpa remitti. - Adhuc distinctius (sess. XIV..C. 4.) declarat, contritionem «haritate perfectam reconciliare quidem Deo; priusquam sacramentum actu suscipiatur, « ipsam reconciliationem nihilominus *ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur,* non esse adscribendam. ¶

solet, cum anima Ecclesiae; hoc tamen ipsum non perficitur sine relatione ad ipsum corpus h. e. ad Ecclesiam in terris visibilem. Sicut enim iustificatio peccatoris in Ecclesia, (piae sit ex opere operantis, non est adseribenda contritioni sine voto sacramenti poenitentiae, propter quod peccator habet necessariam relationem et, quantum ex se est et ex suo voto, coniunctionem cum sacramento; ita in iis qui foris sunt, iustificatio non est adseribenda contritioni sine voto baptismi et per hunc unionis cum corpore Ecclesiae, si non sint baptizati (1); et si sint baptizati, iustificatio eadem non perficitur sine voto sacramenti poenitentiae atque hoc ipso reconciliationis et reintegrationis in visibili Ecclesia. Habent ergo illi necessariam pro iustificatione relationem, et quantum in ipsis est atque ex suis actibus, coniunctionem non solum cum anima sed cum ipso corpore Ecclesiae. Valet enim, quemadmodum multis prosequitur s. Bernardus (Tract. ad Hugon. Victorin. de baptism. et aliis qq. c. 2. n. 8.), sicut de malis ita de bonis et per se necessariis actibus externis, a quod voluntas (apud Deum) pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas. n Qui igitur ita iustificantur et salvantur, non solum *per Ecclesiam* ratione qua supra diximus, sed etiam (quatenus in ipsis est), *in Ecclesia* et certe *non extra Ecclesiam* salvantur. Noti illi sunt semper coram Deo et Ecclesia triumphante; aliquando etiam actibus externis manifestis, ut martyrio pro fide et unione catholica, possunt cognosci et agnosci etiam ab Ecclesia militante. - Prorsus sanguinis pñ?o Christo effusio magnae cuiusdam fidei indubitata probatio est, non Deo tamen *sed hominibus...* Pro certo cum non aliunde martyrium nisi ex fidei merito illam obtinuerit praerogativam, ut singulariter *vice baptismi* secure suscipiatur; non video, cur non ipsa aequae *et sine martyrio apud Deum tantumdem possit, cui et sine martyrii probamento procul dubio innotescit.* » S. Bernard. 1. c.

(1) Translatio in statum gratiae i post evangelium promulgatum *sine lavaern regenerationis aut eius voto* fieri n<Th potest, sicut scriptum est: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. » Cone. Trid. sess. VI. c 4



alterius quaestionis, quomodo coniunctio cum Ecclesia non solum exigatur *necessitate praecepti* sed omnino *necessitate medii* ad salutem. §

Γ. *Medium* in modo loquendi theologorum hic habet significationem *causae*. Necessaria ergo ad salutem *necessitate medii* sunt et dicuntur ea omnia et sola, quae per modum *causae* vel formalis vel efficientis ac disponentis conducunt ad salutem ita, ut sine illis salus obtineri non possit. Ista autem sunt in triplici ordine, a) Fundamentaliter ac per modum causae formalis medium necessarium est *gratia sanctificans*. Huius inquam medii in praesenti ordine supernaturali necessitas est *fundamentalis*, quoniam haec gratia sola sufficit et sine ea nihil sufficit ad salutem; quae vero sunt alia media, ea necessaria sunt, quatenus requiruntur ad hoc ipsum fundamentum gratiae sanctificantis construendum. Itaque b) pro adultis in ordine ad ipsam gratiam sanctificantem et per hanc ad salutem media necessaria sunt *gratiae actuales* per modum causae disponentis. Utraque haec causa necessaria est ex ipsa propria ratione supernaturalis beatitudinis, et eatenus ex ipsa rei natura citra specialem aliam institutionem Dei sanctificatoris et beatificatoris. Sed c) sunt in praesenti ordine media necessaria quaedam alia per modum causae efficientis ad acquirendam gratiam sanctificantem atque idcirco ad salutem aeternam ex speciali positiva Dei institutione, sacramentum nimirum baptismi atque per hunc unio cum regno Christi Ecclesia, et pro peccatoribus qui adscripti iam sunt Ecclesiae, sacramentum poenitentiae. Haec sacramenta sunt instituta ita, ut baptismus quidem pro iis qui *operis operantis* sunt incapaces, et sacramentum utrumvis pro iis qui per opus operantis removerunt obicem gratiae non tamen pervenerant ad perfectam dispositionem charitatis, sint necessaria media *in se ipsis* h. e. in actuali applicatione, qua gratiam sanctificantem, et baptismus simul formationem membri Ecclesiae, instrumentate efficiunt *ex opere, operato*. Verumtamen quia haec gratiae instrumenta externa sunt, et quia (ut Patres Ambrosius, Augustinus, Bernardus ceterique in hac re docent)

apud Deum perfecta *u.* voluntas pro facto reputatur; *n* hinc fit, quod Deus perfectam dispositionem per actum charitatis, *quatenus includit voluntatem sacramenti* in Ecclesia instituti et ex hac institutione per se necessarii ad iustificationem, suscipiat *a* pro facto sacramenti » ad effectum iustificationis et (quoad voluntatem baptismi) ad effectum unionis cum Ecclesia coram Deo et coram Ecclesia triumphante. Deus ergo iustificat et (modo explicato) invisibiliter format Ecclesiae membrum non propter solum actum charitatis per se et praecise spectatum, sed simul propter voluntatem seu votum baptismi, quod in actu charitatis includitur, *u* reputando voluntatem pro facto *n* sacramenti *a* se instituti et necessarii ad effectum iustificationis et unionis cum Ecclesia.

Ita sine dubio habet doctrina Concilii Tridentini superius commemorata. Ex verbis Salvatoris, « nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, » Concilium probat, translationem in statum gratiae et filiorum Dei « post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis *aut eius voto* fieri non posse, *n* Docet ergo s. Synodus, in verbis Christi quibus ipse actus lavacri regenerationis seu baptismi exprimitur atque adeo ut necessarium medium instituitur, includi tamen etiam *votum baptismi* (perfectum scilicet charitate), quia voluntas apud Deum pro facto reputatur; ac proinde etiam tum fieri sanctificationem intuitu baptismi, quatenus homo coram Deo spiritualiter *ipso volo* participem se reddit *u* aquae et Spiritus Sancti, » ut semper maneat verum, neminem posse introire in regnum Dei sive inchoatum in terris sive consummatum in coelis, et transferri in statum filiorum Dei, nisi renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. *per se* quidem actuali, veluti autem *per accidens* saltem spirituali applicatione baptismi *per votum* perfectae voluntatis. Idem igitur valet de translatione in statum filiorum Dei quoad non baptizatos, quod expressis verbis docet Concilium de iustificatione peccatorum baptizatorum, in utrisque nimirum fieri quidem iustificationem per actum perfectae charitatis seu contritionis, attamen post Evangelium h. e. post institutionem utriusque sacramenti tamquam medii neces-



sarii ad iustificationem et salutem, « ipsam reconciliationem nihilominus *ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* » Ufa ergo sensu intelligi debet, quod dixit s. Thomas, per actus poenitentis posse obtineri remissionem peccatorum « tamen prout hi actus aliquantulum ordinantur ad claves Ecclesiae; » prout videlicet homo per votum sacramenti baptismi vel poenitentiae, quod in contritione includitur, spiritualité! coniungitur cum sacramento tamquam medio ex institutione Christi necessario ad iustificationem. Hic sensus in doctrina synodi Tridentinae videtur omnino clarissime expressus, eumque disputatione paulo subtiliori defendit Card, de Lugo (de Sacram. Eucharistiae disp. III. sect. 1.).

2°. Ne vero importunae difficultates ingerantur, tria sunt animadvertenda, a) Votum sacramenti in actu perfectae charitatis seu contritionis includitur, quatenus generalis est voluntas adimplendi omnia divina praecepta et adhibendi omnia media a Deo instituta ut necessaria ad reconciliationem. Unde non requiritur, ut illud votum sacramenti concipiatur speciale et explicitum; sed imo in actu charitatis elicitum etiam ab homine, qui nec quidquam novit vel non cogitat de necessitate sacramenti, voluntas illa seu illud votum necessario implicite continetur, b) Adeoque discrimen inter iustificationem per actum charitatis in veteri et in novo Testamento non est ex parte hominis, quasi in novo Testamento requireretur alius et magis explicitus actus quam in oeconomia veteri; sed discrimen est in ipsa obiectiva diversa oeconomia, quod nunc sunt aliqua praecepta et necessaria instituta, quae prius non erant; atque ideo generalis voluntas observandi et praestandi omnia necessaria nunc continet implicitum votum sacramenti baptismi vel poenitentiae, quod antea non continebat. Ex parte vero Dei actus condonandi peccata et sanctificandi per infusionem gratiae nunc, post institutionem sacramenti tamquam medii necessarii ad iustificationem, respicit conjunctionem spiritualem hominis cum ipso sacramento per eius votum implicitum, c) Hoc non ita intelligendum est, ac si sacramentum, quod actu non confertur efficaciam et virtutem aliquam exerceret *ex opere operato*; sed tota

virtue est in perfectione dispositionis *ex opere operantis*. Deus autem (ut dictum est et ex doctrina Concilii constat) hoc opus operantis eatenus habet pro ultima dispositione ad gratiam infundendam, quatenus charitas perfecta includit votum baptismi et per hunc unionis cum Ecclesia, atque ita « voluntatem pro facto reputans » hominem iustificat et spiritualité! coram se unit Ecclesiae non sine relatione ad visibile sacramentum, ut medium necessarium, a se institutum.

3°. Ex dictis manifestum est, quomodo differat *necessitas medii* ab ea quae est tantummodo *necessitas praecepti*, non solum quoad internam gratiam, de qua res est per se clara, sed etiam quoad *media* externa sacramenti baptismi ac poenitentiae. Nam a) ea quae habent dumtaxat *necessitatem praecepti*, non sunt instituta ut *causae* ad gratiam infundendam, sed sunt necessaria tantummodo ad vitandum peccatum et ad removendum obicem gratiae; quae vero sunt *de necessitate medii*, ea ex institutione divina habent rationem *causae* ad infusionem gratiae. Quamvis igitur in actu charitatis et contritionis implicite contineatur voluntas e. g. restituendi bona aliena sicut voluntas baptismi, illa tamen includitur dumtaxat ad excludendam voluntatem peccati atque ita ad removendum obicem gratiae, quin restitutio per se sit *causa* gratiae; votum contra baptismi est voluntas rei non solum praeceptae sed etiam institutae, ut sit per se instrumentalis *causa* gratiae. Hinc est, quod Concilium Tridentinum numquam dixit, iustificationem non esse adscribendam contritioni sine voluntate adimplendi omnia praecepta, hoc enim iam per se intelligitur et ipso nomine contritionis continetur, qua excluditur voluntas peccati; contra vero quamvis inter omnia illa praecepta contineatur etiam praeceptum sacramenti baptismi et poenitentiae, s. Synodus expresse tamen haec distinxit docuitque, neminem posse transferri in statum filiorum Dei sine baptismo *vel eius voto*, non iam solum quia sicut in aliis praeceptis excludenda est voluntas peccandi, sed quia Christus instituit baptismum ut *causam* regenerationis: « nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei; »

\*1941

M i

B



et ex pari ratione iustificationem peccatoris in Ecclesia a non esse adscribendam ipsi contritioni *sine sacramenti voto, quod in ea includitur* » (vide supra η. I.). 6) Propter hanc rationem *causae* alterum oritur discrimen; quia nimirum illa, quae habent tantummodo *necessitatem praecepto*, necessaria sunt, ne quis peccet et ponat obicem gratiae, non autem quasi ipsa per se essent efficacia gratiae; idcirco conditiones omnes quae excusant a peccato, e. g. ignorantia inculpabilis, etiam efficiunt, ut non sint nec dici possint necessaria ad iustificationem et salutem; at vero in iis quae sunt *de necessitate medii*, conditiones huiusmodi excusant quidem a novo peccato, minime tamen efficiunt, quominus illa maneant adhuc media necessaria ad gratiam, cuius sunt *causa*, et consequenter ad salutem. Licet igitur invincibiliter ignorans existentiam aut necessitatem sacramenti propter hanc suam ignorantiam excusetur a peccato, non tamen a peccatis aliunde contractis iustificatur nec salvatur nisi per implicitum, ut diximus, sacramenti votum, *« quod coram Deo pro facto reputatur. »*

III. Ex declarata distinctione, dum aliquos in foro dumtaxat interno « coram Deo et Ecclesia triumphante, » non tamen in foro etiam externo coram Ecclesia militante, atque ita non visibiliter sed a invisibili sanctificatione sine visibilibus sacramentis, n atque sacramenti voto dumtaxat, a quod apud Deum pro facto reputatur, r) Ecclesiae Christi coniungi dicimus, dubium oriri posset, quomodo haec doctrina componatur cum visibilitate Ecclesiae.

Sed 1. proprietates Ecclesiae qua est conspicua, potissimum consistit in conspicuo magisterio, ministerio, sacerdotio, et consequenter in visibili exertione authenticae doctrinae, sacri regiminis, sacrificii et sacramentorum (th. ΣXI.) quae omnia integra manere nec quidquam detrimenti pati ex doctrina in hac thesi proposita, per se constat.

2°. Quoad membra Ecclesiae nequaquam in eo est visibilitas eiusdem, quasi de singulis distributive certitudine infallibili constare deberet, eos vere et coram Deo pertinere aut non pertinere ad Ecclesiam, quum tali certitudine neque de singulorum caractere baptismal! neque de eorum interna nde neque de immunitate ab excommunica-

tione constet. Non enim de singulorum membrorum sed de Ecclesiae visibilitate exstat divina promissio et revelatio, qua generatim et cumulative de universitate eorum, qui signis externis distinguuntur, certi reddimur eos non fecte tantum sed vere et coram Deo ad Ecclesiam Christi in terris pertinere ea certitudine infallibili, qua Deus pollicitus est se suam Ecclesiam in terris, quae non est alia quam visibilis et ex fidelibus hominibus congregata, conservaturum usque ad consummationem saeculi, hocque ipso numquam permissurum esse, ut in ea vera fides, vera sacramentorum et sacrificii administratio, vera sub sacro regimine communio deficiat. Huic autem visibili unioni et communioni sicut ex eo, quod in illa singuli aliqui non vera sed simulata fortasse sint membra, nihil decedit; ita multo adhuc minus quidquam ei officit, quod singuli aliqui in foro interno dumtaxat et coram Deo, non etiam in foro externo coram Ecclesia militante membra Ecclesiae eiusdem constituentur. Salva visibilitate corporis Ecclesiae singuli aliqui possunt videri esse, et non vere coram Deo esse membra Ecclesiae; vicissim singuli aliqui possunt coram Deo vere esse et coram Ecclesia militante non videri membra eiusdem, quia sicut in malis ita in bonis coram Deo non autem coram hominibus « voluntas pro facto reputatur, »



THESIS XXV.

*Peccatores non excluduntur ex censu membrorum  
Ecclesiae Christi.*

s Tum divinis institutis in Ecclesia velut *practice* tum *theoreticis* di-  
» certa doctrina in Scripturis revelatum et in catholica traditione lucu-  
» n lenter explicatum est, non solos iustos sed etiam peccatores omnes  
» praeter eos, quos in antecedentibus ab Ecclesia extorres esse demon-  
» stravimus, esse vere et simpliciter membra Ecclesiae visibilis. Neque  
\* Patres ac nominatim Augustinus huic veritati contradicunt, si quando  
» peccatores ad Ecclesiam pertinere negare videntur, sed Ecclesiam con-  
» siderant secundum quid, secundum finem scilicet proximum actualis san-  
» ctificationis, et secundum donum sanctitatis. »

Hactenus probatum est, quinam homines ad Ecclesiam Christi in terris atque adeo ad Ecclesiam visibilem non pertineant; sed iam ulterius quaeritur, an ea velut negativa enumeratio ac remotio e censu membrorum Ecclesiae sit completa, et non potius sicut haeresis vel schisma et excommunicatio criminibus inflictis, ita alia insuper vel omnia vel saltem notoria et publica peccata ante et citra excommunicationis sententiam a regno Dei in terris h. e. ab Ecclesia excludant? Non enim minus quam veritas fidei et charitas socialis videtur propria forma Ecclesiae esse sanctitas et charitas theologica; unde sicut illis destituti, ita etiam hac sanctitate privati non videntur pertinere ad Ecclesiam, quae celebratur in Scripturis et in traditione, et ex ipsa sua fundatione suoque fine comprobatur *regnum sanctitatis* aequae ac *regnum veritatis*.

At vero peccatores reos quorumcumque delictorum praeter eos, qui in superioribus thesibus descripti sunt, vere et simpliciter membra Ecclesiae esse ac manere, tam liquidum est ex ipsa natura visibilis Ecclesiae, ex tota vita et historia, ex doctrina et institutis eiusdem, ut mirum sit hanc veritatem ab haereticis tum antiquis ilTontanistis,

Novatiani», Pelagianis (1), Donatistis, tum medio aevo a multiplicibus sectis Çatharorum, tum recentius a Protestantibus ac lansenianis, quamvis ab aliis aliter, impuguari potuisse. Sed nimirum veteres sectae ac lanseniani veram rationem sanctitatis Ecclesiae et sanctificationis per Ecclesiam perverterunt; Deformatoribus autem saeculi XVI. et nunc porro illis eorum discipulis, qui se Christianos adhuc profitentur, praescindendo etiam ab eorum absurdis commentis de iustificatione, necessarium erat et est figmentum illud Ecclesiae invisibilis ex solis sanctis aut praedestinati ut suam sectam recenter conflata inde a Christo et ab Apostolis semper exstitisse sed nemini mortalium cognitam aut cognoscibilem persuaderent, seu potius quam stulte tam pervicaciter affirmarent contra catholicos, qui eos defectio- nis a fide et communione perennis Ecclesiae Iesu Christi ineluctabili ratione convincebant. Partim igitur ad ulterio- rem vindicationem visibilitatis, partim ad declarationem intestinae conditionis ac finis Ecclesiae in terris pertinet haec demonstratio uniunis et commixtionis peccatorum cum iustis et sanctis membris in uno corpore.

..

:ii i :

I. Finis Ecclesiae et omnium institutorum eius est utique perfectio sanctitatis et unionis cum Deo; sed Ecclesia in terris est adhuc *in via*, et consummatio non erit nisi *in termino* beatae visionis et fruitionis. Hinc Ecclesia in terris militat ut fiat triumphans in coelo, certat in agone ut assequatur bravium; regnum inchoatum contendit ad

(1) Quidquid sit de ipso Pelagio, qui videtur tantummodo asseruisse, posse hominem esse et multos fuisse sui liberi arbitrii vigore sine ullo omnino peccato, de Pelagianis certe Augustinus hanc refert fere incredibilem haeresim. « In id etiam progrediuntur, ut dicant vitam iustorum in hoc saeculo nullum omnino habere peccatum, *et ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici*, ut sit omnino sine macula et ruga, quasi non sit Christi Ecclesia, quae toto terrarum orbe clamat ad Deum: dimitte nobis debita nostra. » Aug. 1. de Haeresib. n. 86. Aliae sectae istae veteres non simpliciter omnes peccatores sed Donatistae notorios tantum, Montanistae et Novatiani gravissimorum quorundam criminum reos excludebant, negata simul potestate Ecclesiae eos absolvendi sibi- que iterum reconciliandi. Vide Tertullianum Montanistam 1. de pudicit. praesertim c. 7. et 19; Cyprianum ep. 52. ad Antonian., Tract, quod lapsis venia non neganda (inter Opp. Cyprian. Append.); Pacianum, Ambrosium etc.

|



consummatum, fides ad visionem, spes ad fruitionem, charitas adhuc mutabilis et in dolore ad charitatem incommutabilem in plena beatitudine. Quo in duplici statu, prior est quidem etiam quoad totum corpus imperfectus in comparatione cum statu secundo perfecto (1), quemadmodum Apostolus comparat id quod nunc est tantum *ex parte* (sz γέρου), cum eo quod futurum est *perfectum* (το τελειον), statum fidei in terris ut *parvuli* cum statu visionis ut *adulti iam viri* (1. Cor. XIII. 9-12.), uec tamen ob hanc imperfectionem *negative* dictam desinit Ecclesia esse sponsa et corpus Christi; ita ergo etiam imperfectio *privative* peccati in multis membris singulis, quae aegrota quidem sunt, non tamen finaliter mortua et a corpore divulsa sed in ipso corpore sananda, neque in ipsis rationem membrorum tollit (2), eoque minus destruit veritatem corporis Christi, quod adhuc « aedificatur » et crescit, necdum per-

(1; Multa plena sanctis affectibus more suo contemplatur Augustinus de duplici hoc statu seu duplici vita Ecclesiae tum alibi tum in Tractatu 124. in Ioann, n. 5-7. - Duas itaque vitas sibi divinitus praedicatas et commendatas novit Ecclesia, quarum est una in fide, altera in specie..... una est vincendi turâ sollicita, altera victoriae pace secure; una in tentationibus adiuvatur, altera sine ulla tentatione in ipso adiutore laetatur: una subvenit indigenti, altera ibi est ubi nullum invenit indigentem; una aliena peccata, ut sua sibi ignoscantur, ignoscit, altera nec patitur quod ignoscat, nec facit quod sibi poscat ignosci... Omnibus igitur sanctis ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus, propter huius vitae procellosissimae gubernaculum, ad liganda et solvenda peccata claves regni coelorum primus Apostolorum Petrus accepit, eisdemque omnibus sanctis, propter vitae illius secretissimae quietissimum sinum, super pectus Christi Joannes Evangelista discubuit. » Vide ibi reliqua.

(2) - Iesus Christus caput est Ecclesiae, et est corpus eius Ecclesia, et in eius corpore unitas membrorum (per vincula communionis) et compago caritatis tamquam sanitas existit. Quicumque autem in caritate frigerit, infirmatur in corpore Christi. Sed potens est ille qui iam exaltavit caput nostrum, etiam infirma membra sanare; dum tamen non nimia impietate praecedantur, sed haereant corpori donec sanentur. Quidquid enim adhuc haeret corpori, non desperatae sanitatis est; quod autem praecisum fuerit, nec curari nec sanari potest (quamdiu nempe, re vel saltem voluntate non iterum uniatur corpori)... Caput nostrum sine peccato et sine morte iam propitiat Deum pro peccatis nostris..... Sed dum hic sumus, membra sumus, ne desperemus, quia secuturi sumus caput nostrum - Aug. serm. 137. η. 1. (al. de verbis D5i. 49.).

venit « in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (Eph. IV. 12-16.).

1<sup>a</sup>. Sane Dominus Ecclesiam suam docuit, in ea et pro ea instituit formam orandi, qua eius membra in unione et communione indesinenter clamare iubentur: dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Haec oratio, ut ea ipsa verborum universalitate apparet, non ad sola peccata quotidiana illa, quae gratiam non auferunt, et de quibus discipulus quem diligebat Iesus, protestatur, « si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est » (1. Io. I. 8.), sed imo etiam magis ad peccata gravia refertur, ad impetrandam scilicet necessariam pro remissione dispositionem (1). Id sicut ex ipsis verbis orationis et ex longe maiori indigentia gratiae pro remittendis gravibus criminibus, ita etiam ex parabola de uno inter servos regis « qui debebat ei decem millia talenta » (Matth. XVIII. 23. sq.) manifestum est; in illa enim divinus Magister declaravit eam ipsam connexionem inter faciendam a nobis et impetrandam a Deo orantibus nobis debitorum remissionem, quam in formula orationis expresserat (2); debita autem illic non iam levia sed gravissima a Deo remittenda in exemplum adducuntur.

Ad hanc normam divinitus praescriptam Ecclesia conscia infirmitatis filiorum suorum nihil fere instantius et frequentius a Deo exorat in suis publicis et privatis precibus quam tum praeservationem a committendis tum purgationem a commissis peccatis: « populi tui Deus institutor et

(1) Verba citata Ioannis et quomodo a iustis et sanctis remissio peccatorum « non tantum humiliter sed etiam veraciter » oratur et non solum - pro aliis qui sunt in suo populo peccatores, « sed etiam pro se ipsis, declaravit Concilium Carthaginense plenarium anni 418. canonicibus 6-8.

(2) - Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris.... Ad vitam veniri potest, si peccata donentur, quae debita Dominus appellat, sicut in Evangelio suo dicit: *dimisi tibi omne delictum, quia me rogasti.....* Qui servus post dimissum sibi a Domino omne debitum conservo suo noluit ipse dimittere, in carcerem religatur » Cyprian, de orat. Dominio, ed Beluz. p. 211.



rector, peccata quibus impugnatur expelle ; *n a* reatus nostri confessio indulgentiam valeat percipere delictorum; *n* «cunctarum nobis indulgentiam propitius largire culparum; *s* « peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potius maceremus quam suppliciis deputemur aeternis; » *u* ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. »

Haec et his gemina in omnium rituum occidentis et orientis liturgicis libris repetita non modo sunt verax et humilis oratio ex lege supplicandi, sed simul ex lege credendi confessio fidei, quae connexa est cum ea fide, qua credimus Ecclesiam, qualis nunc est in terris. Cum fide enim in Patrem, et Filium eumque incarnatum ac redemptorem, et in Spiritum Sanctum coniungitur in apostolico et in aliis deinceps symbolis fides, qua credimus non quidem *in Ecclesiam* sed *Ecclesiam* et sanctorum communionem velut complexum operum supernaturalium ss. Trinitatis, pretium redemptionis per Filium incarnatum, regnum ac templum sanctificatum in Spiritu Sancto, atque in hac Ecclesia quatenus in terris est, credimus ex eadem redemptione et sanctificatione *remissionem peccatorum* perenniter futuram (1). I

2". Pro ipsis membris Ecclesiae Christus sicut alia sacramenta ad augendam et conservandam sanctitatem ita

Jf

(1) *a* Post commemorationem sanctae Ecclesiae in ordine confessionis ponitur remissio peccatorum. Per hanc enim stat Ecclesia quae in terris est, per hanc non perit quod perierat, et inventum est. *n* Huic velut thesi probandae Augustinus subiungit prolixam explicationem modi quo peccata remittuntur, non solum in baptismo, sed etiam *u* in vita cetera, quae sine peccatorum remissione non agitur. » Primo quidem sermonem habet de peccatis, quae non sunt crimina ; tum vero « neque de ipsis criminibus, inquit, quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia, Dei misericordia desperanda est agentibus poenitentiam secundum modum sui cuiusque peccati... Recte constituuntur ab iis qui Ecclesiis praeiungunt, tempora poenitentiae, ut fiat satis etiam Ecclesiae, in qua remittuntur ipsa peccata, extra eam quippe non remittuntur, *n* Tandem post multa concludit: « qui in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantam divini muneris largitatem, et in hac obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato (peccato finali) in Spiritum Sanctum, in quo Christus peccata dimittit. *n* Ang. Enchirid. n. 17.22. »

sacramentum instituit remissionis peccatorum (Io. XX. 23. cf. Iac. V. 15. 16.). Adeoque sunt in regno sanctificationis tum *sacramenta vivorum* ad vitam superaaturalem, qua iam vivunt, nutriendam et conservandam: « qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die » (Io. VI.); tum *sacramenta mortuorum* non solum ad regenerationem, qua primum nascuntur in Ecclesia, et quae renovatio (ἀναζαίνισμ,ο) non nisi semel fieri potest: « impossibile est enim eos qui *semel* sunt illuminati (του ἀπαξ φωτισθέντα)... rursus *renovari* (παλιν ἀνακαυξείν) ad poenitentiam » (Heb. VI.); sed etiam ad *reconciliationem* (ν.απαλλαγῆ) cum Deo, de qua Apostolus peccatoribus in Ecclesia clamat: « obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo » (2. Cor. V. 20.), dum simul timet, ne forte aliquos, causam suae tristitiae, inveniat in Ecclesia impenitentes: « ne lugeam multos in eis qui ante peccaverunt, et non egerunt poenitentiam super immunditia et fornicatione et impudicitia quam gesserunt » (2. Cor. II. 3; XII. 20. 21.).

Hinc divinae institutioni remissionis peccatorum innitur disciplina poenitentialis, quae ab apostolicis temporibus derivata iam II. et III. saeculo secundum certas et quoad rei summam universales normas in occidentalibus et orientalibus Ecclesiis observabatur. Hac tamen in causa duo sunt animadvertenda. Primo quidem in multis documentis ecclesiasticis directe non nisi de poenitentia publica agitur, cui gravissimorum et publicorum tantum criminum rei subiiciebantur; tum vero remotio poenitentium a mysteriis secundum diversos eorum gradus diversa non est confundenda cum excommunicatione proprie dicta et cum recisione a corpore Ecclesiae; a perceptione enim Eucharistiae ante absolutionem exclusi erant ex ipso fine huius sacramenti et ex lege divina ab Apostolo promulgata 1. Cor. XI. 27. 28; a mysteriis et functionibus aliis arcebantur ad ampliorem satisfactionem etiam (1) Ecclesiae

(1) Hoc sensu minus proprio *excommunicatio* appellari videtur ab Augustino (ad Donatist. post collation. Carthagin. n. 28.) « Neque enim a populo Dei separamus, quos vel degradando vel *excommunicando* ad humiliorem poenitendi locum redigimus, »



praestandam et ad salubriorem praeparationem pro sacramentis. in libro II. Constitutionum Apostolicarum, quae saeculo III. scriptae antiquissimas leges Ecclesiae exhibent, hoc discrimen inter disciplinam poenitentium in Ecclesia et inter excommunicationem clarissime ostenditur. Primum docetur Episcopus non solum, quomodo peccatores poenitentes absolvendi sint « manuum impositione, » sed etiam quibus remediis sunt sanandi et praeparandi ad absolutionem sive acerbis sive lenibus, etiamsi « vulnus altum sit et intumuerit, » et « si ulcus serpat, cauterio utere et putredinem extrahe, ieiuniis scilicet affligens. » Quando vero haec omnia nihil profecerint et insuper periculum infectionis pro aliis membris oriatur, tum demum praescribitur veniendum esse ad excommunicationem, « Haec cum feceris, et deprehendis quod a pedibus usque ad caput non est malagma imponere nec oleum nec ligamina, sed dilatatur ulcus et omnem medicationem anticipat ad modum gangraenae cuncta membra putrefacientis ; tunc multa cum circumspectione et consultatione, adhibitis aliis etiam medicis peritis, abscinde membrum putridum ut non corrumpatur totum corpus Ecclesiae. Ne igitur facilis sis et promptus ad abscindendum. . . Si vero impoenitentem aliquem videris et obduratum, tunc cum dolore et luctu ab Ecclesia resecta insanabilem » (κνιάτω έχοντες τη εκκλησία κποζοπτε) ibi c. 41.

Eodem pertinet distinctio Augustini inter peccata aha etiam gravissima, quibus homo non praeciditur ab Ecclesia, et inter haeresim, qua, quamdiu in ea persistit, iam praecisus est. « Tunc enim quisque infructuosus et *nondum a radice praecisus est*, cum mala cupiditate agit quidem illa opera, de quibus dictum est, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt (Gral. V.) ; sed cum pro ipsis operibus etiam veritati apertissimae, qua redarguitur, resistere coeperit, *tunc praeciditur*... Sic et antequam visibiliter excommunicetur, quisquis contra veritatem, qua convincitur et arguitur, hostilem gestat animum, *iam praecisus est*. Ita fit, ut et semen bonum et semen malum, utraque crescant per agrum usque ad messem, idest et filii regni et filii maligni (qui mala cupiditate agunt illa

opera, de quibus paulo ante dixerat) utrique per mundum (Ecclesiam in toto mundo) crescant usque in finem saeculi s August, de unitat. Eccles, n. 74.

II. Quae indicavimus, satis exhibent demonstrationem velut *practicam* seu in ipsis elementis et actis Ecclesiae manifestam, in regno sanctificationis non solos comprehendi, « qui iusti sint et sancti, ut justificentur et sanctificentur adhuc-n (cf. Ap. XXII. 11.), sed etiam equi in peccatis sint, ut remittantur eis» (cf. Iac. V. 15.). Non minus clare Christus Dominus doctrina sua *theoretica* describit et confirmat hunc statum adhuc imperfectum regni sui in terris, ita ut in ipso regno usque ad consummationem saeculorum cum iustis et sanctis commixti sint peccatores.

Doctrina haec continetur in parabolis a Christo ipso explicatis de indole regni sui in terris, idque tam manifesto, ut a Conciliis Africanis et ab Augustino in doctrina catholica asserenda et errore Donatistarum confutando, ad membrorum Ecclesiae diversitatem quod attinet iustorum et peccatorum, hae divini magistri parabolae habitae fuerint tamquam ineluctabile argumentum et fere fundamentum catholicae demonstrationis. Regnum coelorum simile est agro, in quo simul crescunt triticum et zizania usque ad messem, quando messorum colligent zizania ad comburendum, triticum vero reponent in horrea Domini. Hanc parabolam Christus discipulis postulantibus explicuit, « Ager est mundus;» totum scilicet tempus status regni coelorum in hoc saeculo; nam messis est « consummatio saeculi; » in regno Dei pro statu praesenti sunt « filii regni, » digni nempe regno aeterno, tamquam triticum, et a filii nequam » (υιοι του πονηρου) in eodem agro, qui operibus suis sequuntur diabolum (1),

(1) Nomen *fili* in Scripturis et in usu loquendi orientalium saepe accipitur sensu latiori metaphorico vel metonymico. Filius appellatur illius rei, quae ab aliquo habetur vel ei debetur, vel cui similis perhibetur sive bonum sit sive malum, ut filius mortis, filius gehennae, filius regni, filius fortitudinis, filius olei (i. e. unctus Zach. IV. 11.), filii tonitruum, filii fulguris Iob. V. 7. heb. i. e. aves alte et praecipitanter volantes; tum etiam filii dicuntur eorum, quos velut duces et magistros sequuntur, ut filii prophetarum, filii diaboli, filii nequam (του πονηρου); filii haereseos apud s. Ephrem sunt haeretici, filii Messiae apud Arabes sunt Christiani.



atque per haec opera sunt zizania seminata a diabolo. In consummatione saeculi demum, *a* mittet Filius hominis angelos suos, et colligent *de regno eius* omnia scandala et eos, qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis. <sup>7</sup>» Sunt ergo et erunt *in regno Christi in terris* scandala et operadores iniquitatis usque ad consummationem saeculi, in qua demum sicut meritis ita praemiis et poenis aeternis plena erit separatio filiorum regni et filiorum nequam. Matth. XIII. 24. 38-41.

Eiusdem rationis sunt parabolae aliae, *a* Simile est regnum coelorum sagenae missae in mare et ex omni genere piscium congreganti, *n* Genera piscium explicantur duo, bonorum et malorum. Rete educitur ad littus, « cum impleta est, » seu cum numerus sanctorum in Ecclesia Dei et consequenter etiam reproborum impletus est; tum pisces ex eadem sagena, quae est regnum coelorum, separantur; sicut triticum in horrea ita pisces boni in vasa Domini colliguntur, sicut zizania ad comburendum ita pisces mali *foras* mittuntur (ἐξω ἐβαλον) ex sagena scilicet in qua hactenus fuerant permixti cum bonis. Conclusio et declaratio parabolae datur a Domino iisdem verbis, ut in praecedenti: « sic erit in consummatione saeculi » Matth.

In adventu Filii hominis, qua hora non putatur, sive ad iudicium particulare in morte singulorum sive ad iudicium universale in consummatione omnium, *a* tunc simile erit regnum coelorum decem virginibus. » Omnes et soli illi, quibus constituitur regnum coelorum in terris, repraesentantur decem virginibus, quae omnes eo ipso, quod sunt in regno coelorum, *a* exierunt obviam sponso et sponsae » (sponso Christo et sponsae ut erit « ornata viro suo » Ap. XXL 2. sq.). At ex illis omnibus in regno coelorum obviam euntibus *n* quinque sunt fatuae, » quibus vasa quidem fidei mortuae sed non oleum lucentis charitatis habentibus et clausa iam ianua, cum tempus non erit amplius, frustra pulsantibus respondetur, nescio vos. Hinc monentur illi utique, qui repraesentantur per parabolam virginum, et proinde sunt in regno coelorum, et in eo sumpserunt lampades suas euntes in occursum sponso et

sponsae: « vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam, r quia nimirum etiam inter hos possunt esse et sunt, qui non sumpserunt oleum in vasis suis Matth. XXV. 1. sq.

Praeter haec Patres adversus Donatistas saepe urgent similitudinem a Ioanne Baptista positam de tritico et paleis in eadem area Matth. III. 12. « Tentarunt sane Episcopi vestri (Donatiani) negare scriptum in Evangelio, quod areae sit Ecclesia comparata; sed mox evangelicorum verborum commemoratione convicti ad id se converterunt, ut etiam ibi dicerent occultos malos significatos, non manifestos, de quibus scriptum est: veniet ferens ventilabrum in manu sua et mundabit aream suam, frumentum recondet in horreo, paleas autem comburet igni inexstinguibili. Vos itaque indicate, aperite oculos, aures intendite veritati; si propterea, sicut ipsi dixerunt, Dominus Ecclesiam retibus comparavit, quia non manifestos sed latentes in ea malos intelligi voluit, quos ita non vident sacerdotes, quemadmodum pisces intra retia sub fluctibus non vident piscatores; numquid et area sub aqua vel sub terra trituratur? aut certe nocturnis horis, non in sole conteritur, aut in ea rusticus caecus operatur? Quanto ergo melius se ipsos corrigunt, quam Evangelia sancta pervertunt, et ad vanum suae mentis errorem eloquia Dominica detorquere conantur.... Custodit autem Deus innocentiam sanctorum et fidelium suorum, sicut piscium bonorum, sicut pinguium frumentorum, ut intra ista retia non eis noceant permixta genera reprobanda, et in ista area non eis noceat permixta palea ventilanda n August. 1. post Collation. Carthag. n. 14.

Similia disputat Augustinus de convivio, cui intervenerat etiam conviva non habens vestem nuptialem Matth. XX. 10. sq. u Quomodo hoc verum est, inquit, nisi quia in illo uno grande corpus figurabatur omnium malorum ante Domini indicium convivio Dominico permixtorum? » Aug. ibid, η. 27. Praeclarissime hanc significationem convivii nuptialis explicat s. Gregorius in Evang. hom. 38. n. 7-14. « Ecce iam ipsa qualitate convivantium aperte ostenditur, quia per has regis nuptias praesens Ecclesia designatur, in qua cum bonis et mali conveniunt. Permixta quippe est diversitate filiorum, quia sic omnes ad fidem generat, ut tamen omnes



per immutationem vitae ad libertatem spiritualis gratiae culpīs exigentibus non perducatur. Quousque namque hic vivimus, necesse est ut viam praesentis saeculi permixti pergamus; tunc autem discernimur, cum pervenimus. Boni enim soli nusquam sunt nisi in coelo, et mali soli nusquam sunt nisi in inferno; haec autem vita quae inter coelum et infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita utrarumque partium cives communiter recipit; quos tamen sancta Ecclesia et nunc indiscrete suscipit et postmodum in egressione discernit n. Gregor. 1. c. n. 7. Eandem doctrinam exhibet parabola seu potius metaphora de ovibus et hoedis Alath. XXV. 32: « Hoc agebamus, ut causae et personae hoedorum non praeiudicaret causa et persona ovium, quamvis communibus pascuis utraque pecora serventur, donec a pastore summo in iudicio novissimo alii ad sinistram, alii ad dexteram segregentur » August, loc. cit. n. 6. Ita porro explicant comparationem Apostoli (2. Tim. II. 20.) de magna domo, in qua sunt vasa tum pretiosa tum vilia. Huiusmodi vilium vasorum ab Ecclesia exclusionem Cyprianus exprobrat Novatianis: *u* quantus arrogantiae tumor est., ut quis aut audeat aut facere se posse credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut zizania a frumento putet se posse discernere, aut quasi ipsi palam ferre et aream purgare concessum sit, paleas conetur a tritico separare; cumque Apostolus dicat, in domo antem magna non solum vasa aurea et argentea sed et lignea et fictilia, aurea et argentea vasa videatur eligere, lignea vero et fictilia contemnere, abiicere, damnare, quando non nisi die Domini vasa lignea divini ardoris incendio concrementur, et fictilia ab eo cui data est ferrea virga, frangantur » Cyprian, ep. 52. p. 74. cf. ep. 51. p. 65. In hunc sensum ex eodem testimonio argumentatur Pacianus ep. 1. n. 5. et ep. 3. n. 4. 26. Aug. de baptism. 1. VII. n. 99; serm. 15. n. 2; Ambrosiaster in 1. c. Apostoli.

Lucido compendio doctrinam catholicam ex s. Scripturis et catholica traditione de statu Ecclesiae, peccatoribus cum iustis communione professionis regiminis et sacramentorum usque ad consummationem saeculi commixtis, comprehenderunt Episcopi catholici Africae in *u* mandato, *n* quo suis

octodecim selectis ad disputandum cum Donatianis Episcopis in collatione habita Carthagine anno 411. mense Iunio normas praescripserant, quas in disputatione sequerentur (1). Primum quidem, aiunt, demonstrent Episcopi selecti veram Christi Ecclesiam in lege, in prophetis, in psalmis, in Scripturis novi Testamenti, ex quibus omnibus praecipua testimonia inducant, praedictam esse et celebratam eam, quae sit inter omnes gentes, atque adeo eius notam essentialem esse catholicitatem. Tum vero, quod nunc ad nos pertinet, ita proseguuntur. « Hanc ergo Ecclesiam, quae isto modo, ut praedictum et impletum est, ab Ierusalem sumpsit exordium atque inde se in Iudaeam et Samariam aliasque orbis terrae partes Apostolorum praedicatione diffudit... dicunt isti, contra quorum errorem collegis nostris collationem defensionemque mandamus, Caeciliani Episcopi quondam Carthaginensis Ecclesiae et sociorum eius nescio quibus peccatis periisse pollutam, atque in parte Donati eius reliquias remansisse (2). Hanc vanam et sacrilegam criminationem hic

(1) Convenerant Carthaginem 306 Episcopi catholici, praeter quos 120 aberant « quod quidam senectute, quidam iutirmitate, quidam diversis negotiis essent impediti, » ut testati sunt catholici primo die Collationis. Mandatum autem eodem die recitatum hanc habet inscriptionem: *u* Mandatum factum in Ecclesia Carthaginensi ab universo Conci'io Episcoporum catholicorum praesidente Aurelio episcopo Ecclesiae Carthaginensis et Sylvano primate Numidiae. » (Inter documenta in Appendice ad T. IX. Opp. Augustini p. 37.).

(2) Originem schismatis narrant Optatus 1. I. n. 13. sqq. et Augustinus contra Crescon. 1. III. c. 26. sqq.; in Breviculo Collât, cum Donat. c. 12. sqq.; 1. ad Donatistas post Collât, c. 34. sqq. et alibi. Defuncto Mensurio Carthaginensi Episcopo rite electus est et a Felice Aptungitano consecratus Caecilianus, qui hactenus fuerat diaconus. Tum snperbia divitis mulieris Luciliae, ambitione quorundam Clericorum, avaritia seniorum qui thesauros Ecclesiae sibi a Mensurio in custodiam commissos reddere nolebant, factio conflata est contra Caecilianum. Isti Carthaginem evocant Episcopos Numidas cum primate suo Secundo Tigitano, inter quos plures rei confessi traditionis librorum sacrorum tempore persecutionis Diocletianae, et homicida ferocissimus Purpurins Limanensis. Facto coniliabno damnant Caecilianum, confleto crimine in eius consecratorem Felicem velut reum traditionis librorum sacrorum, quam accusationem postea extenderunt etiam in ipsum Caecilianum. Inde constituentes cathedram contra cathedram, altare contra altare consecrant Episcopum



quibus mandamus, ita redarguant et refellant, ut primum Ecclesiae causam a causa quorundam hominum distinguant. Quoniam Ecclesia permixtos malos habitura praedicta est, quousque messis tempore a tritico zizania segregentur, vel a frumento palea ventilata discedat, vel oves ad dexteram haedi ad sinistram, qui nunc eisdem pascuis permixti sunt, segregentur, vel mali pisces a bonis, qui nunc intra eadem retia simul trahuntur ad littus, in eodem littore, hoc est in tine saeculi, dirimantur. Homines autem quilibet in Ecclesia, si boni sunt, triticum vel frumentum eius sunt, oves eius sunt, pisces eius boni sunt; sin autem mali sunt, zizania, palea, hoedi, pisces mali eius sunt. Non ergo propter eos tota messis, tota area, grex totus, piscatio tota damnata est, ne cum ante tempus audeamus quasi de malis temere indicare, et aliis aliorum obiectare peccata, bonos propter malos sacrilega separatione deseramus; cum potius malos propter bonos pia unitate tolerare debeamus. Urgendi ergo sunt isti harum evangelicarum similitudinum et tam perspicuae veritatis inimici, ut doceant quod intendunt, ac prius ostendant, si valuerint, quomodo Ecclesia... quorumlibet quos accusant, contagione perierit, et in Donati parte remanserit. » Quapropter non in repellendis criminibus, quae licet falsa contra Caecilianum aliosque ingerunt, cardo defensionis constituendus est, et non tam *iuridice* de factis particularibus hominum disputandum cum criminantibus

Maiorinum. qui sub diacono Caeciliano fuerat lector; moxque pro sua causa appellant ad imperatorem Constantinum. Procurante Constantino congregantur Concilia Romanum sub Melchiade Pontifice et Arelatense; absolvuntur innocentes Caecilianus et Felix; damnatur multorum criminum, qui erat praecipuus actor contra Caecilianum, Donatus Casensis (a Casis nigris). Pars tamen Donati seu Donatistae perstant in suo schismate, assumpto nomine non ab illo Donato Casensi. ut videtur, sed a secundo suo Episcopo Carthaginensi Donato, quem magnum appellabant. Ubique per Africam consecratis suae factionis Episcopis schismati addiderunt haeresim, notorios peccatores, cuiusmodi criminabuntur fuisse Felicem et Caecilianum, et quotquot in eorum manerent communionem, extorres esse ab Ecclesia, hanc proinde per ipsam communionem cum Caeciliano eiusque successoribus in toto orbe periisse et in sola parte Donati salvam remansisse, iusperque extra Ecclesiam nec baptismum nec ulla esse sacramenta.



haereticis, sed potius *theologice* demonstrandum, in vera Christi Ecclesia esse posse et esse peccatores eosque non modo occultos sed etiam manifestos.

Ad hanc demonstrationem praeter parabolas evangelicas pertinent, quae ulterius iniungunt promenda suis deputatis, inter quos longe praecipuus eminebat Augustinus, *u* Quod nos dicimus, inquit, ad eorum crimina repellenda ab eis, quibus officium defensionis huius imponimus, evidentissime et exemplis cumulatus (nempe ultra doctrinam contentam in parabolis allatis) ostendatur, id est Ecclesiam Christi nullorum malorum usque in finem sibimet permixtorum, non solum ignotorum verum etiam cognitorum, quasi corruptione pestifera posse inquinari atque deleri. » Exemplum huiusmodi inducunt ex sanctis prophetis, *u* qui ab eo populo, in quo utique etiam boni inter malos erant, non se corporali discrimine (abrupta communicatione religiosa) dividebant, melius iudicantes per patientiam ferre malos quam per calumniam relinquere bonos, *n* Imo evidentissimam ostensionem habemus in ipso collegio Apostolico. *a* Ipse Dominus Iesus Christus exemplum singulare patientiae traditorem suum, utique pessimum, non solum cognitum in discipuli numero (in numero ac censu nempe non solum membri Ecclesiae sed membri etiam dignitate apostolica insigniti) pertulit, verum etiam praecognitum (sua culpa tandem reprobrium futurum) in discipulorum numerum assumpsit. » Idem evidentissime ostenditur perenni traditione, in doctrina nimirum et disciplina Ecclesiae inde ab aevo apostolico. Nam « Apostolorum temporibus testis est Apostolus Paulus, inter falsos fratres gemens (2. Cor. XI. 26.) et quosdam per invidiam, quod utique vitium diabolicum est, Christum annuntiantes in epistola sua (Phil. I. 15.) notans, quemadmodum boni malos, propter unitatem Christi pietate sollicita conservandam, sine ulla sua perditione in sacramentorum communione tolerabant, a quorum malitia longe abhorrebant. Post Apostolos etiam Episcopi boni, quemadmodum propter unitatem Christi non solum quoslibet laicos verum etiam coepiscopos toleraverunt malos, testes sunt litterae martyris Cypriani, ubi gemit avaritiam quorumdam collegarum usque ad crudelitatem foenoris rapinasque fundorum ;

nec tamen malorum contagione tactus est talis, sed bonorum dilectione pertulit tales, non tantum id exemplo admonens, verum etiam praecepto instruens. Nam in quadam epistola sua (ep. 54. ad Maxim.) dicit: etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impedire debet aut fides aut caritas nostra, ut quoniam esse zizania in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus *n* (1). Concludunt denique suum de hac disputatione « mandatum *n* argumento ad hominem, quod Augustinus saepe urget sed nobis nunc necessarium non est. Donatistae nempe statuerant, eos qui a suo schismate alio schismate cum Maximiano recesserant, non fuisse pollutos, dummodo Maximiani ordinationi schismatica non interfuissent. Ex hac licet absurda eorum sententia ita pro doctrina vera argumentantur catholici, *u* Vel sero hinc intelligere cogantur (a deputatis catholicis), multo potius in unitate catholica malos bonis tamquam paleam frumentis abesse non posse, si in concisione (secta) schismatica, ubi palea sola est, putatus est Maximianus eiusdem concisionis suae socios, tantum qui ordinationi eius praesentes non fuerunt, non potuisse maculare, *η* ⚡

Ne in re satis manifesta ulterius progrediamur, ex Scripturis sacris, ex institutis et disciplina Ecclesiae et in hac ex apostolica traditione, ex ipso fine ipsaque indole sanctae et sanctificantis Ecclesiae constat, et in controversia praesertim Donatiana quarto et quinto saeculo omnino ad liquidum deductum et explicite definitum est, peccatores quoslibet baptizato» qui veram fidem citra liaeresim, et socialem caritatem citra schisma retinent, quamdiu sententia ecclesiastica excommunicati non sunt, vere et simpliciter

(1) Quoniam Donatistae auctoritatem Cypriani maximi faciebant ita ut ei contradicere non auderent (cf. Aug. Brevio, collect. n. 20.), hoc testimonio Augustinus eos saepe urget, *a* Cyprianus nec pro certa permixtorum malitia zizaniorum pacem deseruit frumentorum, qui ad Maximianum scribens dixit: etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet fides aut caritas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Non dixit, suspicamur, opinamur, arbitramur, coniiicimus, credimus: sed *cernimus* dixit. O verbum, quo cuncta dubitatio tolleretur, ut corpus Christi non divideretur!» Aug. contra Crescon. l. III. n. 35. et alibi. 'j1



esse membra Ecclesiae visibilis ac cives regni Dei in terris. Unde inter dogmata, « quae ita fidei catholicae congruunt, ut si quis non solum omnibus sed etiam singulis voluerit contraire, in eo quod singulis horum contumaciter repugnat et his contraria docere non dubitat, haereticus et fidei Christianae inimicus atque ex hoc omnibus catholicis anathematizandus appareat, » s. Fulgentius merito hunc etiam ponit articulum. « Firmissime tene et nullatenus dubites, aream Dei esse catholicam Ecclesiam, et intra eam usque in finem saeculi frumento mixtas paleas contineri, hoc est bonis malos sacramentorum communione misceri... utiliterque malos a bonis intra Ecclesiam tolerari, si hoc cum eis bene vivendo et bene monendo agatur, ut et videntes et audientes quae bona sunt, mala sua respuant et indicandos se a Deo pro suis malis operibus contremiscant, atque ita praeveniente dono gratiae de suis iniquitatibus confundantur, et ad bonam vitam per Dei misericordiam convertantur. Bonos vero a malis intra Ecclesiam dumtaxat catholicam constitutis non debere nisi operum dissimilitudine separari, ut cum quibus divina communicant sacramenta, non habeant mala opera, quibus illi sunt criminosi, communia n s. Fulgent. 1. de Fide ad Petrum cc. 43. et 44.

III. Quae quamvis ita sunt, negari tamen non potest magnum discrimen, quo iusti et sancti et quo peccatores, filii Dei et filii diaboli uniuntur in compage Ecclesiae sanctae, in communione sanctorum, et sunt ac dicuntur membra corporis cuius Christus caput, atque adeo membra Christi. Superius vidimus unionis cum Ecclesia multiplices esse nexus, eosque non omnes unius sed universim loquendo duplicis ordinis. Nam *d)* sunt nexus externi, in se ipsis conspicui, qui licet habeant rationem mediorum ad finem nempe ad charitatem et sanctitatem, sunt tamen ex institutione fundatoris Ecclesiae essentialia elementa, quibus ipsa Ecclesia in terris formaliter *ut visibilis* constituitur. 6) Sunt nexus interni, omnino spirituales, in se ipsis non conspicui, qui licet nobiliores sint et finis proximus sanctae ac sanctificantis Ecclesiae, hoc tamen ipso, quod non nisi per priora illa manifestantur, rationem *visibilitatis Ecclesiae*

spicua ex Christi institutione essentialia demonstravimus esse, sacramentum fidei baptismum, communionem professionis fidei sub legitimo *magisterio*, socialem charitatem seu obedientiam disciplinae sub legitimo hierarchico regimine seu *sacro imperio*, communionem cultus divini ac sacramentorum sub legitimo *sacerdotio*, ita ut quibus vel unum horum desit, non baptizati, haeretici, schismatici, excommunicati ad Ecclesiam in terris *simpliciter* non pertineant, quamvis *secundum quid* ad eam pertinere, nexibus scilicet quos adhuc retinent, *u* ex aliqua parte ei uniri » possint, ut Augustinum loquentem audivimus; imo etiam per accidens fieri potest, ut perfectione dispositionum spiritualium et nexuum internorum coram Deo, « apud quem voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas, »<sup>1)</sup> actuales nexus externi suppleantur, modo quo superius declaratum est. Hinc e converso fit, ut peccatores licet vinculis omnibus externis vere et simpliciter perseverent esse membra visibilis Ecclesiae in terris, ab eadem tamen Ecclesia secundum nobiliora eius elementa spiritualia et secundum finem proximum qui est sanctificatio, maneant difformes, atque idcirco si Ecclesia secundum hanc formam sanctitatis, secundum finem actualis sanctificationis, et ita secundum spiritum consideretur, possint ac debeant dici non pertinere ad Ecclesiam.

Si igitur comparemus modum loquendi de peccatoribus in Ecclesia, et de iis qui foris existentes secundum aliquid tamen ad Ecclesiam referuntur, ordo inversus est. Hi posteriores sunt et *simpliciter*, hoc est sine addita declaratione, possunt ac debent dici esse extra Ecclesiam et non esse in Ecclesia; non vero possunt dici pertinere ad Ecclesiam nisi expressa vel saltem ex contextu manifesta declaratione, *secundum quid* seu secundum quae vincula adhuc reliqua referri et pertinere ad Ecclesiam dicantur (1). Contra vero peccatores de quibus agimus, *simpliciter* sunt membra Ecclesiae, et non nisi *secundum quid* ad Ecclesiam, sub certa scilicet formali ratione et spirituali dono consi-

<sup>1)</sup> L) - Simpliciter dicitur aliquid, quod nullo addito dicitur» s. Them. in Ioan. lect. 5. et alibi -saepe ex Aristotele 1. II. Tojicor,



deratam, pertinere negari possunt. Nisi scilicet addatur vel subintelligatur aliqua declaratio, debent dici et non possunt sine errore in fide negari esse in Ecclesia; si tamen vel explicite declaretur vel implicite subintelligatur, Ecclesiam et coniunctionem membrorum eius non universim, sed singillatim et unice secundum spiritum vivificantem et participationem unionemque cum hac vita spiritus spectari, nihil impedit, quominus peccatores dicantur secundum hunc modum considerandi non esse in Ecclesiae compage, non esse de Ecclesia, non pertinere ad Ecclesiam esse extra Ecclesiam.

Haec valent, non quasi fas esset hunc modum loquendi passim usurpare, sed ut rite intelligantur locutiones quaedam apud Patres e. g. apud Optatum Milevitanum occurrentes et frequentissimae apud Augustinum, qui contra Donatistas ceteroquin primas tenebant in defensione doctrinae catholicae de peccatoribus in Ecclesia usque ad consummationem saeculi commixtis cum sanctis et iustis, ut ex iisdem Patribus satis demonstravimus. Ratio considerandi Ecclesiam eo modo, quo peccatores non comprehenduntur istis Patribus erat primo quidem illa *generalis*, de qua diximus; ornamentum scilicet praecipuum sponsae Christi et corporis Christi et finis per se intentus est actualis sanctitas cui soli iusti respondent peccatores vero contrarie opponuntur; tum ratio ss. istis doctoribus erat altera *particularis* et polemica ex ipsa indole haeresis Donatianae argumentorumque, quibus eam defendere consueverunt. Duplex enim eorum erat error, quod notorii peccatores non sint membra Ecclesiae, et porro quod quicumque sunt extra Ecclesiam, quia Spiritum Sanctum promissum et datum soli Ecclesiae non habent, sacramenta valide administrare non possunt, pro qua sententia solemne eis erat appellare ad auctoritatem martyris Cypriani. Iam contra priorem partem Patres, et prae ceteris luculentius Augustinus, ut vidimus, demonstrant dogma esse revelatum in Scripturis et explicatum in Traditione, zizania cum tritico in uno agro, peccatores cum iustis in una Ecclesia communicare non operibus et nexibus sanctitatis, sed magisterio et doctrina, regimine et disciplina, sacerdotio et sacramentis. Quoad partem alteram hae-

reseos, quoniam iam alia inducitur consideratio obiecti mutato elencho transitus fit ab elementis visibilibus ad elementum internum inhabitantis Spiritus Sancti, Augustinus respondere solet, ab Ecclesia ita considerata, ab hoc nexu et hac compage Spiritus Sancti peccatores omnes, non solum notorios, sed etiam occultos quos Donatiani non excludebant ab Ecclesia, aequae esse extorres; Cyprianum vero etiam a peccatoribus manifestis sacramenta valide administrari posse, semper agnovisse. Quare cum ad Ecclesiam, quatenus in ea consideratur elementum spirituale sanctitatis, peccatores non magis pertineant quam haeretici aut schismatici, et nihilominus peccatores iidem, ut Cyprianus ex integro Donatiani ex parte agnoscunt, valide administrant sacramenta, licet privati inhabitatione Spiritus Sancti; eadem potestas etiam haeticis et schismaticis negari nequit, quia sacramenta sunt ac manent sacramenta Christi et Ecclesiae, non vero hominum a quibus ministrantur.

Ita argumentatur Augustinus tum alibi saepe tum nominatim l. III. inde a n. 22. et toto fere l. IV. de Baptismo contra Donat., ut duo haec coniungat, peccatores esse intus et esse in Ecclesia: nihilominus tamen non esse in unitate Ecclesiae, quae formatur pace in Spiritu Sancto, et non pertinere ad unicam columbam, quae est sine macula. « Quia nec isti Ecclesiae devoti sunt, qui videntur esse intus, et contra Christum vivunt, id est contra Christi mandata faciunt: nec omnino ad illam Ecclesiam pertinere indicandi sunt, quam sic ipse mundat lavacro aquae in verbo, ut exhibeat sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi. Quod si in ista Ecclesia non sunt, ad cuius membra non pertinent, non sunt in Ecclesia, de qua dicitur: una est columba mea, una est matri suae; ipsa est enim sine macula et ruga (1). Aut asserat, qui

(1) Manifestum est ex contextibus, - maculam et rugam - in hisce locis ab Augustino accipi pro peccatis gravibus, a quibus iusti utique sunt immunes; quia vero iis nominibus significari possunt quaevis etiam venialia peccata, pro quibus ipsi iusti - non solum humiliter sed etiam veraciter - quotidie clamant, dimitte nobis debita nostra; ideo s. doctor l. II. c. 18. *Retract.* monet, hoc sensu Ecclesiam ne in iustis quidem esse sine macula aut ruga. - Ubi cumque in his libris *De Baptismo*.) comme-



poteat, huius columbae membra esse, qui saeculo verbis, non factis renuntiant... Nos autem secundum id quod in praesenti est quisque hominum, quaerimus utrum in illis Ecclesiae membris, quae una columba dicta est et sponsa sine macula et ruga, hodie deputandi sint, de quibus dicit Cyprianus in epistola quam commemoravi, quod viam Domini non tenerent nec data sibi ad salutem caelestia mandata servarent (inducit plura ex Cypriani ep. 7. ad Clerum; 73. ad iubaian.; ex lib. de lapsis)... Quod si eos in suis membris nec illa columba cognoscit, et talibus si in eadem perversitate permanserint, dicturus est Dominus, non novi vos, recedite a me qui operamini iniquitatem; videntur esse in Ecclesia, et non sunt (eo quo hic agitur, modo considerata), imo et contra Ecclesiam faciunt. Quomodo ergo baptismo Ecclesiae (ipsomet Cypriano latente) baptizare pos-

moravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est, quasi iam sit; sed quae praeparatur, ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias et infirmitates membrorum suorum habet, unde quotidie tota dicat dimitte nobis debita nostra. » Alio quam haec sed eodem sensu, quo in libris de Baptismo haec eadem distinctio inter Ecclesiam quae nunc est, et qualis futura est, adhibita est ab Augustino et ceteris Episcopis Africanis in collatione Carthaginensi. Donatistae enim ibi proferebant testimonia Scripturarum, « quibus ab omni malorum hominum, permixtione pura praenuntiabatur Ecclesia. \* Catholici vero respondebant, haec testimonia si intelligantur de Ecclesia qualis nunc est, repugnare testimoniis aliis, quibus commixtio in Ecclesia peccatorum cum iustis manifestissime demonstratur. » Nec mirum, si pacem Scripturae Dei non intelligebant, qui pacem cum eius Ecclesia non habebant. Nos autem utraque accipientes testimonia, demonstrabamus utrorumque concordiam. Nam et illud accipiebamus, quod in suis litteris commemoraverunt Ecclesiae dictum esse, nec adiciet ultra per te transire incircumcisus et immundus (Is. 51. 1.); et illud quod scriptum est, sinite utraque (zizania cum tritico) cresceri usque ad messem (Matth. 13. 10.); sed hoc esse in agro, illud in hordeo... Ecce manifestum est, quod dicebatur a nobis, distinguenda esse tempora Ecclesiae; non eam nunc esse talem, qualis post resurrectionem futura est; nunc malos habere permixtos, tunc omnino non habituram; ad illam eius puritatem, non ad huius temporis permixtionem illa divina testimonia pertinere, quibus eandem praedixit ab omni malorum permixtione penitus alienam\* Aug. 1. ad Donat, post collationem, η. 10-12. Collatio haec Carthaginensis anno 411. habita est decennio fere post scriptos libros de baptismo.

sunt, quod neo ipsis prodest nec accipientibus, nisi intrinsecus vera conversione mutantur, ut ipsum sacramentum quod eis accipientibus non proderat, quando saeculo verbis non factis renuntiabant, prodesse incipiat, cum et factis coeperint renuntiare; ita et illi quorum est aperta separatio (ab Ecclesia simpliciter spectata), quia in membris illius columbae nec hi (aperte separati) nec illi (peccatores) sunt hodie, sed aliqui eorum fortasse futuri sunt... Sicut autem urgeri videor, cum dicitur mihi: ergo haereticus dimittit peccata? sic et ego urgeo, cum dico: ergo qui coelestia mandata non servat, avarus, raptor, foenerator, invidus, verbis non factis saeculo renuntians (quos omnes iisdem verbis Cyprianus in Ecclesia esse et valide tum conferre tum recipere sacramenta fatebatur), dimittit peccata? Si per vim sacramenti Dei. sicut ille ita et ille; si per meritum suum, nec ille nec ille. Illud enim sacramentum et in malis hominibus Christi esse cognoscitur; in corpore autem unice columbae, incorruptae, sanctae, pudicae, non habentis maculam aut rugam, nec ille nec ille invenitur » August, de Baptism. I.IV. n. 4. 5. 3 Î

Luculentius in eodem opere explicat discrimen, quod iusti ipsam *domum Dei* secundum decorem suum et secundum fructuum seu finem spectatam *constituunt* et sunt *in compage domus*, quae fructifera iustitia continetur; peccatores *sunt in domo*, sed *non eam constituunt*, quia *non pertinent ad compagem iustitiae*; haeretici, schismatici, et excommunicati! qui habendi tamquam ethnici et publicani, *non sunt in domo sed ex domo*, hoc est, exierunt ex domo; iusti itaque *corporaliter et spiritaliter, communione sacramentorum et sanctitate morum*, sunt in Ecclesia; peccatores sunt in ea *corporaliter et non spiritaliter, communione sacramentorum non sanctitate morum*; alii vero *u separatiores n in ea neutro modo sunt*. « Puto, inquit, me non temere dicere, alios ita esse in domo Dei, *ut ipsi etiam sint eadem domus Dei*, quae dicitur aedificari super petram, quae unica columba appellatur, quae sponsa pulchra sine macula et ruga, et hortus conclusus, fons signatus, puteus aquae vivae, paradus cum fructu pomorum, quae domus etiam claves accepit ac potestatem solvendi et



ligandi (1). Hanc domum si quis corripientem corrigentem-que *contempserit, sit tibi, inquit, tamquam ethnicus et publicanus*. De hac domo dicitur, Domine dilexi decorem domus tuae... et beati qui habitant in domo tua, in saecula saeculorum laudabunt te; et innumerabilia talia. Haec domus etiam triticum dicitur, sive tricenum sive sexagenum sive centenum fructum afferens cum tolerantia. Haec domus est in vasis aureis et argenteis et lapidibus pretiosis et lignis imputribilibus... Haec quippe in bonis fidelibus est et sanctis Dei servis ubique dispersis spiritali unitate devinctis in eadem communione sacramentorum, sive se facie noverint sive non noverint. Alios autem ita dici *esse in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferae pacificaque iustitiae*, sed sicut palea dicitur esse in frumentis; *nam et istos esse in domo, negare non possumus*, dicente Apostolo, in magna domo non solum aurea vasa sunt vel argentea, sed et ligna et fictilia, et alia quidem sunt in honorem, alia in contumeliam. Ex

(1) Ut hoc rite intelligatur, sequentia animadvertenda sunt, e) Augustinus numquam dixit, iustos tantum habere potestatem remittendi et retinendi peccata, sed ubique et data opera inculcat, peccatores aequae ac iustos habere a Christo potestatem valide administrandi sacramenta, quae ex virtute Christi non ex sanctitate ministrorum remittunt peccata. Verumtamen haec ipsa potestas sacramentorum instituta et data est a Christo ad exhibendam Ecclesiam, qualem hic s. Doctor describit, per sanctitatem singulis quibusque membris impertitam *solvendo*, vel ad praeparationem eiusdem sanctitatis *ligando*: *subiectum* potestatis sunt homines non quatenus sancti, sed quatenus insigniti munere; *finis* potestatis est tota Ecclesia quatenus sancta et sanctificanda. Hinc b) si potestas ligandi, ut in proxime sequenti contextu, spectatur quatenus refertur ad excommunicationem, eius quoque *finis* est sanctitas unice culumbae, ut ab ea rescindantur, quos superius audivimus a Patribus dici gangraenam toti corpori perniciosam, c) Insuper prae oculis habeatur oportet penes Augustinum recurrens certus quidam modus considerandi remissionem peccatorum in Ecclesia; pro quo non solum ipsam proprie dictam potestatem solvendi peccata, sed in communione sanctorum orationes et congrua merita considerat, quibus peccatoribus impetrantur gratiae actuales, ut disponantur ad remissionem. « Correctos (poenitentes), inquit, etiam fraternis orationibus expiari per caritatem cooperientem multitudinem peccatorum » contra Crescon. l. III. n. 27. « Deus habitat in templo sancto, hoc est, in sanctis fidelibus, in Ecclesia sua: per eos dimittit peccata, quia viva templa sunt » serm. 99. n. 9,



hoc numero innumerabili (peccatorum), non solum turba *fn-*  
*tus* premens cor paucorum, in tantae multitudinis compa-  
ratione sanctorum; sed etiam disruptis retibus haereses  
et schismata existant in eis, qui iam *magis ex domo*  
*quam in domo esse* dicendi sunt, de quibus dicitur, *ex*  
*nobis exierunt*, sed non erat ex nobis. *Separatiores enim*  
*sunt iam etiam corporalité" segregati*, quam illi qui *in-*  
*terius* carnaliter et animaliter vivunt, *et spiritaliter se-*  
*parati sunt.*" Prosequitur deinde Augustinus docere, tum  
*in magna domo* etiam *u* a fictis quos Spiritus Sanctus fu-  
git, » tum ab haereticis et schismaticis *u* qui *separatiores*  
*non magis in domo quam ex domo* sunt, *n* verum accipi  
sacramentum sed inutiliter, «quod ut fiat utile, inquit,  
ab haeresi vel schismate recedendum est, *ct illi domui co-*  
*haerendum*; quod non solum haeretici et schismatici, sed  
etiam illi facere debent, *qui sic sunt in domo per com-*  
*munionem sacramentorum*, ut extra domum sint *per di-*  
*versitatem morum* *n* Ibid. l. VII. n. 99. 100.

Non ergo Augustinus aut sibi aut catholicae doctrinae  
de peccatoribus, simpliciter ac vere membris Ecclesiae in  
terris umquam contradixit, sed eandem Ecclesiam diversi-  
mode consideravit vel secundum visibilia elementa et uni-  
tatem corporis, in qua peccatores sunt cum iustis coniuncti  
et permixti, vel secundum proximum finem actualis sancti-  
ficationis membrorum et sanctitatem spiritus, in qua com-  
page iustitiae peccatores nondum sunt, sed ad eam doctrina,  
disciplina, sacramentis (elementis visibilibus), et gratiis in-  
ternis invisibilibus in Ecclesia ipsa promoventur et addu-  
cuntur. *u* Quicumque in caritate frigerit, infirmatur in  
corpore Christi; sed potens est ille qui iam exaltavit caput  
nostrum, etiam infirma membra sanare, dum tamen non ni-  
mia impietate praecedantur, sed haereant corpori, donec sa-  
nentur. Quidquid enim adhuc haeret corpori, non desperatae  
sanitatis est *n* Aug. serm. 137. n. 1. I

*Hactenus Ct. Auctor; reliqua desiderantur.*

## INDEX

*In theses de Ecclesia Christi praefatio editoris . . . . .* | Pag.  
*Commentarius de cita Auctoris*

### **Sectio I.** — *Quae continet tractatum prodromum de* *Ecclesia Dei generatim spectata, de Ecclesia* *veteris Testamenti eiusque institutis in rela-* *tione ad Testamentum novum, de notione et* *distinctione triplicis potestatis in Ecclesia.*

**Thesis I.** — *De significatione nominis u Ecclesia.* — Nomen *Ecclesia*  
habet quidem etiam *genericam* significationem coetus mul-  
torum, quatenus ad unitatem aliquam convocati consideran-  
tur; significatio tamen *specificam* atque ex usu loquendi bi-  
blico et ecclesiastico maxime propria est religiosa, ut *Ecclesia*  
sit societas vero Dei cultu unitorum, quae significatio iterum  
vel universali extensione vel restrictione aliqua peculiari  
accipitur.....\*

**Thesis II.** — *De Ecclesia Dei spectata secundum notionem amplis-*  
*simam communionis sanctorum.* — *Ecclesia Dei* secundum  
amplissimam notionem spectata est supernaturalis societas  
seu civitas eorum omnium, qui sive angeli, sive homines ab  
Adam usque ad consummationem sub capite Christo *fide in*  
*via, visione beatifica in termino* adhaerentes Deo uniti sunt  
ad *communionem sanctorum*.....»

**Thesis III.** — *De statu adhuc imperfecto et perficiendo Ecclesiae*  
*veteris oeconomiae.* — *Ecclesia patriarchalis* inde ab Adam  
tamquam inchoatio minus conspicua continebatur professione  
verae fidei et vero cultu Dei; prae hoc statu forma *Ecclesiae*  
non universalis pro cunctis gentibus sed peculiaris in populo  
Israel a Deo per Moyseu institutae expressior quidem ap-  
paret in unitate sacri ministerii imperii et magisterii; at-  
tamen et ipsa adumbratio dumtaxat erat et introductio ad  
*Ecclesiam lesu Christi* in statu perfecto novi Testamenti. »

**Thesis IV.** — *De multiplici discrimine institutorum veteris Testa-*  
*menti in relatione ad Ecclesiam novi Testamenti.* — In in-  
stitutis ac legibus veteris Testamenti distinguenda sunt



	1. ea, quae per se necessaria ad salutem, pertinent ad Testamentum aeternum et universale, ab aliis quae pro peculiari dumtaxat populo et pro tempore introductionis ad meliorem spem erant praecepta ; 2°. in his ipsis institutis peculiaribus distinguantur oportet illa, quae principali suo fine <i>typica</i> erant ad Christum venturum eiusque Ecclesiam, ita ut postquam adimpleta erant in Christo, iam eorum observantia abolita et mortua atque post sufficientem Ecclesiae propagationem omnino vetita ac mortifera censi debent; alia vero quae, sine proxima saltem et immediata Christi praesignificatione, ad politicam vel religiosam externam disciplinam synagogae pertinebant, obligatione <i>iuris divini</i> iam sublata in Ecclesia Christi, possunt nihilominus consuetudine aut lege <i>humana ecclesiastica</i> permitti vel etiam praecipari .....	Pa9*	34
Thesis	V. — <i>Declaratur distinctio triplicis potestatis in Ecclesia.</i> — Quamvis verissima et maxime necessaria sit sollemnis divisio inter potestatem <i>ordinis</i> et <i>iurisdictionis</i> ; attamen potestas iurisdictionis quae in bimembri illa partitione generice sumitur, ad maiorem claritatem potest et ob proprietates inter se diversas debet in s. Theologia distinguui in potestatem <i>regiminis</i> seu <i>iurisdictionis specificae dictae</i> , et in potestatem <i>authentici atque in sua plenitudine infallibilis magisterii</i> , ita ut theologice vera censi debeat distinctio trimembris sacerdotii sen sacri ministerii, ecclesiastici imperii, authentici magisterii.....»		46

**Sectio II.**    *De revelato facto institutionis et constitutionis Ecclesiae Iesu Christi.*

CAPUT I. — ECCLESIAE IESU CHRISTI INSTITUTIO IN SUA PRAEPARATIONE ET INCHOATIONE.....» 65

THESIS VI. — *Ecclesiae institutio praenuntiata et descripta in prophetiis veteris Testamenti.* — Ecclesia novi Testamenti constituenda a Christo ex omnibus gentibus universalis ac perennis praenuntiata est in prophetiis veteris Testamenti atque descripta ut unum *regnum potestatis* in proprio regimine, *regnum veritatis* in proprio magisterio, *regnum sanctificationis* in proprio sacerdotio, quae omnis potestas originaliter et tamquam in fonte sit in Christo institutore, per participationem in eius ministris ad regendam, docendam, sanctificandam Ecclesiam in suis membris — — — ” *ib.*

THESIS VII. — *In EvangeHis annuntiatur regnum Dei, regnum Iesu Christi propriae constitutionis ac formae fundandum in terris.* — Quamvis *regnum Dei* et *regnum coelorum* in Seri-

pturis non uno semper sensu accipiatur, in Evangeliiis tamen 1°. hoc nomine annuntiatur *reynum Iesu Christi in terra*, ut societas in se et per se consistens in propria sna forma, ab aliis societatibus distincta et diversa, ordinis nempe non terreni sed supernaturalis, quamvis in terra ex hominibus constituta; quae eadem unitas in se constituta et propria forma regni 2°. a Christo fundatore aliis nominibus ac symbolis parabolarum describitur et annuntiatur . . . *pay*.

Thesis VIII. — *Proxima praeparatio et inchoatio institutionis Ecclesiae*. — Christus Dominus in ipsa forma suae praedicationis velut in exemplari exhibuit formam suae Ecclesiae; hancque formam constitutam in visibili ac vivente auctoritate ex una parte et in obedientia fidei erga eandem auctoritatem ex parte altera transfudit in Ecclesiam, dum huius institutionem initiavit discipulorum fidelium vo atione, atque ex his omnibus duodecim Apostolorum electione, quibus in uuum corpus sub se uno capite constitutis auctoritatem communicavit ad postulandam obedientiam fidei, simul praeparando plenioris potestatis participationem perennem et sub uno visibili capite hierarchicam unitatem pro tempore ablatae suae visibilis praesentiae » 91

CAPÛT II. — INSTITUTIO ET CONSTITUTIO ECCLESIAE VISIBILIS A CHRISTO COMPLETA IN SUIS EPIPHANIIS ANTE ASCENSUM IN COELUM.....» 110

Thesis IX. — *De munere Apostolorum in prima Christi apparitione enuntiato et instituto*. — Sicut Christus a Patre, ita Apostoli a Christo missi sunt Io. XX. 21; quapropter haec missio Apostolorum intelligenda est in complexu continere munus et potestatem ad Ecclesiam nomine ac vice Christi visibiliter regendam, docendam, sanctificandam .....» 112

Thesis X. — *De institutione reyni Iesu Christi super terram secundum formam monarchiae in tertia apparitione*. — Christus Iesus regnum suum in terris ita instituit, ut tum in proxima praeparatione Matth. XVI. Luc. XXII. tum in respondente illi exsecutione Io. XXI. *unum* Simonem Petrum ex ceteris et super ceteros Apostolos degerit, quem potestate instruxit suprema et universali tum super singulas partes et. singula membra Ecclesiae tum super totum corpus Ecclesiae; quae quidem potestas sit vicaria a Christo derivata, immediata immedatione virtutis in totum et in partes, plena quoad obiectum proprium regni coelorum in terris. Propterea hac ipsa potestate constituitur principium formans et continens visibilem unitatem Ecclesiae ex ipsa institutione Christi fundatoris ac iure proinde divino.....»

- A-1



Thesis XI. — *De primatu Ecclesiasticae propagatione seu de perenni in primatu Petri successione.* — 1°. Christus Deus ipso sicut primatum in Petro, ita non minus divino iure instituit hunc primatum perennem in sua visibili Ecclesia, ut perpetua serie singulos antecessores singuli successores excipiant, quae institutio perennitatis et successionis in evangeliiis descripta fide divina credenda est. 2°. Postquam Petrus in sua persona gerens primatum a Christo sibi commissum fundavit et sibi assumpsit episcopatum seu sedem Romanam, hanc iue moriens reliquit vacuum cum exigentia successionis tam in primatu quam in episcopatu Romano, modus ipse successionis in primatu determinatus est, ut successio legitima in episcopatu Romano sit successio in primatu super universam Ecclesiam: ita enim ius divinum successionis determinatum semper et ubique intellexit universa Ecclesia, quemadmodum demonstrat Conciliorum, Romanorum Pontificum ceterorumque Patrum consentiens doctrina, quae ipsum evidens et perpetuum factum unionis primatus cum sede Romana Petri declarat - - - - pag. 163

THESIS XII. — *Ulterior explicatio doctrinae de unione primatus cum Sede Romana.* — 1°. Eadem veritas unionis primatus super universam Ecclesiam cum Sede Apostolica Romana ex Conciliorum definitionibus et fidei professionibus demonstratur. 2°. Ex praemissa doctrina consequitur modum unionis eum esse ut distinctione ratio iis successio in sede Romana sit visibile signum successionis in primatu; realiter vero una sedes Romana erecta sit ad dignitatem et potestatem sedis primatialis super universam Ecclesiam. Porro 3°. consequitur veritas theologica, primatum numquam, ne suprema quidem ipsius successoris Petri potestate, a sede Romana separandum et alio transferendum esse; 4°. Per aliam vero quamvis potestatem sive ecclesiasticam sive profanam fieri posse huiusmodi translationem, doctrina est damnata, et connexa cum erroribus contra ipsam divinam constitutionem Ecclesiae..... ” 192

THESIS XIII. — *De distinctione inter Sedem et sedentem in Sede Apostolica.* — Sepo ita distinctione quae per se evidens est, inter personalia merita *sedentis* et praerogativas *Sedis*, 1°. omnino reiicienda est distinctio a Novatoribus inducta quoad praerogativas quae divinitus institutae competant *Sedi* Apostolicae, non vero singulis in ea *sedentibus*; siquidem praerogativae omnes a Christo institutae sunt ut propriae Petri et singulorum eius successorum, et per hos et ab his *sedentibus* pertinent ad *Sedem*. Nihilominus 2°. si perpetuitas *Sedis* Apostolicae et mortalitas singulorum *sedentium* spectetur, distinctio aliqua inter *Sedem* et singulos *sedentes* admitti debet, ex qua diversa conditio infallibilis magisterii et su-

premi regiminis in Ecclesia tempore <i>Sedi» cacantis</i> et tempore <i>Sedis plenae intelligitur</i> .....pag.	220
<i>Seholion</i> . De modo quo magnum schisma occidentis in Concilio Constantiensi sublatum est.....	» 230

CAPUT III. — CONSTITUTIO ECCLESIAE SUB APOSTOLIS ET PROXIME SECUTA AETATE ..... » 239

Thesis XIV. — *Dcclesia ab Apostolis constituta in sese exhibet eam ipsam formam, quae est a Christo instituta.* — Secundum formam a Christo fundatore praescriptam et institutam Ecclesia nobis exhibetur ab Apostolis constituta 1°, ut Ecclesia una ex Iudaeis primum, deinde sine discrimine ex Iudaeis et gentibus; 2°. ut Ecclesia Christiana omnino distincta et separata a synagoga; 3°. in se cohaerens unitate professionis fidei, sacramentorum, et communionis; 4°, hoc ipso disposita ac gubernata per propriam potestatem magisterii ac imperii.....» *ib*

Thesis XV. — *Potestatis in Apostolis institutae successio in hierarchia.* — In Ecclesia iam Apostolica conspicitur potestatis in Apostolis institutae ad pascendam Ecclesiam perpetua successio per seriem singulorum in singulis Ecclesiis Episcoporum; ex quibus constat unus in Apostolis divinitus institutus cumque eis successione cohaerens episcopatus. Quae quidem divina Ecclesiae constitutio tum 1°. in scriptis Apostolicis exhibetur; tum 2°. in monumentis Patrum aetate Apostolicae proximorum distinctius manifestatur . . . » 259

Thesis XVI. — *De nomine Episcopi et Presbyteri in scriptis Apostolicis.* — Quamvis certum sit, tres gradus Episcoporum, presbyterorum, ministrorum divina ordinatione ac proinde etiam tempore iam Apostolico fuisse distinctos, concedendum est tamen sine dubio, antiquissima illa aetate etiam Episcopis quandoque factum fuisse nomen *gyresbyterorum*; verumtamen probabilius esse putamus, nomen *Episcopi* semper sacerdotibus dumtaxat primi ordinis, qui singuli ad singulas Ecclesias regendas ordinati erant, fuisse proprium, numquam commune sacerdotibus secundi ordinis seu presbyteris . . . » 282

**Sectio III. — *Ecclesia Iesu Christi considerata secundum habitudines ad divinum situm fundatorem.***

Thesis XVII. — *Ecclesia Iesu Christi considerata in opere redemptionis ut in sua causa efficiente et meritoria.* — Spectata redemptione tamquam principio ac fonte. Ecclesia Iesu Christi in proposito, voluntate, et opere redemptoris est *mun-*



- us supernaturate: transformatus per divinam doctrinam, legem, et gratiam; pretium autem redemptionis Ecclesiae est sanguis Iesu Christi Filii Dei..... pay, 296*
- THESIS XVIII. — *De Ecclesia sponsa et mystico corpore Christi, quae rationes continent causam relictam formalem Ecclesiae. — Habitudines inter Christum et Ecclesiam praeclarissime exhibentur in ss. Scripturis sub ratione sponsae et corporis Christi, quibus Ecclesiae cum Christo intima unio secundum ipsam naturam a Verbo assumptam, et Christi in Ecclesiam dilectio ac efficientia, et Ecclesiae sublimatio declaratur. Est enim Ecclesia corpus Christi non solum, quatenus in se est corpus morale et ad Christum refertur ut ad finem et ad Dominum; sed est corpus mysticum Christi, quod per supernaturales iuncturas visibiles et invisibiles ipsi capiti unitur, ab eo existentiam et vitam haurit, eiusque est plenitudo ..... » 301*
- THESIS XIX. — *Verbum incarnatum multipliciter est exemplar ad quod Ecclesia Christi expressa est. — Ad Verbum incarnatum tamquam ad suum exemplar Ecclesia secundum elementum visibile et invisibile expressa intelligitur. Quae quidem Ecclesiae conformatio cum Christo spectanda est tum in eius constitutione generatim, tum in eius muneribus et sacramentis, ac denique in eius glorificatione tam inchoata quam consummata..... » 320*
- Scholion.* Augustini interpretatio asseritur de duplici resurrectione indicata c. XXI. Apoc..... » 333
- THESIS XX. — *Gloria Christi finis Ecclesiae. — Tota Ecclesia tum in stadio militiae tum in statu triumpho intrinsecus ex sua essentia ordinata est ad gloriam Iesu Christi, ut ad suum finem; unde ipsius Ecclesiae exaltatio et intimus simul nexus intelligitur Ecclesiae veteris testamenti cum Ecclesia Christi in terris atque huius cum Ecclesia finaliter consummata in coelis..... » 339*

**Sectio IV. — De Ecclesiae proprietatibus..... \* 346**

- §. I. *De visibilitate Ecclesiae Christi in terris. Praenotio historica ..... » ib.*
- THESIS XXL — *Visibilitas Ecclesiae in incommutabili Christi institutione. — Ecclesia novi Testamenti non facta humano sed institutione divina est religiosa societas visibilis; Christus enim Deus-homo divinam religionem pro hominibus non solum in animis latentem sed in visibilibus rebus et institutis velut incorporatam fundavit, quae ipsa per professionem unius fidei, per disciplinam morum, per sacramenta sanctificationis ac cultus divini unam societatem hominum re-*

ligiosum coniungunt. Unde Ecclesia in terris non alia visibilis alia invisibilis est, sed ipsamet Ecclesia Christi visibilis proprietates habet etiam invisibiles; nec alia Ecclesia est conspicua alia per fidem credenda, sed ipsamet Ecclesia quae visibilis est, ut obiectum divinae revelationis et subiectum supernaturalium attributorum fide creditur; ac proinde eadem una visibilis Ecclesia est etiam Ecclesia divinarum promissionum.....*pay.* 355

*Scholion.* Protestantium ineptiae contra hoc dogma. . . . r 368

§. II. *De membris Ecclesiae Iesu Christi* . . . . . 377

**Thesis XXII.** — *De conditionibus necessariis ad unionem cum Ecclesia, quarum defectus excludit a censu membrorum Ecclesiae.* — Quamvis voluntate Dei legifera et antecedente omnes homines sicut ad salutem ita ad agnitionem veritatis et ad Ecclesiam vocentur; ad actualem tamen unionem cum Ecclesia conditiones necessariae sunt 1°. integritas fidei cum fidei sacramento, quod est baptisma; 2°. obedientia hierarchica; 3°. ins permanens communionis ecclesiasticae. Quare Ecclesiae membra et in Ecclesia non sunt haeretici; nec catechumeni; neque schismatici; neque excommunicati, . . . » 379

**Thesis XXIII.** — *Distinctius explicantur rationes, quibus alicui sectae adscripti, excommunicati, ac denique catechumeni ad Ecclesiam referuntur.* — Facta distinctione inter id quod est pertinere ad Ecclesiam Christi in terris simpliciter et ex integro, et quod est pertinere seu referri ad illam secundum quid et ex aliqua parte, tenendum est, omnes illos quos nominavimus, ex aliqua parte cohaerere cum Ecclesia. Namque 1°. qui in secta aliqua materialiter tantum versantur, ii in foro interno et in iudicio Dei per veram fidem et characterem baptismi sunt membra unius catholicae Ecclesiae Christi, in foro tamen externo et in iudicio Ecclesiae adulti inter eos praesumuntur haeretici aut schismatici; haeretici et schismatici formales ipso characterem baptismali manent jurisdictioni ac legibus Ecclesiae subiecti, et eodem characterem omnibusque institutis Ecclesiae propriis quae sibi retinuerunt, eo strictius obligantur, ut redeant ad ovile, cuius signum gerunt impressum, sicut vicissim Ecclesia oves cum signo errantes eo diligentius quaerit. 2°. Excommunicati ex ipsa intentione ac indole poenae medicinaliter non mortaliter sunt exclusi, ut quam primum satisfaciendo quaerant reconciliationem, et vi poenae bonis quidem visibilibus Ecclesiae visibilis, non tamen per se spiritualibus, nisi quatenus haec cum illis cohaerent, privati sunt. 3°. Catechumeni quantumvis fide, spe et charitate cum spiritu Ecclesiae, atque ita voluntatis voto cum ipsa visibili Ecclesia



in torris uniri possint, quoniam tamen eidem *actu ipso* et caractere sacramenti tñdei incorporati non sunt, ideo nec visibilium mysteriorum Ecclesiae participes esse possunt nec eius iurisdictioni ac legibus obnoxii sunt, sed ex lego divina et naturali obligantur magisterio Ecclesiae eiusdemque magisterii disciplinae.....pag. 402

- Thesis XXIV. — *De unione cum Ecclesia ut medio necessario ad iustificationem et salutem.* — Quamvis modo quo in superiori thesi dictum est, aliqui iustificari et salvari possint, quin in foro externo agnoscantur ad Ecclesiam visibilem pertinere; attamen 1°. illi ipsi non salvantur nisi *per Ecclesiam*, cuius est verbum fidei et cuius intuitu dantur gratiae salutaris, et non salvantur nisi *in Ecclesia*, cuius non solum spiritu sed etiam visibilibus elementis coniunguntur voluntate, quae -apud Deum pro facto reputatur. — Haec enim elementa visibilia 2°. ex institutione divina non sunt *de necessitate praecepti* dumtaxat sed *de necessitate medii* ad iustificationem et salutem; quocirca iustificatio in novo Testamento numquam edicitur sine relatione ad illa et spirituali saltem hominis coniunctione cum iisdem elementis visibilibus, atque ita coram Deo et Ecclesia triumphante existit non sine unione cum Ecclesia in terris. Neque vero 3\*. huiusmodi aliquorum membrorum unio cum Ecclesia et - sine visibilibus sacramentis sanctificatio - quidquam officit dogmati de visibilitate Ecclesiae Christi.....» 424
- Thesis XXV. — *Peccatores non excluduntur ex censu membrorum Ecclesiae Christi.* — Tum divinis institutis in Ecclesia velut *practice* tum *theoretice* diserta doctrina in Scripturis revelatum et in catholica traditione luculenter explicatum est, non solos iustos sed etiam peccatores omnes praeter eos, quos in antecedentibus ab Ecclesia extorres esse demonstravimus, esse vere et simpliciter membra Ecclesiae visibilis. Neque Patres ac nominatim Augustinus huic veritati contradicunt, si quando peccatores ad Ecclesiam pertinere negare videntur, sed Ecclesiam considerant secundum quid, secundum finem scilicet proximum actualis sanctificationis, et secundum donum *sanctitatis*.....« 438

IMPRIMATUR

\ Raphael Pierotti O. P. S. P. A. M.

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Archiep. Siden. Vrcesg.

